S. LAURENTII A BRUNDUSIO

ORDINIS FF. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM

OPERA OMNIA

A PATRIBUS MIN. CAPUCCINIS PROV. VENETAE

E TEXTU ORIGINALI NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITA NOTISQUE ILLUSTRATA

VOLUMEN I

MARIALE

DENUO TYPIS EXSCRIPTUM

PATAVII

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA SEMINARII

MCMLXIV

S. LAURENTII A BRUNDUSIO

ORD. FF. MIN. CAPUCCINORUM

OPERA OMNIA



S. LAURENTIUS A BRUNDUSIO PRAEDICANS
A PETRO LABRUZZI (1739 - 1805) DEPICTUS

Tela cm. $55^{1}/_{2}$ x $42^{1}/_{2}$ in choro FF. Min. Cap.
Florentiae (Montughi) existens

S. LAURENTII A BRUNDUSIO

ORDINIS FF. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM

OPERA OMNIA

A PATRIBUS MIN. CAPUCCINIS PROV. VENETAE

E TEXTU ORIGINALI NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITA NOTISQUE ILLUSTRATA

VOLUMEN I

MARIALE

DENUO TYPIS EXSCRIPTUM

PATAVII

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA SEMINARII

MCMLXIV

Fr. MELCHIOR A BENISA

TOTIUS ORDINIS FF. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM MINISTRI GENERALIS (l. i.)

Praesentium virtute annuimus ut editio operum omnium Sancti Laurentii a Brundusio O. Min. Cap., a Patribus Provinciae Nostrae Venetae iuxta textum originalem elaborata et adnotationibus illustrata, servatis ceteris de iure servandis, publici iuris fieri possit.

Datum Romae ex Curia Nostra generali,
die 30 Ianuarii 1928

(L. S.)

Fr. MELCHIOR A BENISA
Min. G.lis Cap.

Cum olim a SS. Rituum Congregatione revisa et approbata fuerint S. Laurentii Brundusini opera, non est quod de illis meam proferam sententiam. Solum igitur de ratione servata in eis edendis testimonium mihi reddendum est: quam plene probans, PP. Editoribus plaudo, qui pro virili ad improbum laborem accincti, felici cum successu, praesentem «Marialis» S. Laurentii editionem omnibus numeris absolutam curaverunt.

Assisi, 24 februarii 1928

F. EDUARDUS ALENCONIENSIS
Ord. Min. Cap. ex Def. Gen.

Attente perlegi Sancti Laurentii Brundusini «Mariale» cura Confratrum Provinciae Venetiarum typis vulgandum. Nihil in praeclaro hoc opere inveni a mente Ecclesiae alienum, quinimmo omnia fidei et morum dogmatibus consona.

Friburgi Helvetiorum pridie cal. Mart. 1928

P. HILARINUS A LUCERNA
Ord. Min. Cap. Def. Prov. et Custos Gen.

Nihil obstat
Patavii, die XVII Februarii, MCMXXVIII
Can.cus Doct. OLIVUS LUISETTO
Cens. Eccl.

Imprimatur
Patavii, die XVIII Februarii, MCMXXVIII
Can.cus Doct. PRIMUS CARMIGNOTO
Vicarius Generalis

PIO XI PONT. MAX.

OPERA OMNIA

S. LAURENTII A BRUNDUSIO

ORD. MIN. CAP.

S. SEDIS ET ECCLESIAE IURIUM

STRENUI VINDICIS

NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITA

ERGA SUPREMAM APOSTOLATUS CATHEDRAM

EADEM FIDE EODEMQUE STUDIO FERVENTES

PATRES MIN. CAPUCCINI PROV. VENETAE

HUMILLIME DICANT

A. M.CM.XXVIII

RATIO EDITIONIS

Cum operis s. Laurentii a Brundusio, cui titulus *Mariale*, abhinc triginta sex annos in lucem proditi, exemplaria omnia divendita sint, necessitate compulsi, consilium inivimus eiusdem operis denuo typis mandandi. Noluimus tamen ex integro rem facere; sed omnia, quantum fieri potuit, ita immutata reliquimus, ut prima editio, Patrum Editorum cura et studio anno MCMXXVIII typis consignata, integra eademque per omnia exstaret.

A proposito vero nostro nos defecisse non putamus eo quod errores, in prima editione passim irreptos, emendavimus, quodque una vel altera linea, librariae artis causa, de praecedenti in subsequentem paginam translata fuit. E contra minime emendandas putavimus sententias ab ipsis Patribus Editoribus, vel in *Praefatione* vel alibi, consulto prolatas, etiamsi, iudicio virorum eruditorum nostri temporis, aut non satis rectas aut prorsus falsas iam evadant.

Omnibus autem compertum est, operibus Brundusini vulgatis, non parvum coepisse incrementum eiusdem s. Laurentii doctrinae studia, quorum elenchum magna cum diligentia collegit P. Felix a Mareto, O. F. M. Cap., in opere a se concinnato *Bibliographia Laurentiana* (Romae 1962). Cum vero impossibile prorsus evadat de omnibus vel maioris momenti operibus mentionem facere, ea tantum liceat hic in medium proferre quae praecipua Mariologiam Laurentianam spectant:

Bernardinus a S. Ioanne Rotundo, O. F. M. Cap., *S. Laurentius a Brundusio et Immaculata Conceptio*, Isola del Liri 1940;

Jérôme de Paris, O. F. M. Cap., *La doctrine mariale de saint Laurent de Brindes*, Gembloux 1933;

Roschini Gabriele M., O. S. M., *La mariologia di s. Lorenzo da Brindisi*, Padova 1951.

Nec vero silentio praetereundum videtur, *Mariale*, cura P. Mariani ab Altari, O. F. M. Cap., ex latino in italicum sermonem integre versum fuisse, tribus voluminibus contentum, quae inscribuntur:

La Vergine della Bibbia (Roma 1958);

La Madonna nell'Ave Maria e nella Salve Regina (Roma 1959);

Le feste della Madonna (Roma 1959).

Tandem, cum Patres Editores spoponderint, operibus omnibus editis et documentis ex archivis conlectis, s. Laurentii « vitam » se conscripturos, certiores omnes reddimus, hanc, quinque volumina complectentem, a P. Arturo a Carmignano Br., O. F. M. Cap., magno labore et italico sermone fuisse ad exitum perductam, quae inscribitur *San Lorenzo da Brindisi Dottore della Chiesa universale (1559-1619)* (Padova 1960-1963).

Antequam his notulis finem faciamus, Omnipotenti Deo ex corde maximas efferimus gratias eo quod tandem peroptatus illuxit dies, quo s. Laurentius a Brundusio a Summo Pontifice Ioanne XXIII, die 19 Martii 1959, maximo totius Ordinis Capuccinorum gaudio, *Doctor Ecclesiae* est declaratus.

PRAEFATIO IN EDITIONEM UNIVERSAM

DE VITA S. LAURENTII.

S. Laurentius ex illustri familia veneta [1] Brundusii in Italia meridionali natus est die 22 Iulii anno 1559. Adhuc puer in cathedrali brundusina suggestum ascendens frequentem populum in sui admirationem attraxit. Circa duodecimum aetatis annum, patre e vivis sublato, Venetias profectus, scholam clericorum cathedralis S. Marci frequentavit. Inter Minores Capuccinos Provinciae Venetae anno 1575 cooptatus in coenobio veronensi novitiatum peregit, ac brevi virtutum omnium laude floruit. Studiorum causa Patavium missus, in philosophicis et theologicis disciplinis expedite perfecteque addiscendis ipsi magistro admirationi fuit. Adhuc in Diaconatus ordine constituto praedicationis officium a Ministro Generali concreditum est.

Sacerdotio auctus et lector theologiae renuntiatus, universam doctrinam sacram maxime Divinam Scripturam sic profunde hausit, ut scientia ipsius infusa potius quam acquisita videretur. Hoc tempore mirabile plane Commentarium in Genesim, forte etiam in Ezechielem prophetam Expositionem composuit. Plures linguas, graecam nempe, chaldaicam, syriacam, germanicam, gallicam, hispanicam praeter latinam et italicam didicit, quas

1) De cognomine et nobilitate familiae S. Laurentii non una est biographorum opinio; nos quod certum est hic posuimus, alibi de hac re profundius acturi.

data occasione in verbi Dei praedicatione et in controversiis adhibuit.[2] Hebraicam vero linguam tam probe scivit, ut Hebraei eum audientes unanimiter suae gentis esse existimarent.[3] Haec linguarum peritia Laurentii tam mira videbatur, ut glossolaliae donum assecutus esse diceretur.[4]

Concionator celeberrimus, vim et zelum Pauli Apostoli in dicendo ostendit. Praecipuas Italiae civitates concursans, perditos audientium mores refecit, nutantium fidem firmavit, pluraque opera concionatoria: Quadragesimalia, Adventus, Dominicalia, Mariale, Sanctorale, aliosque diversi generis sermones conscripsit. Conversioni Iudaeorum Clementis VIII iussu destinatus, eorum plurimos Evangelii sectatores effecit.

Pluries Guardianus, Minister Provincialis Tusciensis, Venetae, Helveticae, Genuensis Provinciarum, Definitor et tandem Minister Generalis disciplinam et studia praesertim sapientissimis datis litteris et exhortationibus promovit, necnon Minorum Capuccinorum Ordinem defendit et per omnem pene Europam diffudit. Visitator et Commissarius Generalis in Provinciis Coloniensi et Pragensi multa monasteria erexit et lutheranam haeresim exemplo, verbo et scriptis strenue oppugnavit, eo successu ut tanquam praesidium catholicae fidei in Germania meridionali conclamatus sit. Celeberrimae sane extiterunt disputationes, quas Pragae cum Laysero habuit, contra quem duo ponderosa volumina exaravit.

Delegatus spiritualis in bello contra Turcas ducum et militum animos verbo et fortitudine ita accendit, ut omnium sententia Albae Realis victoria ei fuerit tributa. Ad christianae religionis quam maxime utile foedus ineundum a Romano Pontifice et a Germaniae imperatore ad Philippum III Hispaniarum regem missus, omnium plausu et gaudio missionem susceptam feliciter implevit. Pauli V iussu ad Germaniae et Bavariae reges et apud

2) S. Laurentium linguam graecam, hebraicam, chaldaicam, syriacam calluisse clare apparet ex operibus manuscriptis, abhinc edendis. Linguam germanicam vero iam ab anno 1602 bene loquebatur ex testimonio Fr. Ruphini Prov. Helvet., qui eodem anno novitius erat Uraniae. En eius verba: « Er hat ziemlich gut deutsch geredet ». Cf. St. Fidelis-Glöcklein vol. I, pag. 171-172. Idem referunt plures Processus et omnes fere biographi, quos infra citabimus; qui etiam adiungunt ipsum bene locutum esse alias linguas, gallicam nempe, hispanicam, slavicam ed albanensem. At de his fusius alibi.

3) Cf. Compendium vitae, virtutum et miraculorum B. Laurentii a Brundusio ex tabulario S. Rituum Congregationis, Romae 1881, pag. 6. — P. Emmanuel Neapolitanus in libello a P. Bonaventura a Sorrento edito: Il Cappuccino S. Lorenzo da Brindisi al cospetto di Napoli e dei Napoletani, pag. 13. S. Agnello di Sorrento 1881, et omnes biographi.

4) Cf. Compendium vitae etc. pag. 6 et alii plurimi.

italicos principes legationibus functus, subversam pacem restituit. Minister pacis ab eodem Pontifice ad regem Hispaniarum missus et Ulissiponem profectus, in ea civitate laboribus fractus ac plenus meritis occubuit die 22 Iulii anno 1619. « Ad eius obitum tota prope Europa ingemuit. Certe rex Hispaniarum catholicus non minus se de eius morte quam sui parentis dolere testatus est. Luxit eandem Summus orbis christiani Pater et Pontifex Paulus V; luxere purpurati Romae Patres et Ecclesiae Principes Cardinales ».[5] Defuncti funera in omnibus fere Europae civitatibus ingenti populorum concursu celebrata fuere. Virtutibus et miraculis clarum Pius VI anno 1783 inter Beatos, Leo vero XIII anno 1881 inter Sanctos adnumeravit.[6]

DE OPERIBUS S. LAURENTII.

Quamvis S. Laurentius omnem fere vitam tot tantisque oneribus magisterii, gubernii et ministerii insumpserit, momenta nihilominus negotiis libera, more magnorum, lectioni et scriptioni consecravit. Hinc « opera multa, devota, gravia et sapientissima »[7] nobis reliquit.

5) Raderus S. I. Bavaria Pia, pag. 168. Monachii 1628.

6) De vita S. Laurentii cf. Annales Provinciae Venetae Ord. Min. Cap. B. B. anno 1591-1653 ms. passim. — Relationes rerum notabilium Provinciae Venetae ms. vol. 3, passim. — Summaria Processuum Beatificationis. Positiones de Virtutibus, etc., Romae anno 1756. — Marcellinus de Pise, Annales Min. Cap. t. 3, anno 1619, pag. 298-350. — De Cerretto, Annales Minorum t. XXIV, pag. 58 et sqq., t. XXV. pag. 73 et sqq. — Commentariolum S. Laurentii de rebus Austriae et Boihaemiae edit. a R.mo P. Eduardo ab Alenconio Ord. Min. Cap. una cum documentis ineditis, Romae apud Curiam Generalitiam, Collegio S. Lorenzo da Brindisi, via Boncompagni, anno 1910. — Documenta inedita de secunda legatione S. Laurentii in Hispania, edita a P. Fredegando ab Antuerpia Ord. Min. Cap., Anacleta Ord. Min. Cap. anno 1919. vol. XXXV, pag. 220 et sqq.; anno 1920. vol. XXXVI, pag. 138 et sqq. — P. Angelus Maria De Rossi a Voltaggio Ord. Min. Cap., Vita del Servo di Dio P. Lorenzo da Brindisi, Roma, Bernabò 1710. — P. Bonaventura a Coccaglio Ord. Min. Cap., Vita del B. Lorenzo da Brindisi. Venezia. Simone Occhi 1783. — Gabling, Laurentius von Brindisi. Guenzburg 1783. — P. Franciscus de Ajofrin Ord. Min. Cap., Vida, Virtutes y milagros del B. Lorenzo de Brindis, Madrid. Ioachin Ibarra 1784. — La Vie du Bienheureux Laurent de Brindes, par un Académicien des Arcades de Rome. Avignon 1784. — F. Erhardus a Radkerspurg Min. Gen. Ord. Min. Cap., Vita del B. Lorenzo da Brindisi, seconda edizione. Venezia, Simone Occhi 1785. — P. Rochus a Cesinale Ord. Min. Cap., Storia delle Missioni dei Cappuccini T. I, pag. 317 et sqq., Parigi, Lethellieux. — P. Bonaventura a Sorrento Ord. Min. Cap., Il Cappuccino S. Lorenzo da Brindisi al cospetto di Napoli e dei Napoletani. Memorie Storiche, S. Agnello di Sorrento 1881. — P. Laurentius ab Aosta Ord. Min. Cap., Vita di S. Lorenzo da Brindisi (translatio ex lingua gallica), Roma, Poliglotta 1881. — F. Antonius Brennan Ord. Min. Cap., Life of S. Lawrence of Brindisi apostle and diplomat, R. Et. T. Washbourne L. T. D., Paternoster Row, London, 1911. — P. Athanasius Eisler Ord. Min. Cap., Apostel, Feldherr und Diplomat, Wien Kapuzinerkloster 1926. — Pastor Ludovicus, Geschichte der Päpste vol. XI, pag. 281-82; vol. XII, pag. 200, Freiburg im Breisgau, Herder 1927. — Plures alii. Documenta tamen nova iam a nobis inventa sunt, quae suo tempore publici iuris fient.

7) P. Bernardus a Bononia, Bibliotheca Scriptorum Ord. Min. S. Franc. Cap. pag. 167, Venetiis, Colletti 1747.

Maior pars operum a Superioribus Provinciae Venetae, instante forsan processu Beatificationis, in unum conlecta et ad Em. Cardinalem Pico Mirandolinum, Causae Relatorem, anno 1725 missa,[8] per S. Rituum Congregationem revisa est.[9] Haec quidem opera in Archivo nostro Venetiarum custodiuntur,[10] exceptis sex litteris familiaribus ad D. Franciscum Ceratto missis. Reliqua S. Laurentii scripta alia in aliis archivis, bibliothecis, reliquiariis asservantur.

En elenchus operum, quae manuscripta nobis innotuerunt:

1.° Explanatio in Genesim [idest, in tredecim priora capita Geneseos] vol. in oct. 22×16 pag. 538. (P. 6. Fasc. 1); latine.[11]

2.° Dissertationes adversus Lutherum et Layserum latine, hebraice et graece exaratae, vol. in parv. folio 34×22 pag. 760. (P. 6. fasc. 2); latine.

3.° [Dissertationes] adversus Lutherum et Layserum dogmatice exaratae et responsio ad libellum Layseri, vol. in parv. fol. 34×22 pag. 660. (P. 6. fasc. 3); latine.

4.° Mariale, Sermones de Virgine Deipara, in parv. fol. 30×20 pag. 264. (P. 5. fasc. 2); latine.

5.° Quadragesimale, in parv. fol. 34×24 pag. 526; desinit feria V Dominicae 3[ae]. (P. 5. fasc. 11); latine.

6.° Quadragesimale, in parv. fol. 34×24 pag. 340; incipit feria VI Dominicae 3[ae]. (P. 5. fasc. 10); latine.

7.° Quadragesimale, in parv. fol. 30×21 pag. 324. (P. 5. fasc. 12); latine.

8) Cf. Nota opusculorum per Ven. Servum Dei P. Laurentium a Brundusio Ord. Min. Cap. exaratorum, etc. Haec nota invenitur in Arch. Cap. Prov. Venetae A. C. P. 6. adnexa ad « Copia del Processo formato in Venezia ». Tempore processus inclusa in arca lignea Romam cum operibus S. Laurentii a Rev.mo Patriarcha Venetiarum missa est.

9) In regestis decretorum S. Rituum Congr. anno 1734.

10) Nescimus praecise quando haec opera Provinciae Venetae restituta sint. P. Bernardus a Bononia (l. c.) dicit quod suo tempore (anno 1747) Romae servabantur. Idem affirmat (an. 1784) Franciscus de Ajofrin op. cit. pag. 84; forsan repetit ea quae Bernardus a Bononia retulerat. Nunc una cum Biblia latina (ed. Antuerpiae, Plantini 1574) a S. Laurentio adhibita aliisque rebus ad ipsum pertinentibus custodiuntur in armario separato.

11) Tituli assignantur prout manuscripti extant in dorso vel in I folio codicum. His titulis semper adiunguntur verba « Manu propria » (S. Laurentii), vel « Manu propria eiusdem » quae certe ab aliis post an. 1734 scripta sunt. Verba signo [. .] inclusiva ad claritatem adiecimus; et vero quae signo (. .) clausimus in sigillo codici impresso inveniuntur, et significant miscellanea et fasciculum. Dimensiones codicum indicatae externae sunt. In citandis postea codicibus numero arabico titulis praeposito utemur. Descriptionem vero completam uniuscuiusque codicis ad introductionem specialem amandamus.

8.° Adventus, in parv. fol. 34×24 pag. 204. (P. 5. fasc. 8); latine.
9.° Adventus, in parv. fol. 32×22 pag. 160. (P. 5. fasc. 9); italice.
10.° Dominicale, in parv. fol. 34×24 pag. 178. (P. 5. fasc. 4); latine.
11.° Dominicale, in parv. fol. 33×22 pag. 160. (P. 5. fasc. 5); latine.
12.° Dominicale, in parv. fol. 29×20 pag. 120. (P. 5. fasc. 6); latine.
13.° Sanctorale, in parv. fol. 34×24 pag. 198. (P. 5. fasc. 1); latine.
14.° Silva Isagogica in conciones Adventus, in parv. fol. 32×22 pag. 65. (P. 5. fasc. 7); latine.
15.° Conciones Annuales super Evangelia, in parv. fol. 29×22 pag. 164. (P. 5. fasc. 3); italice. [12]
16.° Quadragesimale et Adventus, in parv. fol. 32×22 pag. 476; latine. [13]
17.° Conciones (aliquae), in parv. fol. 81×22 pag. 100; italice. [14]
18.° De rebus Austriae et Boihaemiae commentariolum; italice. [15]
19.° Sermo de B. P. Francisco; italice [16]
20.° Accedunt Epistolae quadraginta, quarum una ad Prof. Marcum Antonium Bonciarium, latine; [17] undeviginti ad P. Rhemigium Guardianum Monachii; duae ad Guardianum Augustae; duae ad P. Damianum a Venetiis, aliae duae Patrem ignotum, italice; [18] octo de negotiis suarum legationum, italice; [19] una ad P. Mathiam a Salò, italice; [20]

12) Opera adhuc recensita revisa fuere a S. Rituum Congr., et in arch. nostro Venetiarum servantur. Nescimus quare Bernardus a Bononia omittat Mariale N. 4 et Quadragesimale N. 7.

13) Codex asservatur Brundusii in bibliotheca archiepiscopali De Leo. Primus de eo loquitur Can. Paschalis Camassa in opusculo « Brindisini Illustri », ed. 1909 pag. 30. Optime eum recensuit P. Bernardinus Sderci a Gaiole Ord. Fr. Min., primum in ephemeride « La Verna » Aprile-Maggio 1913 num. 11-12, deinde in opusculo « Intorno ad un autografo di Sermoni di S. Lorenzo da Brindisi con un saggio dei medesimi », ubi invicte etiam vindicat authenticitatem autographi. Hic codex a nobis transcriptus et revisus est.

14) Hae conciones in Archivo Provinciali Min. Capuccinorum Vindobonae servatae a P. Albino a Thüringerberg Ministro Provinciali Provinciae Vindobonensis nobis benigne missae sunt.

15) Ms. servatur Bergomi in Archivo Min. Capuccinorum. Editum est a P. Eduardo Alenconiensi. Cf. supra nota 6. Recensetur a Sbaralea in « Supplementum et castigatio ad Scriptores trium Ordinum S. P. Fr. » vol. 2, pag. 166, col. 1-2.

16) Sermo invenitur Venetiis in reliquiario Ecclesiae S. Thomae (S. Tomà).

17) Cf. Analecta Ord. Min. Cap. vol. 13, pag. 254. Reportata fuit ab ephemeride « L' Eco di S. Francesco », an. 1897, num. 12.

18) Hae litterae servantur in reliquiario Conventus Min. Capuccinorum Oenipontani.

19) P. Eduardus ab Alenconio op. cit. pp. 40, 41, 42, 44, 51, 53.

20) Id. ibid. pag. 15, nota 2.

una ad Maximilianum Bavariae Ducem, italice;[21] tres ad Em. Dom. Cardinalem M. Borghese;[22] una ad D. Petrum Toletanum, italice.[23]

21.° Ordinationes pro Fratribus Provinciae Helveticae, italice.[24]

Haec opera genuina et integra esse, ipsius S. Laurentii manu conscripta indubie constat non modo testimoniis extrinsecis,[25] quae abunde sufficerent, verum etiam criteriis intrinsecis. Enimvero, si pauca excipias eorum quae sub nn. 20, 21 recensuimus, omnia examini rigoroso et improbo subiecta comparavimus cum manuscriptis ad ipsum certo spectantibus, ut sunt ea quae a S. Rituum Congregatione recognita et revisa fuerunt. Omnium idem stylus et character, idem loquendi usus, idem concipiendi et loquendi modus, eadem generatim breviandi ratio; correctiones hinc inde, additiones, notae marginales eadem manu semper appositae; omnia demum religiose ut reliquiae servata.

At praeterea alia quaedam opera nondum a nobis detecta S. Laurentio tribuuntur. Et quidem:

1.° Sex Epistolae familiares ad Franciscum Ceratto (italice), quae memorantur in elencho operum a S. Rituum Congregatione revisorum.[26]

2.° Epistolae quatuor quas S. Laurentius, dum esset Minister Generalis, misit ad universos Religionis fratres pro perfecta seraphicae Regulae observantia.

3.° Expositio in Ezechielem prophetam.

4.° Tractatus de modo concionandi, in quo assignantur multae regulae neopraedicatoribus necessariae.

Quae numeris 2-4 recensentur, S. Laurentio adscribuntur tum in utraque Bibliotheca Scriptorum Ord. S. Francisci Capuccinorum,[27] tum ab aliis auctoribus iam laudatis.[28]

21) Cf. Bonaventura a Sorrento op. cit. p. 28, nota 16.

22) Extant in Bibliotheca Vaticana - Barberini Latine 7051 - Germania - Diversi LXXXIV-10.

23) Franc. de Ajofrin op. cit. pag. 371-372.

24) Archivum Prov. Helv., Lucernae, sign. 4 y, 5. Hae ordinationes aliena manu scriptae a S. Laurentio tantum subsignatae sunt.

25) Cf. supra dicta praesertim in notis 8-18. Ceterum amplior documentatio praefationi speciali reservatur.

26) Regesta S. Rituum Congreg. an. 1734. Hae litterae ubi nunc extent, nondum comperire potuimus.

27) Cf. Dionysius Genuensis, Bibliotheca Scriptorum Ord. Min. S. Fr. Cap., editio altera, Genuae 1691, Franchelli pag. 318-21; Bernardus a Bononia op. cit. P. Dionysius fatetur ea se vidisse.

28) Sbaralea op. cit. l. c.; P. Franciscus de Ajofrin op. cit. l. c.; P. Laurentius ab Aosta op. cit. l. c., qui adiungit etiam dimensionem in 4; illum forsan sequitur Fr. Antonius Brennan op. cit. l. c.

Existimant nonnulli[29] S. Laurentium vel solum vel una cum aliis auctoribus compilasse etiam opus quod dicitur « Direttorio di Diritto », ex quo prodierit « Modus procedendi » pro Ord. FF. Min. S. Francisci Capuccinorum.

Coniiciendum quoque videtur S. Laurentium earum, quae a Summis Pontificibus, Imperatoribus et Principibus ei concreditae erant, legationum relationes scripto exarasse. Insuper constat multas eius epistolas, imo vel opera quoque maiora diversis locis, Ecclesiis et viris illustribus a Superioribus donata fuisse.[30] Unde spes nobis affulget inveniendi plura S. Laurentii scripta adhuc ignota.

Lingua qua usus est S. Laurentius in suis operibus, si pauca excipias, est latina et quidem facilis, elegantis et classicae formae, praesertim in scriptis polemicis et sermonibus; unde nescimus quomodo plerique[31] eum lingua italica multa scripsisse affirment.

Ceterum de S. Laurentii vita, scientia, operibus aliisque quae ad eum spectant quaestionibus in fine tandem editionis nostrae disputabimus, tum quia documentis iamiam conlectis alia plura ex archivis nondum inspectis adiicere speramus, tum quia completa demum editione synthesim omnium rerum veriorem et perfectiorem efformare poterimus. Sufficiat igitur hoc loco ea de ratione editionis huius proponere, ex quibus benevolus lector methodum a nobis adhibitam plene perspiciat.

DE RATIONE ET METHODO EDITIONIS.

Tentamina priora. - Cum opera S. Laurentii, praecipua saltem, magni sint ponderis, mirum videtur ea omnia fere inedita et pene ignota in archivis et bibliothecis mansisse. Rationes tamen dolendi istius fati non est cur

29) Cf. A. Cesinale op. cit. vol. I, pag. 327, nota 4. Ceterum prima dispositio a S. Laurentio qua Ministro Generali universo Ordini data tractat de observando « Modus procedendi ». Cf. Annales Prov. Venetae B. B. 1602, f. 26, ms.

30) Exemplum typicum habes in « Quadragesimale » brundusino, quod prius ad Fr. Simonem tridentinum pertinebat, postea ad bibliothecam Cap. Tridenti transiit, demum a Provinciali Provinciae Venetae dono datum est Exc.mo D. Francisco Disultaut.

31) Sbaralea op. cit. l. c.; etiam P. Laurentius ab Aosta op. cit. pag. 311 dicit unum Quadragesimale italice scriptum esse. P. Antonius Brennan op. cit. appendice I, exceptis dissertationibus adversus Lutherum et Layserum, alia omnia italice scripta recenset!

hic investigemus, cum iam dudum eas indicaverint Patres Bernardus a Bononia,[32] Franciscus de Ajofrin[33] et Eduardus ab Alenconio.[34]

Ipsum S. Laurentium duo saltem volumina adversus Lutherum et Layserum prelo destinasse suo loco ostendetur. A publicatione tamen destitit ne Laysero mortuo insultare videretur.[35] Ignoramus an alia opera publici iuris facere intenderit. Decursu tandem temporis eorundem editionem multi meditati,[36] quidam fere aggressi sunt;[37] ast difficultatibus omnis generis pressi, ab incepto destiterunt. Hactenus, quod quidem nos comperimus, haec tantummodo in lucem prodierunt:

1.° Commentariolum de Rebus Austriae et Boihaemiae.[38]

2.° Sermo primus ex « Mariale »: *Signum magnum*, etc.[39]

3.° Sermo ex « Quadragesimale » brundusino feriae II. infra Dominicam II.[40]

4.° Sermo ex « Dominicale » Dominicae in Albis.[41]

5.° Epistolae octo de negotiis suarum legationum et epistola ad P. Mathiam a Salò.[42]

6.° Epistola ad Prof. Marcum Antonium Bonciarium.[43]

7.° Epistola ad D. Petrum Toletanum, quam P. Franciscus de Ajofrin non quidem italice edidit, sed hispanice vertit.[44]

32) Op. cit. « Lectori » pag. 8.

33) Op. cit. pag. 85.

34) Bibliotheca Mariana Ord. Min. Cap., Dissertatio de Prima Bibliotheca Scriptorum Ord. Min. Cap., Romae 1920, pag. 94, col. 2.

35) Cf. Commentariolum etc. pag. 21.

36) Cf. Franciscus de Ajofrin op. cit. pag. 85; Bonaventura a Sorrento op. cit. pag. 77; Laurentius ab Aosta op. cit. pag. 310; Bernardinus Sderci op. cit. pag. 7; alii plurimi.

37) In Archivo nostro extant aliquae transcriptiones, ex Mariali praesertim, quae typis destinatae erant. P. Franciscus de Beneyac circa annum 1880 eo fine nostrum Archivum invisit. Sic itidem P. Hilarinus a Lucerna anno 1897, qui aliis laboribus pressus ab intento recessit. Anno vero 1916, bello ingruente, Rev.mus P. Seraphinus ab Utino Min. Prov. opera edenda commisit D. Iosepho Perugi, qui aliqua passim transcripsit; at ea occasione vel ipsa manuscripta amitti periclitabantur; transcripta etiam tot scatent erroribus, ut nullo prorsus auxilio nobis sint.

38) Edidit P. Eduardus ab Alenconio, optime. Cf. supra nota 6.

39) Editus est in ephemeride « Eco di S. Francesco » vol. VIII (1880) pag. 276-283, bene.

40) Editus a Bern. Sderci op. cit.

41) Editus in ephemeride « Italia Francescana » fasc. I, an. 1926, p. 39, ex transcriptione Iosephi Perugi. Cf. nota 37.

42) Editae a P. Eduardo ab Alenconio. Cf. nota 17.

43) Cf. supra notae 19, 20.

44) Op. cit. pag. 371-72. Tempore auctoris servabatur ab Exc.mo D. Iosepho Alvares de Toledo.

8.° Ordinationes pro fratribus Provinciae Helveticae, quarum versionem germanicam, antiquissimam utique, P. Anastasius ab Illgau publicavit.[45]

Editio nostra. - Quod eheu alii nondum perfecerunt, nos divino auxilio fretos perfecturos esse speramus. A pluribus iam annis consilio edendorum operum mentibus nostris obversante, ad opus ingens nos accinximus praeparare studiis paleographicis. Anno 1926 cum Capitulum FF. Min. Capuccinorum generale Romae celebrandum instaret, optimam nactus occasionem propositum operum edendorum P. Provincialis Venetiarum aperuit R.mo P. Iosepho Antonio Ministro Generali Ordinis. Cum is summo plausu propositum approbaret, opusculum illustrativum[46] parandum curavimus, quod Patribus Capitularibus congressuris speciminis gratia offeremus. Omnibus usque ad unum applaudentibus ac maxime cohortante neoelecto Ministro Generali R.mo P. Melchiore a Benisa[47] in nostra Veneta Provincia constitutum est Collegium Patrum, qui huic ponderoso operi sese devoverent. Idem vero Minister Generalis Revisores designavit doctissimos viros Reverendissimos Patres Eduardum ab Alenconio et Hilarinum a Lucerna, quorum auctoritas omnibus nota est. Nunc demum, post duos fere annos acris sane laboris primum volumen laetantes in lucem proferimus.

45) In ephemeride St. Fidelis-Glöcklein, Lucernae 1909, p. 162-165. Exemplar originale italicum, de quo iam diximus, servantur in Archivo Provinciae Helveticae.

46) Titulus fasciculi sonat: Editio operum S. Laurentii a Brundusio, pro manuscripto, Patavii, Typis Seminarii 1926, cum tribus tabulis photographicis.

47) Cf. Anacleta Ord. Min. Cap. an. 1926, vol. XLII, pag. 197, colum. 2.

INTRODUCTIO IN PRIMUM VOLUMEN

DE S. LAURENTII ERGA B. VIRGINEM MARIAM PIETATE.

Editionem operum S. Laurentii a «Mariale» exordimur, ut eam Matri Virgini commendemus, erga quam Auctor tenera pietate affectus erat. Quam quidem pietatem comprobant praeclarissima vitae et operum documenta. Cum a Deipara plura eaque maxima beneficia, omnem nimirum scientiam suam, donum praesertim linguae hebraicae, [1] imo vitam ipsam [2] accepisse fateretur, singularis et ardentissimus eius cultor extitit. Quanta reverentia quantoque amore eam prosecutus sit vix exprimi potest. Mariae nomen semper in corde et ore habuit. Mente saepius in ea contemplanda rapiebatur, atque de ea cogitans vel loquens nihil eorum quae circa se evenirent percipiebat. [3] Iter faciens Virginis praeconia, praeter cetera, Petrarchae illam in Deiparam laudem [4] concinere, maiora difficilioraque negotia eius patrocinio commendare, ab eaque felicem repetere exitum solebat. Officium Deiparae quotidie recitandi, Missamque de ea ex indulto celebrandi mos illi constans fuit. [5] Nunquam fere ad populum concionabatur quin de Virgine loqueretur; in sermone vero tanto rapiebatur ardore,

1) Cf. Fr. Ruphinus a Baden Argoviae in «Erzählungen» ed. in ephemeride St. Fidelis-Glöcklein. Lucernae an. 1909-1916, vol. I, pag. 183 seq.

2) Cf. Summarium Processus pag. 100; P. Rochus a Cesinale op. cit. pag. 325.

3) Cf. Annales Prov. Venetae ms. an. 1613-1650, vol. III, pag. 59. — Processo di Venezia ms. an. 1625 in Arch. Prov. Venetae pag. 3.

4) Cf. Annales Prov. Venetae ibid.

5) Cf. Annales Prov. Venetae et Processo di Venezia loc. cit.

ut nec ipsa usque ad sanguinem vellicatio a fervoris impetu distraheret.[6] Ad Hebraeos concionem habiturus ante eius imaginem sic ferventer orabat, ut uberrimus lacrimarum fons non tantum genas sed etiam eius vestem velut imbre irrigaret.[7] Fratres et populum benedicens sanctissimo nomini Iesu nomen Virginis adiiciebat, litterasque principibus etiam inscriptas plerumque his vel similibus verbis absolvebat: « Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria ».[8] In tenerrima demum Deiparae invocatione animam Deo reddidit.[9]

Ceterum S. Laurentii erga B. Virginem pietatis nullum clarius argumentum quam « Mariale » hoc quod edendum suscepimus. Cuius quidem respectu inspiciendum est quantum, quid et quomodo scripserit.

Quoad primum, indicem sermonum enumerantes recensemus in Visionem S. Ioannis sermones septem, super *Missus est* sexdecim, in Salutationem Angelicam decem, in Canticum Virginis item decem, super *Beatus venter* quinque, super *Fundamenta eius* sex, super Salve Regina sex, in Conceptionem Immaculatam undecim, in Purificationem sex, in Visitationem duos, in Festum S. Mariae ad Nives duos et in Assumptionem tres: omnes universi octoginta quatuor. Haud facile putamus tam copiosam sermonum collectionem in B. Virginem inveniri posse.

Quoad secundum, summaria sermonum percurrentes inveniemus omnia quae de Virgine dici possunt vel pertractasse S. Laurentium profunde vel attigisse. Incipiendo enim e sublimi illa consideratione silentii Scripturarum de Virgine[10] omnem Deiparae vitam externam et internam, privatam publicamque gradatim percurrit, ut ascendat ad supremam laudem in coelesti Sion, ubi eam ad Christi dexteram collocat, imaginem naturalem, vivam, perfectam sanctitatis et bonitatis Dei « qui tale tantumque opus super omnia eius opera mirabilia mirabilissimum potuitque voluitque efficere et ad totius humani generis utilitatem efformare ».[11] Unde quamvis « Mariale » in forma tractatus compositum non sit, excellenter tamen omnia continet quae de Virgine praedicantur.

Quoad tertium, sermones hos perlegens quisque facile intelliget magis

6) Cf. P. Bonaventura a Sorrento op. cit. loc. cit.
7) Cf. Fr. Ruphinus a Baden op. cit. loc. cit. Raderus op. cit. pag. 166-168.
8) Ex epistolis supra recensitis.
9) De S. Laurentii devotione erga Virginem conferantur biographi.
10) Cf. pag. 8, 30, 590, 591 huius vol.
11) Cf. pag. 594 huius vol.

partem doctrinalem pertractari et mentem potius quam corda pelli; ita ut si vitam S. Laurentii c a n t i c u m c o r d i s erga Virginem, Mariale hoc c a n t i c u m m e n t i s appellaveris. Lingua tamen, quam in scribendo adhibuit, non impediit ne in concionando animi fervorem practicasque conclusiones aptius et vividius expresserit; [12] etenim doctrina ipsa conceptusque sublimes non ex mente tantum verum etiam ex eius corde prodierunt. Quemadmodum Ioannes, qui supra pectus Domini recubuit, [13] a Sacratissimo corde Iesu arcana Verbi hausit et patefecit; [14] sic S. Laurentius magnitudinem Deiparae contemplans omnem eius pulcritudinem, gratiam et gloriam eruit. Nonnunquam vero fervore ex subiecta materia erumpente tenerissimis verbis Deiparam salutat et invocat; [15] centum fere nominibus ad eam honorandam utitur eique plusquam octoginta figuras accommodat ex textu hebraico praesertim desumptas [16]

Non omnes hi sermones eiusdem sunt valoris; nonnullae in eis ideae et Scripturae textus saepius repetuntur, vel prolixius exponuntur, cum S. Auctor eos non eodem tempore scripserit neque prelo omnes destinaverit. Quae tamen affirmat solide semper probat; conceptus ubique sunt elevati et cognitio Scripturarum extraordinaria ostenditur. Iure merito demum concludere audemus S. Laurentium hoc opere Deiparae Virgini monumentum suae pietatis aere perennius exegisse.

DE MARIALIS CODICIBUS ET DIVISIONE.

Hoc volumen complectitur « Mariale » proprie dictum et alios quosdam sermones de B. Virgine aliunde tractos. « Mariale » proprie dictum continetur in codice sub N. 4 in elencho operum [17] recensito. Constat 132 foliis, idest 264 paginis, quarum 40 hinc inde in textu albae sunt; magnitudine externa 30×20, interna descripta 27×15; charta est phylacea subflavii

12) Cf. Bernardinus a Gaiole op. cit. pag. 7.

13) Cf. Io 21. 20.

14) Cf. Brev. Rom. in festo S. Ioan. 2 resp. ad 1 Noct.

15) Cf. ex. gr. Sermo IV super *Missus est* pag. 102, Sermo I in Salutationem Angelicam pag. 170-173, Sermo II in Assumptionem pag. 591.

16) Cf. Index verborum et rerum notabilium verbo « Maria » *nomina, figurae*.

17) Cf. Praef. in ed. univ. pag. X.

coloris; scriptura parva, plerumque densissima cum frequentibus et aliquando arbitrariis abbreviationibus. Quae in margine hinc inde adiiciuntur a manu Auctoris provenire indubium est. Codicis charta membranacea religati inscribitur pars dorsalis alia quidem manu: « Mariale Adm. Rev. P. Laurentii a Brundusio concionat. Cap.[ni], manu propria ». Tempus quo « Mariale » scriptum sit definire haud possumus; inter prima tamen Auctoris opera reponendum videtur.

In hoc « Mariale » proprie dicto prostant sermones quinquagintanovem cum exordio uno, nempe: tractatus I, sermones septem in Visionem S. Ioannis Evangelistae, fol. 1-20; (citantur hic folia manuscripti); tractatus III, sermones decem in Salutationem Angelicam, fol. 50-74; tractatus IV, sermones decem in Canticum Virginis Deiparae, fol. 84-98; tractatus V, sermones quinque super *Beatus Venter*, fol. 99-106; tractatus VI, sermones sex super *Fundamenta eius*, fol. 108-128; tractatus VII, sermones sex super Salve Regina, fol. 76-82. Insuper sermones octo tractatus II super *Missus est*, idest IV, fol. 129; V, fol. 130; VII, fol. 45; VIII, fol. 43-44 *a*; XII, fol. 45; XIII, fol. 46-49; XV, fol. 44 *b*; XVI fol. 131; sermones tres in Conceptionem Immaculatam: I, fol. 24-27; VII, fol. 30-32; IX, fol. 28-29; sermones tres in Purificationem: I, fol. 35-37; IV, 38-39 *a*; V, fol. 39 *b*; sermo S. Mariae ad Nives, II, fol. 132; tandem exordium ad calcem I sermonis in Assumptionem impressum, fol. 40.

Sermones alii vigintiquinque cum uno exordio huic volumini inserti desumuntur ex aliis S. Laurentii operibus, nempe:

Ex « Quadragesimale » sub N. 5 recensito, sermones tres in Purificationem: idest II, fol. 1-2; III, fol. 3-4; VI, fol. 5.

Ex « Quadragesimale » sub N. 6 recensito, sermones sex tractatus I super *Missus est:* I, fol. 160; II, fol. 159; III, fol. 156; VI, fol. 158; XI, fol. 157; XIV, fol. 155.

Ex « Quadragesimale » brundusino sub N. 16 recensito, sermones duo tractatus II super *Missus est*, IX, fol. 186 *b*-187; X, fol. 187 *b*-190 *a*.

Ex « Adventus » sub N. 8 recensito, sermones quinque in Immaculatam Conceptionem, II, fol. 44-45; V, fol. 46-47 *a*; VI, fol. 47 *a*-48 *b*; X, fol. 48 *b*; XI, fol. 49.

Ex « Sanctorale » sub N. 13 recensito, sermones duo in Visitationem: I, fol. 64-65; II, fol. 57; in Festum S. Mariae ad Nives: sermo I, fol. 66-68 *a*; in Assumptionem sermones tres: I, fol. 75-78; II, fol. 79; III, fol. 80 et exordium unum, fol. 78 *b*.

Ex « Silva Isagogica » sub N. 14 recensito, sermones tres in Conceptionem Immaculatam, III, fol. 27-28; IV, fol. 31-32; VIII, fol. 29-30.

Codices manuscripti e quibus desumpsimus hos viginti quinque sermones, loco suo describentur.

Complexive ergo in hoc volumine continentur sermones 84 et exordia duo.

Volumen divisimus in duas partes. In prima parte ordine iam indicato posuimus sermones qui pertractant atque exponunt certas quasdam pericopas scripturisticas vel liturgicas; in parte secunda sermones in praecipua Festa Deiparae Virginis iuxta annum ecclesiasticum dispositos. Ordinem sermonum in codicibus servatum invertimus, ut prospectus historicus et logicus servarentur. Singulis tractatibus pericopen quae ab Auctore exponitur integram retulimus, et cuilibet sermoni synopsim generalem adiecimus. Textus vero in capite sermonum positi Auctoris sunt.

DE METHODO EDITIONIS.

TEXTUS. - Omni studio curavimus ut textus originalis fideliter omnino exhiberetur; hunc in finem exemplar transcriptum a duobus Patribus separatim revisum, dein prelo subiectum denuo cum originali collatum est. Ita sane perfectam conformitatem nos adeptos esse censemus. Aliqua menda, lapsui utique calami tribuenda, correximus, in calce vero trascriptis verbis ut sunt in manuscripto; ea quae desiderabantur et claritati textus vel necessaria vel utilia existimavimus signis graphicis quadratis [...] inclusimus. Verba Sacrae Scripturae hebraica et graeca latinis litteris conscripta eorumque latinas translationes necnon operum laudatorum titulos distinximus typis cursivis; verba Sanctorum Patrum aliorumque Scriptorum inter virgulas graphicas « .... » posuimus. Nomina Auctorum et verba quae ab Auctore postea explicantur et qua divisionalia consideranda sunt charactere spatioso discrevimus. Hebraica verba litteris hebraicis scripta uti sunt in originali reliquimus cum signis vel sine signis vocalibus.[18] Itidem verba hebraica latinis litteris transcripta intacta reliquimus, licet Auctor non sibi

18) Quattuor tantum vicibus posuimus puncta vocalia, cf. pag. 44.

semper constans fuerit.[19] Sane diversae in hac re sunt doctorum opiniones.[20] Eodem modo usi sumus pro graecis verbis; notandum vero S. Laurentium ad pronunciationem quod spectat reuklinianae scholae adhaesisse.[21] Attamen differentias cum textu si quae adessent subnotavimus, hanc provinciam profundiori studio reservantes. Ad orthographiam quod attinet, Forcellini-Perin[22] ut plurimum secuti sumus. Ceterum pauca tantum verba antiquam graphiam praeseferunt in manuscripto.[23]

Interpunctio. - Cum S. Laurentius cursim absque interruptione quasi semper scripserit, et periodos fere nunquam punctis distinxerit, interpunctio nobis incumbebat. Partes praecipuas numeris romanis, alias minoris momenti interruptione lineae divisimus. In aliis interpunctionis signis communem methodum observavimus.

Adnotationes. - Ad sensum Auctoris clarius exhibendum, notas marginales adiecimus ita sese excipientes ut quasi breviarium sermonis efficiant. Locos Sacrae Scripturae, Patrum aliorumque Auctorum in calce adnotavimus numeris continuis pro unoquoque sermone. Quoad verba Scripturae pro textu latino Gramatica[24] et Hetzenauer,[25] pro textu graeco Hetzenauer,[26] Kittel[27] pro hebraico consuluimus. Patres et Scriptores Ecclesiasticos secundum editionem Migne ita citavimus ut litterae P. L. « Patres Latini », P. G. « Patres Graeci » legendae sint, et prior numerus semper tomum, secundus vero columnam, aut ubi adsit, numerum crassiorem a Migne textui insertum significet; S. Ephraem Syrum, a Migne non editum, secundum editionem J. Assemani tradimus.[28] Discrepantias cum textu Scripturae, Patrum et Auctorum, si quae adessent, adnotavimus.[29] Alias etiam notas

19) Ex. gr. litt. שׁ transcribit aliquando *s* tantum: salom, iesuhah, pag. 369; aliquando *sc:* isc, pag. 373; aliquando *sch:* scham pag. 372; litt. כ aliquando *c:* col; aliquando *ch:* bach, p. 378; et sic pro ח et צ. cf. specialim tractatus VI super *Fundamenta eius*.

20) Cf. Grammaticae hebraicae Schilling, Vosen, Scerbo, Gismondi S. I., Valente M. I., Grammatica della lingua ebraica senza segni massoretici. Torino S. E. I. 1923.

21) Cf. p. 350. 356 et alibi pluries.

22) Lexicon totius latinitatis, Furlanetto, Corradini, Perin curantibus. Patavii, Typis Seminarii. — Onomasticon totius latinitatis Perin. Patavii, Typis Seminarii 1913-20.

23) Ex. gr.: charus, charitas, author, Moises, choriphocus, Apocalipsis, et alia.

24) Bibliorum Sacrorum iuxta Vulgatam Clementinam nova editio. Mediolani, Ghirlanda 1922.

25) Biblia Sacra secundum Vulgatam Clementinam. Ratisbonae, Fr. Pustet 1922.

26) Novum Testamentum graece, editio 2. Oeniponte Wagneriana 1904. Pro V. T. consuluimus F. Vigouroux, La Sainte Bible Polyglotte. Paris.

27) Biblia hebraica Lipsiae Hinrichs. Consuluimus etiam Vigouroux op. cit.

28) Venetiis, Gerardi 1755-56.

29) Nemo miretur si multae sint variantes praesertim in citationibus scripturalibus, cum Auctor evidenter ex memoria saepissime citaverit.

apposuimus, quas opportunas iudicavimus ad sensum magis enucleandum vel ad facta historica constabilienda, parcissimas tamen ne textum nimis gravaremus. Modum citandi modernum secuti sumus. Indices duos adiecimus, unum synthetico-analyticum sermonum, alium nominum et rerum notabilium. In hoc altero indice conficiendo verba et nomina ut plurimum relate ad Deiparam Virginem respeximus. Sic uno velut prospectu habentur omnia quae de Matre Dei in volumine continentur.

Quantum laboris in praeparanda perficiendaque editione consumpserimus, omnes qui huiuscemodi studiis incumbunt facile perspicient. Undique difficultates nobis obfuerunt. Textus originalis, licet bene generatim conservatus, saepius lectu difficillimus est. Interpunctio, divisio, notae marginales, cum, ut diximus, textus sine punctis plerumque densissime scriptus sit, analysim minutissimam, assiduam intentamque exegerunt. Citationes quoque inveniendae opem operamque multam postularunt, cum S. Laurentius ex memoria saepissime auctorem tantum vel opus, aliquando neutrum indicaverit. Tandem in componendis et corrigendis foliis typicis plurimum insudavimus. Omnem profecto curam adhibuimus ut editionem, quantum fieri possit, perfectam exhiberemus; perfectionem vero nos attigisse sperare non audemus. Doctiorum igitur iudicio opus nostrum subiicimus, pergrato animo eorum animadversiones accipere parati.

Confratribus nostris et amicis hanc editionem operum « Scriptorum nostrorum gloriosi Antesignani » offerimus ob memoriam quarti exeuntis saeculi a Reformatione Ordinis Min. Capuccinorum.

Remanet ut lectissimas gratias rependamus omnibus qui nobis auxilio quoquo modo fuerunt, maxime vero Rev.mis Patribus Eduardo ab Alenconio et Hilarino a Lucerna, qui non tam revisores quam consiliarii et conlaboratores fuerunt; necnon praeclarissimo Domino Directori Typographicae Officinae Seminarii Patavini, qui editioni absolute edendae et illustrandae totis viribus adlaboravit.

Venetiis ex Conventu SS. Redemptoris calendis martiis anno 1928.

PATRES EDITORES

PRIMA PARS

DE LAUDIBUS ET INVOCATIONE VIRGINIS DEIPARAE

SERMONES

1. – **In Visionem S. Ioannis Evangelistae.**
2. – **Super:** *Missus est.*
3. – **In Salutationem Angelicam.**
4. – **In Canticum Virginis Deiparae.**
5. – **Super:** *Beatus venter.*
6. – **Super:** *Fundamenta eius.*
7. – **Super: Salve Regina.**

1.

IN VISIONEM S. IOANNIS EVANGELISTAE


SERMONES SEPTEM

IN SABBATIS QUADRAGESIMAE

« Et signum magnum apparuit in coelo: mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim.

Et in utero habens, clamabat parturiens, et cruciabatur ut pariat...

Et peperit filium masculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea; et raptus est filius eius ad Deum et ad thronum eius » Apc 12, 1-5.



PRIMA PAGINA MARIALIS EX ORIGINALI TERTIO DIMINUTA

SERMO PRIMUS

Sabbato Cinerum

DE ADMIRABILITATE VIRGINIS DEIPARAE EX VERBIS VISIONIS:

Signum magnum apparuit

Signum magnum apparuit in coelo; mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, etc. [1]

I. Cum Ioannes Apostolus et Evangelista, dilectus Christi discipulus et Sanctissimae Virginis Deiparae post Christi crucem singularis filius, in Patmos insula relegatus pro Christi fide multa pateretur, ibidem etiam multis a Deo consolatus fuit coelestibus ac divinis revelationibus. Nam, ut ille ait: *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra;* [2] nam: *Secundum numerum dolorum meorum in corde meo, consolationes tuae laetificaverunt animam meam.* [2a]

Christus multis apparitionibus Ioannem consolatur.

Singulari studio Ioannes qui supra pectus Domini in coena recubuit, [3] et Mariae optimam partem elegerat quae non auferetur ab eo, [4] intentus fuit semper, post Christi Domini ascensionem in coelum, divinis contemplationibus, sed tempore tribulationis multo impensius divinis rebus operam dabat; hic enim sanctorum mos fuit. Quare cum Ioannes tunc temporis « ardentiori flamma succensus raperetur in Deum, et seraphicis quibusdam ardoribus sursum ageretur, coepit etiam divinae contemplationis dulcedine abundantius solito multoque copiosius superfundi, coelestiumque immissionum cumulatius dona sentire ». [5]

Ioannes semper contemplationibus intentus, sed praesertim tempore tribulationis.

1) Apoc 12, 1. 2) 2. Cor 1, 5. 2a) Ps 93. 19. Vulg. habet: *Multitudinem*, loc.: *Numerum*.
3) Cf. Io 21, 20. 4) Lc 10, 42. 5) Ex S. Bonaventura, *Leg. 1, S. Franc.* cp. 13.

Quare, sicut *Deus Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra*[6] consolatus illum fuit, sicut olim Iacob patriarcham visione scalae coelestis,[7] Moysem divina apparitione in rubo ardenti,[8] tres pueros in fornace ardenti angelica consolatione et coelesti refrigerio,[9] et sicut Paulum, consolationis ergo, rapuit in tertium coelum in ipsum paradisum, et coelestis gloriae visione modo ineffabili recreavit;[10] ita Ioannem multis modis consolatus fuit. Saepe, reserato coelo, ostendit ei sicut Stephano gloriam paradisi, gloriam Christi, gloriam Dei.[11] Saepe illum visione et locutione Angelorum laetum reddidit, et gaudio magno perfudit. Saepe de coelorum sublimi Salvator dulcissimus ei apparuit. Saepe etiam visione Paternae gloriae dignatus fuit. O felicem Ioannem, ter quaterque beatum, munere divinae caritatis! Quia diligebat eum Iesus.[12]

Ioannes multis modis consolatus.

B. Virgo post assumptionem Ioannem apparitionibus consolatur.

II. Unum deesse poterat Ioanni. Diligebat ipse super omnia Christum, pleno affectu, vere ex animo, ex totis praecordiis, sicut dilectissima sponsa amantissimum sponsum. Propterea visione Christi tanto gaudio perfundebatur. Sed quis nesciat quod Virginem etiam Deiparam, Sanctissimam Christi Matrem, summa pietate colebat, summa prosequebatur caritate tanquam dulcissimam et amantissimam matrem? Sciebat enim quod ab ipsa similiter tanquam filius carissimus diligebatur post Christum. Nam et Matri Christus de Ioanne dixerat: *Ecce filius tuus*, et Ioanni de Matre: *Ecce mater tua. Et accepit*, inquit, *eam discipulus in sua*:[13] accepit in propria.

Affectus Ioannis erga matrem Mariam adhuc in terris degentem.

Quid, quaeso, proprii Ioannes habebat in mundo, qui ut Christum sequeretur, omnia reliquerat, patrem etiam et matrem, imo et animam suam? Quomodo in propria accepit Virginem, Christi Matrem, qui, relictis omnibus, proprii nihil possedit? Sed affectus ostenditur. Accepit eam tanquam rem supra modum carissimam, tanquam inaestimabiles divitias, infinitumque thesaurum. Illam existimabat thesaurum suum, omnes divitias suas, omnia bona sua. Sic Ioannes Virginem Matrem magno, ineffabili, inaestimabili prosequebatur affectu.

At vero non multis annis post Christi Domini ascensionem in

6) Cf. 2 Cor 1, 3-4. 7) Cf. Gn 28, 12-16. 8) Cf. Ex 3, 2-5. 9) Cf. Dn 3, 49-50.
10) Cf. 2 Cor 12, 2-4. 11) Act 7, 55. 12) Cf. Io 19, 26. 13) Io 19, 26-27.

coelum, Maria quoque ad coelestia regna assumpta a Christo fuit, ut regina assisteret a dextris Summi Imperatoris *in vestito deaurato circumdata varietate.* [14] Nam, quintodecimo fere anno post Christum, Virgo Deipara in coelum assumpta fuit. Ioannes autem usque ad Traiani tempora vixit. Et cum a Domitiano, « horrendae crudelitatis monstro », [15] in Patmos insula relegatus fuit, iam Virgo Sanctissima in paradisum translata, ipsum superstitem in hac lacrimarum valle ad ecclesiae utilitatem, ita Christo disponente, reliquerat.

Post Assumptionem Mariae Ioannes exultat et dolet.

Sciens Ioannes Virginem in coelum assumptam et supra omnes angelicos ordines ad Christi dexteram exaltatam, non poterat non gaudere et exultare spiritu. Sed talis tantaeque Virginis conversatione dulcique solatio et divina consolatione privatus, non poterat non tristari et non suam dolere sortem. Perspectum id erat Virgini et optime notum. An putamus oblitam ipsam fuisse Ioannis? Quomodo oblivisci eius potuit, quem, Christi loco, maternis fuit visceribus tenere prosecuta? Oblitus fuit pincerna Pharaonis innocentis Ioseph in carcere, [16] ut ingratus. Maria sic oblivisci minime potuit. Quare iuvat credere quod saepe Virgo Sanctissima Ioannem de sublimi coelorum inviseret, eumque consolaretur tanquam mater carissima unicum et dilectissimum filium simulque amantissimum.

Singulari apparitione Maria in Patmos Ioannem consolatur.

III. Singularem autem quamdam apparitionem Virginis monumentis aeternis consignare voluisse visus est mihi Ioannes, dum ait: *Signum magnum apparuit in coelo: mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim.*

De Virgine Deipara hic loquitur Ioannes, ut Epiphanius, [17] Bernardus, [18] Rupertus, [19] aliique Patres sensere. Hoc ipsum Ioannes insinuasse, imo luce clarius visus est demonstrasse, dum ait quod: *Peperit Filium qui raptus est ad Deum et ad thronum eius, qui recturus* est *gentes in virga ferrea.* [20] Quibus verbis Christum procul dubio describit, Regem regum et Dominum dominantium, [21] Unigenitum Dei et Virginis Deiparae Filium. Apparuit ergo Ioanni Virgo Deipara, Mater Christi, Dei Sponsa, coelorum Regina, Domina Angelorum, coelesti gloria amicta, divinisque splen-

14) Ps 44, 10. 15) Tertul. *Apol.* cp. 5 (P. L. 1. 293). 16) Cf. Gn 40, 23.
17) Cf. *Contra Haer.* 78. (P.G. 42, 1043), et Orat. *De Laudibus Deip.* Apocrypha. (P. G. 43, 494).
18) Cf. *Sermo In Dom. inf. Oct. Assumpt. circa princip.* (P. L. 183, 1007). 19) Cf. *In Apoc.* p. 12 (P. L. 169, 441). 20) Apc 12, 5. 21) Ibid. 19, 16.

doribus irradiata, mirabili cum maiestate: *Signum magnum apparuit in coelo.*

Quid hac apparitione significetur.

Coelesti autem hac apparitione ostendere voluit Dominus Ioanni, qualem quantumque thesaurum ipsius fidei commendaverat in terra, in qua videntur repositi omnes thesauri divitiarum et gloriae empyrei coeli. Ostendere voluit per Ioannem Catholicae universali Ecclesiae, omnibus Christi fidelibus, qualis et quanta sit magnitudo et gloria Virginis Beatissimae in paradiso coram Angelis et Electis Dei; ne putaremus spretam ipsam fuisse a Deo, eo quod Spiritus Sanctus sacro quodam silentio eam in Divinis Litteris honoravit.

Pauca in Scriptura dicuntur de B. V.

Quare Moyses sileat de Angelorum natura et de paradisi gloria.

IV. Mire enim sobria et parca est Divina Scriptura in Virgine, sicut in Angelorum natura et gloria supramundani paradisi, de quibus in sua cosmogonia Moyses nec sermonem instituit, nec ipsam quidem ipsorum creationem attigit; cum de visibili mundi conditione, de terrestri paradiso, de hominis formatione, Divino Spiritu afflatus, multa protulerit, multaque Dei et hominum opera, historica plane sobrietate et veritate, monumentis aeternis consignarit. Num contempsit Moyses Angelorum et coelestis Ierusalem, cuius conditor et artifex Deus est, conditionem? Quare ergo praetermisit? Sed prudens abstinuit, quoniam quae dicenda erant, supra modum humanae mentis et rationis captum nostrique ingenii vires excedebant.

Quare Spir. S. sileat de Virgine.

Sic de Virgine Deipara, inquit Epiphanius in *Panario, haeres. 78:* « Siluit Scriptura propter miraculi excellentiam, et ne in stuporem perduceret hominum mentem ».[22] Hanc ob causam nihil dicit Divina Scriptura de parentibus Virginis, de conceptione et ortu, ut agit in Ioanne; nihil de aetate, vita, moribus, instituto, nec de morte ipsius quidquam loquitur. Sed ex insperato eam introduxit, instar magni illius sacerdotis Dei Melchisedech, regis Salem,[23] de quo Paulus ait quod fuit *sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum habens neque finem*[23a] eo quod de his nihil reperiatur in Sacra Pagina litteris exaratum. Sic divina quadam cum maiestate introductum fuit sacerdotium, tanquam coeleste quid et divinum, non humanum aut de terra exortum.

Silentio honorantur Deus et Maria.

Et sicut de Deo ait Regius Vates quod silentio laudatur: *Te decet hymnus Deus in Sion;*[24] hebr.: *Tibi silentium, laus, Deus, in Sion;* quia non possumus quidquam de Deo digne loqui, sed cum

22) N. 11 (P. G. 42, 1043). 23) Gn 14, 18. 23*a*) Hebr 7, 1-3. 24) Ps 64, 1.

silentio mirari praestat divina, quam frigide et insulse fari; sic Spiritus Sanctus, cuius afflatu *locuti sunt sancti Dei homines,*[25] sacro hoc silentio honorare voluit Deiparam, et hoc tantum proferre quod digna fuit quae Deo desponsaretur, Deique Unigenitum Filium conciperet pareretque.

Sic divina quadam cum maiestate introducta in orbem est Virgo Sanctissima: *Missus est Angelus Gabriel a Deo.... ad Virginem.... et ingressus ad* Virginem *Angelus dixit ei: Ave, gratia plena, Dominus tecum.*[26] Sic utique: *Signum magnum apparuit in coelo;* apparuit ex insperato, coelitus divinitusque apparuit, Dei manu et arte formata. Sicut prima illa viventium mater Eva primo homini de terra, Adamo, efformata simillima fuit;[27] ita Maria secundo homini de coelo, Christo, coelestis utique mulier. Hinc ait quod *signum magnum apparuit in coelo.*

V. Hac coelesti visione voluit Deus orthodoxae[27a] Ecclesiae utcumque divina Mariae magnalia demonstrare ac reserare fidelibus quae latebant in Virgine, ut sciant omnes qualis et quanta sit gloria Virginis ex iis quae de ea scripta sunt. **Divina Mariae magnalia in hac visione demonstrare voluit Deus.**

Duo sunt, ut summatim dicam, quae de Virgine divinitus nobis sunt tradita: quod Sponsa Dei extiterit et Mater Christi; sicut de Eva quod fuerit coniux Adami et hominum genitrix. Sic utique in hac visione duo haec humanis praesentata sunt mentibus: quod Sponsa sit Dei, Regina coeli, Sponsa Summi Regis, et quod Christum Unigenitum Filium Dei verumque Deum conceperit pepereritque. Sed duo haec qualis quantaque gloria comitatur! Amictus ostendit, thronus et corona: *Mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim.* O mirabilem visionem!

Saepe legimus apparuisse Deum ipsum sanctis et Deo dignis Patriarchis et Prophetis ad manifestandam illis gloriam suam, sed nunquam in tali tantaque gloria et maiestate. Apparuit Abrahamo in coelo in medio siderum.[28] Apparuit Iacob in summitate scalae coelestis, ministrantibus Angelis.[29] Apparuit Moysi in rubo ardenti.[30] Apparuit Isaiae super solium excelsum et elevatum, cantantibus Seraphim divinum trisagium.[31] Apparuit Ieremiae cum virga vigi- **Apparitiones Dei.**

25) 2 Petr 1, 21. 26) Lc 1, 26-28. 27) Gn 2, 7. 27a) Ms: *Orthodox.*
28) Cf. Gn 15, 5. 29) Cf. Gn 28, 12-13. 30) Cf. Ex 3, 2. 31) Cf. Is 6, 1-3.

lante;[32] Ezechieli in curru gloriae triumphali;[33] Danieli in maiestate iudicis.[34] Sed nullibi amictum hunc, thronum et coronam legimus.

Apparitiones Christi.

Ostendit gloriam suam Christus electis Apostolis in monte sancto, quando *transfiguratus est ante eos, et resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.*[35] Sed non totus instar solis resplenduit, nec stellis coronatus, aut supra lunam exaltatus apparuit. Alias saepe, ut in *Apocalypsi* legimus, visus fuit Ioanni Christus in gloria, splendenti facie instar solis; sed nunc in medio septem candelabrorum aureorum et stellarum;[36] nunc iride coronatus;[37] nunc multis coronis redimitus;[38] nunquam tamen tanta cum gloria.

Apparitio Mariae maiori cum gloria.

Quid est hoc? Nunc gloria Virginis in coelo maior est gloria Christi? gloria Dei? Minime gentium. Sed sicut in principium et regum mundi huius curiis usu venire solet, ut regina, in nuptiis et publicis solemnitatibus, splendidioribus multoque ditioribus indumentis, auro gemmisque pretiosissimis multo ornatior ac, ut ita dicam, multo gloriosior appareat quam ipse rex aut princeps regis filius, pro status sexusque decentia; ita maiori gloria circumamicta in coelo Maria apparuit, quam unquam Deus aut Christus apparuerit.

Signum significat miraculum.

VI. Nec mirum. Cum enim Christus in mundo magna signorum et miraculorum gloria claruerit, Apostolos suos et maxime Petrum, vicarium suum et Apostolorum coryphaeum, non minori sed maiori voluit gloria miraculorum coruscare: Qui in me credunt, et haec facient, et maiora horum facient.[39] Sic Matrem, sua mirabiliori voluit gloria apparere: *Signum magnum apparuit in coelo.* Vere magnum signum: magnum, augustum divinumque miraculum! Hoc enim est signum magnum: miraculum. Sicut: *Pete tibi signum a Domino Deo tuo,*[40] idest, *miraculum. Magister, volumus a te signum videre:*[41] sic Moyses multa signa in Aegypto edidisse scribitur:[42] sic Ezechias signum ab Isaia petiit:[43] sic de Ioanne scriptum est quod *nullum signum fecit.*[44] Igitur signum magnum miraculum intelligitur.

32) Cf. Ier 1, 11. 33) Cf. Ez 10, 8-9. 34) Cf. Dn 7, 10. 35) Mt 17, 2. 36) Cf. Apc 1, 13-16. 37) Cf. ibid. 4, 2-3. 38) Cf. ibid. 4-10. 39) Cf. Io 14, 12. 40) Is 7, 11. 41) Mt 12, 38. 42) Cf. Ex 7, 8 et 12, 36. 43) Cf. Is 38, 22. 44) Io 10, 41.

Sancti Patres vocant Mariam magnum miraculum.

Et hoc primum est Deiparae Virginis encomium, quod ipsa magnum miraculum mundo extitit. Divus Ignatius, *Epistola prima ad Ioannem*, Deiparam appellat « coeleste prodigium et sacratissimum spectaculum ».[45] Beatus Ephraem Syrus, libro *De Laudibus Virginis*, ipsam dicit « praestantissimum orbis terrae miraculum et Sanctorum coronam ».[46] Ioannes Chrysostomus, in sermone *De Nativitate*, Virginem inquit revera magnum fuisse miraculum.[47] Epiphanius similiter, in suo quodam sermone, ait: « Stupendum est miraculum in coelis, mulier amicta sole. Stupendum est miraculum in coelis, mulier gestans lucem in ulnis. Stupendum est miraculum in coelis, alter thronus cherubicus. Stupendum miraculum, thalamus Virginis habens Filium Dei ».[48]

Mirabiles figurae V. T. respiciebant Mariam ipsis mirabiliorem.

Mirabilis fuit scala visa Iacob in somnis, unde ait: *Vere Dominus est in loco isto.... Pavensque: Quam terribilis est.... locus iste! Non est hic aliud nisi domus Dei et porta coeli;*[49] sed Virginem designabat veram domum Dei. Mirabilis rubus Moysis ardens: *Ibo et videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus;*[50] sed Virginem praemonstrabat, « habentem gaudia matris cum virginitatis honore ».[51] Mirabilis virga Aaron, quae miraculo floruit fronduitque et fructus edidit;[52] sed Virginis huius typus fuit: *Egredietur virga de radice Iesse.*[53] *Exsurget virga ex Israel.*[53a] Mirabilis arca testamenti quae tot miracula operata fuit;[54] sed quid nisi Virginis hieroglyphicum extitit? Mirabile templum Domini, de quo ait: *Sanctum est templum tuum, mirabile in aequitate;*[55] sed Maria verum Dei templum, in qua omnis plenitudo Divinitatis inhabitavit.[56] Mirabilis domus Salomonis quae reginam Sabam in stuporem deduxit;[57] sed haec vera domus veri Salomonis Christi, regis pacifici, extitit: *Ecce plus quam Salomon hic.*[58] O magnum miraculum! Quem coelum et coeli coelorum capere non poterant, suo gremio contulit![59] *Novum faciet Dominus super terram, femina circumdabit virum.*[60] *Dominus dabit ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet et pariet filium,*[61] Emmanuelem, Deum hominem, perfectum Deum, perfectum hominem. *Quis audivit unquam tale? et quis vidit huic simile?*[61a]

45) P. G. 5, 944. Apocrypha. 46) Potius Serm. t. 1, pag. 569. 47) Cf. *In Nativ. Christi*, circa principium (P. G. 56, 388). Ad sensum. 48) *De Laud. Virginis*, circa medium (P. G. 43, 493). 49) Gn 28. 12-17. 50) Ex 3, 3. 51) C. Sedulius, *Carm. Pasch.* vr. 65. (P. L. 19, 203). 52) Nm 17, 8. 53) Is 11, 1. 53*a*) Nm 24, 17. Vulg. habet: *Consurget* et *dc.* 54) Cf. 1 Rg 5, 8-10 et 6, 19-21. 55) Ps 64, 5-6. 56) Cf. Col 2, 9. 57) Cf. 3 Rg 10, 4-7. 58) Mt 12, 42. 59) Cf. *Offic. Parvum B. V.* 1 Resp. in Noct. 60) Jer 31, 22. Vulg. habet: *Creavit*, loc.: *Faciet.* 61) Is 7, 14. 61*a*) Is 66, 8.

Christus est miraculum.

Christus etiam in Sacris Litteris miraculum appellatur: *Vocabitur nomen eius admirabilis,*[62] hebr. *miraculum*. Sic etiam legimus: *Scitote quoniam mirificavit Dominus Sanctum suum.*[63] Non vacat autem mysterio, quod singulariter Christus miraculum dicitur. Nam omnia opera Dei, maxime in creatione, iustificatione et glorificatione, miracula appellari possunt. Unde ait: *Mirabilia opera tua et anima mea cognoscet nimis.*[64] Et alibi: *Qui facit mirabilia magna solus.... fecit coelos in intellectu.... fundavit terram super aquas.... fecit luminaria magna.*[65] Sed Christus homo, inter omnia opera Dei, est, sicut sol inter astra, augustissimum Dei miraculum. Hinc Angelus ille qui, in persona Christi, parentibus Samsonis apparuit, mirabilis,[66] sive miraculum, aut etiam faciens miraculum appellabatur. Et, Ps. 88, ubi legimus: *Confiteantur coeli mirabilia tua, Domine,*[67] hebr. est: *Laudent coeli miraculum tuum, Domine, et veritatem tuam.* Quis autem nesciat, quod Christus est veritas Dei?

Ergo et Virgo Christo simillima.

Cum igitur Christus sit augustissimum Dei miraculum, de quo etiam Isaia, 25 hebr.: *Laudabo nomen tuum quia fecisti miraculum;*[68] non potest Maria non magnum esse miraculum, cum sit Christo simillima, sicut luna plena soli. Quare sicut in coelo Deus ab initio *duo posuit luminaria magna;*[69] ita in paradiso duo magna miracula, Christum et Mariam. Hinc legimus Angelos mirantes Christum: *Quis est iste rex gloriae? Quis est iste rex gloriae?*[70] *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra, iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suae?*[71] Similiter legimus mirantes Mariam: *Quae est ista quae ascendit de deserto deliciis affluens?*[72] Et iterum: *Quae est ista quae ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris et universi pulveris pigmentarii?*[73] Adhuc etiam: *Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?*[74] Ter mirantur, quoniam Maria sicut Christus, triplex miraculum est, naturae, gratiae et gloriae. Sicut igitur magnum Angelis miraculum Christus, ita et Maria; magnum miraculum Christus, magnum miraculum Maria, Mater Christi: *Signum magnum apparuit in coelo.*

62) Is 9, 6. 63) Ps 4, 4. 64) Ps 138, 14. Vulg. habet: *Cognoscit.* 65) Ps 135, 4-7. 66) Idc 13, 18. 67) Vr. 6. Vulg. habet: *Confitebuntur*, loc.: *Confiteantur.* 68) Is 25, 1. 69) Gn 1, 16. 70) Ps 23, 8-10. 71) Is 63, 1-2. 72) Ct 8, 5. 73) Ibid. 3, 6. 74) Ibid. 6, 9.

VII. Miraculum dicimus supernaturale divinumque opus excedens naturae vires, quod nonnisi divina manus operari potest; nam: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.*[75] Sed quae vis unquam naturae elementorum, aut coelorum, imo hominum, aut Angelorum efficere potuisset, ut mulier humili loco nata, virtute et merito super omnes creaturas exaltata, Angelos etiam vinceret puritate, Seraphim caritate, Deo copularetur, Deumque ipsum utero conciperet, et mundo pareret, virgo incorrupta, simul mater et virgo!

Quid sit miraculum. In omnibus miraculum, Maria, praesertim sanctitate.

Omne opus novum, insolitum, rarum quod intuentes rapit in magnam admirationem et stuporem, miraculum dicere solemus. Sed Maria quam novum, quam rarum, quam insolitum opus omnipotentiae Dei! *Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen eius.*[76] Moyses descendens de monte, splendenti facie, veluti miraculum fuit Hebraeis.[77] Quale miraculum esset nobis Maria, si una cum Ioanne videre eam liceret in coelesti gloria!

Sed fuit etiam miraculum virtutis et sanctitatis plane superhumanae, superangelicae, vere divinae, Maria in mundo. Excellentissimum quemque in quavis arte et professione, cuius actiones et opera magnopere solent mirari homines, mirabilem dicimus, miraculum in natura. Maria autem excellentissima fuit in arte et professione virtutis et sanctitatis. Nam per templum virtutis ingressa est templum honoris et gloriae apud Deum et Angelos sanctos in coelo. Hinc Archangelus Gabriel, summus Angelorum princeps, virtutem Mariae admirans, magna cum reverentia eam salutavit, dicens: *Ave, gratia plena, Dominus tecum.*[78] Quid est quod gratia plenam dixit, nisi quia Angelis multo pleniorem conspexit? O miraculum sanctitatis!

Maria excellentissima in professione virtutis.

In omnibus quidem miraculum magnum Maria fuit, quia miraculo concepta ex parentibus sterilibus senibusque, sicut Isaac,[79] sicut Ioannes,[80] praenunciata etiam per Angelum ipsius conceptione sicut et illorum,[81] necnon et Samsonis;[82] miraculo nata fuit, sicut nativitatem Ioannis multi supra quam dici possit mirati fuerunt;[83] miraculum in corpore: *Pulcherrima mulierum;*[84] miraculum in anima: sanctissima animarum;[85] miraculum in vita, superhumana, su-

Maria miraculum conceptione, nativitate, corpore, anima, in vita, in morte, post mortem.

75) Lc 1, 37. 76) Lc 1, 49. 77) Cf. Ex 34, 30-35. 78) Lc 1, 28. 79) Cf. Gn 21, 2. 80) Cf. Lc 1, 36. 81) Cf. Gn 17, 16 et 18, 10 Lc 1, 13. 82) Cf. Idc 13, 3. 83) Cf. Lc 1, 57-67. 84) Ct 1, 7 et alibi. 85) Cf. Lc 1, 28: *Benedicta tu in mulieribus.* Ex aliis locis parallelis.

perangelica, plusquam seraphica; mirabilis in morte, nam, si: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius,*[86] unde saepe Deus multis miraculis honorat atque illustrat mortem sanctorum suorum; quam pretiosa censenda est extitisse eius mors Sanctissimae Matris ipsius? Tandem miraculum magnum post mortem, cum a dilectissimo Filio suo, destructore mortis et vitae auctore, veluti a levi somno excitata, in coelum, immortali gloria donata, comitantibus Angelis assumpta fuit, et ad dexteram Maiestatis tanquam altissima Regina, Dei Sponsa et Christi vera Mater mirabiliter collocata. Sic utique: *Signum magnum apparuit in coelo.*

Maria miraculum sanctitatis.

Sed singulariter miraculum virtutis et sanctitatis, Maria. Sanctus quidam Doctor aiebat quod « tria sibi miracula magna videbantur: Deus et Homo, hoc primum: Mater et Virgo, hoc secundum: fides et cor humanum, hoc tertium ».[87] Nam propterea Christus, visa fide Centurionis, miratus fuit.[88] In Maria autem fides perfecta fuit: *Beata quae credidisti, quoniam perficientur ea quae dicta sunt tibi a Domino.*[89] Tunc autem vere magnum miraculum est fides et cor humanum, cum fides viva, non sicut corpus sine spiritu, cum per dilectionem et caritatem operatur.[90] Fides Mariae viva fuit; hinc statim ut Angelo fidem praestitit, *abiit in montana cum festinatione in civitatem Iuda,*[91] ad visitandam cognatam suam Elisabeth. O mirabilem fidem, caritatem, humilitatem! *Unde hoc mihi ut veniat Mater Domini mei ad me?*[91a] Divini honores non mutarunt Virginis Beatissimae mores.

Maria miraculum misericordiae.

VIII. Sic nunc quoque mirabili humilitate et caritate praedita est erga nos, ut subveniat necessitatibus, nostrasque relevet miserias, misericordiarum Mater, divinarum fons gratiarum, mare, pelagus immensum caritatis et clementiae. Erga omnes namque fideles Christi materna affecta est caritate, omnes et singulos prosequitur maternis visceribus; quoniam in Ioanne quisquis fidelium ei commendatus fuit a Christo in cruce, dum ait ad eam: *Mulier, ecce filius tuus.*[92] Sicut autem per Isaiam dicitur, quod non *potest mulier oblivisci infantem suum ut non recordetur filii uteri sui,*[93] ita de Virgine Beatissima sentiendum nobis est.

86) Ps 115, 15. 87) Cf. S. Bern. *Serm. III, in Vigil. Nativ. Domini*, n. 7. (P. L. 183, 763 sqq.). 88) Mt 8, 10. 89) Lc 1, 45. 90) Gal 5, 6. 91) Lc 1, 39. 91a) Lc 1, 43. 92) Io 19, 26. 93) Is 49, 15. Vulg. habet: *Misereatur filio*, loc.: *Recordetur filii.*

Hinc autem sole amicta visa est, ut sciamus, quod sicut sol, unus cum sit, omnes tamen et singulos homines illuminat fovetque suo calore ac si pro singulis hominibus a Deo conditus fuisset, non enim *est qui se abscondat a calore eius;*[94] sic Virgo Deipara omnium et singulorum mater est, ita communis omnibus ut singulis mater sit propria. Et sicut sol ab omnibus et singulis hominibus totus videtur, ita ut quilibet hominum oculis percipiat integram solis imaginem; ita fidelium quisquis, si vere ex animo Virgini se totum devoveat, integra poterit eius caritate frui ac si unicus esset filius. Hanc enim ob causam singulariter ei Christus locutus est dicens: *Mulier, ecce filius tuus.*

Maria omnium et singulorum mater.

IX. Signum magnum, augustum miraculum existimatur a multis Lazari suscitationem extitisse, coronam miraculorum Christi, et propterea Christus dixerit: *Infirmitas haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.*[95] Ipse autem Salvator suam resurrectionem visus fuit signum et miraculum omnium maximum fecisse, cum Iudaeis, signa petentibus, ait: *Signum non dabitur ei nisi signum Ionae prophetae.*[96] Signum utique de coelo magnum et omnino mirabile, ut illi petebant; nam resurrexit in ea maiestate et gloria, in qua transfiguratus apparuit, cum *resplenduit facies eius sicut sol.*[97] Sed si magnum miraculum Christus post mortem in gloria, ecce Maria post mortem gloriosissima, *amicta sole et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona* multarum *stellarum.*

Maria miraculum post mortem.

Signum magnum! Mirabile valde est ornamentum coeli; unde Regius Vates: *Quoniam videbo coelos tuos opera digitorum tuorum, lunam et stellas quae tu fundasti.*[98] *Videbo,* idest, contemplabor, mirabor. Et Sapiens ait de sole: *Vas admirabile, opus Excelsi.*[99] Sed nunquam videtur totum simul. Nam in die quidem sol videtur, non autem stellae; in nocte autem stellae quidem apparent, sed sol sub occasu latet; et luna, cum sub sole est illique coniuncta, omnino nos latet, minime conspicua est. Hic autem et sol videtur et simul luna sub eo splendida cernitur, simulque fulgidissimae stellae micant in coelo. Omne utique coeli ornamentum Deus, creator omnium, in Maria posuit.

Omne coeli ornamentum in Maria.

Quam ergo mirabilis est!

94) Ps 18, 7. 95) Io 11, 4. 96) Mt 12, 39. 97) Mt 17, 2. 98) Ps 8, 4. 99) Eccli 43, 2.

SERMO SECUNDUS

Sabbato Dominicae Primae Quadragesimae

DE NOBILITATE VIRGINIS DEIPARAE EX VERBIS VISIONIS: *Apparuit in coelo*

Signum magnum apparuit in coelo: mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius. [1]

Virgo Deipara omni coeli luce circumfusa conspicitur, ut ipsius altissima nobilitas demonstretur.

I. Plena quidem est, fratres, universa Scriptura sacrosanctis theophaniis, divinis apparitionibus, nam: *Ego,* inquit, sum Deus *qui apparui Abraham, Isaac et Iacob, in Deo omnipotente,* dixit idem Deus Moysi apparens. [2] Et in *Numeris 12: Si quis fuerit... propheta... in visione apparebo ei.* [3] Sed nulla mihi visa est illustrior divina hac apparitione Virginis ad Ioannem. Haec enim illustrissima supra modum est, splendidissima, luminosissima, gloriosissima est: *Mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius.*

Quis dubitet hic multa latere divina mysteria? Visum fuit aliquando patriarchae Ioseph, dilectissimo filio sanctissimi Iacob, visum, inquam, fuit in somnis adorari se a sole et luna et stellis. [4] Quae quidem visio portendebat ac praemonstrabat fore ut esset Ioseph magnus princeps, toto orbe clarissimus et illustrissimus, ut exitus ipse comprobavit, et luce clarius ostendit. [5] Haec igitur in Virgine ostendunt ipsam totius universi serenissimam altissimamque Reginam, sicut ipsa de seipsa, Divino Spiritu afflata, praedixit et vaticinata fuit: *Ecce... beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est.* [5a]

1) Apoc 12, 1. 2) Ex 6, 2-3. 3) Num 12, 6. 4) Cf. Gn 37, 9.
5) Cf. Gn 41, 40-44. 5a) Lc 1, 48-49.

Sic Regina coeli ostenditur Maria: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, crcumdata varietate.*[6] Bone Deus, quam mira varietate, quam miro ornatu! Ornari solent reginae argento, auro, gemmisque pretiosis; Maria autem non auro, non argento, non gemmis, sed sole, luna et stellis, coelesti auro, coelesti argento, coelestibus gemmis. Nam sol aurum coeli est, luna argentum, stellae pretiosi lapilli, fulgentes gemmae. Sic templum Salomonis totum auro purissimo splendebat.[7] Sic arca testamenti tota erat intus et foris deaurata, in medio Cherubim posita, et aurea corona redimita,[8] ad designandam coelestem hanc Reginam.

Non semel autem tantummodo legimus Virginem coelestibus hisce luminibus ornatam. Nam de ea quoque Salomon ait: *Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens?* Idest, stella matutina, omnium pulcherrima et splendididissima: *Pulcra ut luna, electa ut sol.*[9] Et Deus de Christi throno, idest, de Virgine, quae thronus est Salomonis, mirabili opere ex ebore auroque totus effectus: *Thronus*, inquit, *eius, sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in aeternum, et testis in coelo fidelis,*[10] idest, stella aurorae quae solis ortum praedicit et fidelissime testatur. Ut ostenderet Deus, quod mulier ista mirabilis non erat terrena, sicut primus homo Adam primaque mulier ex eo formata,[11] sed tota coelestis, sicut secundus homo Christus,[12] imo coelum ipsum, sedes et thronus Dei, coelesti ornatu eam decoravit. Quis enim nescit quod sol, luna et stellae ornamenta sunt coeli?

Maria coelestis mulier.

Perspicuum autem omnibus est, lucem esse ingenuae nobilitatis symbolum. Hinc enim ignobiles homines obscuri appellantur, et degere in tenebris dicuntur. E contra vero nobiles, clari et illustres; nobiliores, praeclari et praeillustres sive perillustres; nobilissimi autem, viri clarissimi, praeclarissimi, longe clarissimi et illustrissimi dicuntur. Hinc Deus terram, elementum omnium infimum et vilissimum, obscuram condidit et tenebricosam.[13] Ignem vero, nobilissimum elementum, cuius natura coelum constare existimavit antiquitas, luce splendida decoravit. Hinc Hebraeis homo ignobilis *ben adam* dicitur, ab humo ignobili; vir autem nobilis, *ben isc*, ab igne suapte natura splendido lucidoque.

Cum igitur lux symbolum sit nobilitatis ingenuae, unde etiam

6) Ps 44, 10. 7) Cf. 3 Rg 6, 20 sqq. 8) Cf. Ex 25, 11-22. 9) Ct 6, 9.
10) Ps 88, 38. 11) Cf. Gn 2, 7. 21. 12) Cf. 1 Cor 15, 47. 13) Cf. Gn 1, 2.

reges et summi principes serenissimi appellantur a claro serenoque coelo, quid est quod Virgo Sanctissima, tali tantaque luce circumfusa coelo conspicitur, nisi quod ipsius altissima divinissimaque nobilitas illustrissimo hoc tantae lucis hieroglyphico declaratur? Bone Deus! Quis hominum aut etiam Angelorum verbis assequi pro dignitate poterit divinam gloriosae Virginis nobilitatem? *Signum magnum apparuit in coelo, mulier amicta sole.*

II. Quodnam coelum istud est, in quo divina haec mulier tam clara, tam fulgida, tam gloriosa conspecta est? Coelum aliquando altissimam divini Numinis naturam designat, unde Lucifer: *Ascendam in coelum, similis ero Altissimo.* [14] Aliquando hunc mundum. Sic enim Deus posuit luminaria in firmamento coeli, ad illuminandum hunc mundum. [15] Aliquando Ecclesiam. Sic enim coelum novum [16] legimus, novam, post veterem synagogam, Ecclesiam. Tandem aliquando paradisum gloriae magni Dei, unde Christus *Dominus, assumptus... in coelum, sedet a dextris Dei.* [16a] Apparuit autem Virgo Deipara in coelo Divinitatis, in archetypo universorum exemplari per mysterium aeternae praedestinationis et electionis ante tempora saecularia; in coelo mundi huius, quando lucis huius usuram accepit, mundo exorta ex stirpe et progenie David; [17] in coelo Ecclesiae per fidem et gratiam divinitus ei infusam, Angelorum more sanctificata, Deique templum constituta; tandem in coelo paradisi post vitae huius incolatum in coelestem Ierusalem per Christum assumpta, et ad aethereum thalamum translata, in aeternum est gloria et honore coronata ac super omnia Dei opera constituta.

Virgo Deipara nobilissima quadruplici nobilitate.

III. Sed quam nobilis apparuit Maria in coelo divinae Mentis! *Signum magnum apparuit in coelo, mulier amicta sole,* quo nihil lucidius, nihil vel cogitari splendidius potest a mortalibus. Non solum enim ad gratiam et gloriam cum sanctis Angelis et Electis Dei praedestinata electaque fuit et ad primum supremumque gradum tum gratiae tum gloriae post Christum, sed ad maternitatem Dei, ut vere esset *Theotocos,* vera Genitrix et Mater naturalis Unigeniti Filii Dei, veri et summi Dei. Qualis hic honor! Qualis dignitas! Qualis gloria! Quid excogitari potest dignius, sublimius, gloriosius? Sic apparuit in coelo illo altissimo mulier amicta sole, et in utero

Virgo Deipara nobilissima in coelo divinae Mentis, praedestinatione.

14) Is 14, 13-14. Vulg. habet: *In coelum conscendam.* 15) Cf. Gn 1, 14-15.
16) Cf. Apc 21, 1. 16a) Mc 16, 19. 17) Cf. Lc 1, 27.

Maria praedestinata Mater Dei.

habens Unigenitum Filium Dei; praedestinata Mater Christi; praedestinata una cum Christo primogenito omnis creaturae, ante omnem creaturam.[18] Nam Christus praedestinatus fuit Filius Mariae, simulque Maria Mater Christi. Haec lux solaris est dignitas maternitatis ad quam electa fuit. Lumen luna splendidius locusque luna superior excellentia gratiae, et corona stellarum honor singularis gloriae. Nam ad tria haec praedestinata fuit. O vere nobilissimam praedestinationem, electionem supra modum mirabilem, supra modum gloriosam!

Virgo Deipara nobilissima in coelo mundi huius prosapia, corporis pulcritudine et animi nobilitate.

IV. In coelo etiam mundi huius apparuit splendidissima nobilitatis luce conspicua, clarissimis ac nobilissimis orta natalibus, ex stirpe et prosapia serenissimi regis David.[19] Est autem nobilitas alia quidem naturae, qua aurum argento nobilius est, coelum elementis, sol astris, homo animalibus, Angeli hominibus, Deus Angelis. Est item in mundo nobilitas sanguinis, quae civilis et politica nobilitas est ex antiquatis divitiis, vel ex illustri claraque progenie veluti eorum qui ex regibus et principibus clarisque heroibus ortum genusque ducunt. Est adhuc nobilitas ex gratia et favore vel privilegio summorum principum. Sic enim Pharao Iosephum nobilitavit,[20] Nabuchodonosor Danielem,[21] Assuerus Esther[22] et Mardochaeum;[23] sic Deus ipse Abrahamum,[24] Moysem,[25] Davidem[26] insigni nobilitate donavit. Tandem est nobilitas virtutibus acquisita. Hi nanque litteris, alii armis, alii optimis moribus et vitae sanctitate heroicisque virtutibus clarissimam nobilitatem sunt consecuti. Hac enim methodo et via virtutum, inquam, Patriarchae, Prophetae, Apostoli et apostolici viri, Christi veri sectatores et imitatores, clarissimam adepti sunt magni nominis celebritatem.

Maria corpore nobilis.

Maria autem modis hisce omnibus mundo nobilissima fuit. Natura quidem. Quoniam mulier, quae post hominem, divina arte, nobilissimis ac mundissimis Dei manibus formata fuit, non ex terra ut homo,[27] sed ex carne et ossibus hominis: *Haec nunc caro de carne mea et os ex ossibus meis; haec vocabitur virago, quia de viro sumpta est*,[28] ex nobilissima formata materia. Nobilissimo etiam loco. Nam in paradiso, nobilissima arte, a nobilissimo artifice Deo, omnium architecto et conditore. Et propterea existimo hic Deiparam appel-

18) Cf. Col 1, 15, 17. 19) Cf. Lc 1, 27. 20) Gn 41, 40 sqq. 21) Cf. Dn 2, 46-48. 22) Cf. Est 2, 17. 23) Cf. Est 6, 10. 24) Cf. Gn 12, 1-3. 25) Cf. Ex 3, 10. 26) Cf. 1 Rg 16, 12-13. 27) Cf. Gn 2, 7. 28) Cf. Gn 2, 22-23.

latam esse mulierem, ut alluderetur ad illam primam mulierem et ad oraculum illud: *Inimicitias ponam inter te et mulierem... ipsa conteret caput tuum.* [29] Nam contra coelestem hanc mulierem vidit Ioannes stantem antiquum serpentem infernalemque draconem paratum ad devorandum Filium eius. [30] Nobilissima etiam sanguine et genere, orta ex benedicto Abrahae semine, ex nobilissima tribu Iuda, simulque ex tribu levitica et sacerdotali, ex filiabus Aaron summi sacerdotis ex materna linea; ex paterna vero, « clara ex stirpe David », [31] regis optimi, potentissimi, simul et pientissimi, summa erga Deum religione et pietate praediti. Omni ergo ex parte, nobilissima genere fuit Virgo Beata.

Maria spiritu nobilis.

Quid autem censendum est de naturali animi et spiritus nobilitate? Si Deus suapte natura spiritus cum sit, carne et sanguine nobilissimam eam esse voluit, quanto magis mente et spiritu in anima, quae divina imagine et similitudine insignita naturaliter est? Fuit igitur Virgo nobilissima anima et animo, nobilissimo corpore, nobilissima etiam complexione donata atque dotata; complexione, quam dicunt naturales, ad pondus, quae complexionum omnium nobilissima optimaque censetur, ex qua venustissima ac elegantissima pulcherrimaque corporis forma figuraque consurgit. Hinc Virgo in *Canticis pulcherrima mulierum* [32] appellatur: pulcherrima utique et corpore et spiritu.

Maria naturalibus virtutibus nobilis.

Nobilissima adhuc naturalibus virtutibus, elegantissimis moribus, studio ingenioque, iudicio, prudentia, industria, animi fortitudine optime instructa, per omnem modum erat, qualem sapientissimus S a l o m o n fortem mulierem vel fortis mulieris ideam in *Proverbiis* describit. [33] Sic Maria vera erat perfectaque ac plane divina virtutum omnium idea formaque exemplaris. Tandem Summi Regis Altissimique Imperatoris Dei gratia supra quam dici vel cogitari possit nobilitata. Quid Ruth commemorem aut Bethsabee, matrem Salomonis, aut reginam Esther? Nobilitatae quidem illae fuerunt nobilium virorum coniugio, haec autem non humano sed divino, quoniam invenit gratiam apud Deum; [34] ita ut, divino copulata coniugio, Unigenitum Filium Dei divina virtute conciperet, ipsiusque vera et naturalis Mater effecta, illibata virginitate, magno miraculo Deum hominemque in lucem ederet.

Maria singulari Dei favore nobilis.

29) Cf. Gn 3, 15. 30) Cf. Apc 12, 4. 31) *Brev. Rom.* Offic. in Nativit. B. M. V. 1 Antiph. ad Laudes. 32) Ct 5, 17. 33) Cf. Prv 31, 10 sqq. 34) Cf. Lc 1, 30.

Virgo Deipara nobilissima in coelo Ecclesiae, gratia.

V. In coelo item Ecclesiae fulgidissima divinae nobilitatis luce circumfusa apparuit: *Mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius.* Tria dicit, sicut et Angelus ad eam: *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.*[35] Supra omnes mulieres: en luna sub pedibus eius. Dominus tecum: en amicta sole, nam Deus sol est iustitiae, qui *lucem habitat inaccessibilem.*[36] Sed gratia plena, corona sanctitatis hominum et Angelorum. Sed quoniam gratia peccatis vitiisque opponitur, sicut lux tenebris, peccataque non secus ac tenebras lux eliminat, forte triplex hoc lucis symbolum triplicem gratiam contra triplex peccatum, originale, mortale, veniale designat.

Maria nobilis quia nunquam servivit peccatis.

Caput quis nesciat designare principium? Maria autem multis astris caput coronatur, sicut alibi legimus: *Fundamenta eius in montibus sanctis,* sive *in montibus sanctitatis.*[37] Et sicut de templo Domini ait Divina Scriptura, 3 *Regum* 7, habuisse fundamenta ex lapidibus pretiosis;[38] et fundamenta civitatis illius, quam de coelo descendentem vidit Ioannes,[39] erant omni lapide pretioso ornata, idem mysterium est caput habere stellis divinarum gratiarum et virtutum coronatum. Quoniam vero in universa sanctissimae vitae linea et tela gratia semper plena fuit, nullamque penitus maculam peccati unquam contraxit, lunae plenae et soli, in quo nulla est penitus macula, comparatur. Hinc ait: *Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te.*[40] Haec est autem vera ingenuaque nobilitas, nunquam servisse daemoni qui princeps mundi huius dicitur[41] rectorque tenebrarum;[42] nunquam subiacuisse peccato, nam: *Qui facit peccatum, servus est peccati.*[43]

Maria nobilis quia princeps post Christum, in gratia.

Nec tantum ab omni prorsus peccati macula immunis fuit, sed omni virtutis et gratiae plenitudine abundavit; ditior ipsa virtute et gratia, quam sol perpetuae lucis inexhausta perennique copia. Sicut autem sol splendidissimae lucis abundantia nobilissimus princeps omnium coelestium luminum, ita Maria princeps post Christum Sanctorum Sanctarumque omnium, caput ornatum semper habuit stellis coelestium meditationum, maxime vero mysteriorum fidei. Lunam totius mundanae gloriae et felicitatis ex alto contempsit atque calcavit ex perfecta in Deum caritate; mundana omnia ut stercora atque quisquilias arbitrata propter Christum, propter Deum.[44] Tanti enim faciebat Deum, ut illius comparatione mundum

35) Lc 1, 28. 36) 1 Tim 6, 16. Vulg. habet: *Inhabitat.* 37) Ps 86, 1. *In montibus sanctitatis* ex heb. 38) Cf. Vr 9-13. 39) Cf. Apc 21, 2. 40) Ct 4, 7. 41) Cf. Io 12, 31. 42) Cf. Eph 6, 12. 43) Io 8, 34. 44) Cf. Phil 3, 8.

et mundana omnia flocci ac nihili penderet. Sole autem semper amicta fuit perfectissimae virtutis, perfectissimae gratiae, perfectissimae ac divinissimae sanctitatis.

VI. Tandem in coelo gloriae, in empyreo, in paradiso nobilissima ac gloriosissima supra omnem humanam existimationem apparuit, gloria et honore coronata, princeps Sanctorum, Regina Angelorum, corona Beatorum omnium, coeli Domina, Imperatrix universi, publica solemnique pompa, in coelo vera Dei Sponsa et Christi Regis regum Genitrix et naturalis Mater declarata. Sicut enim rex Assuerus cum adamasset Esther supra omnes mulieres ob ipsius indicibilem gratiam et pulcritudinem, posuit diadema regni super caput eius, eamque reginam coronavit, veramque sponsam suam declaravit;[45] ita Deus summus, *Rex regum et Dominus dominantium*[45a] cum Maria egit in paradiso, sic eam gloriosissimam Reginam ostendit ac declaravit. Hoc igitur est: *Signum magnum apparuit in coelo, mulier amicta sole et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim.*

Virgo Deipara nobilissima in coelo paradisi, gloria.

Maria nobilis quia a Deo in coelo regina coronata.

Corona, insigne regum et reginarum est. In coelo autem coronata conspicitur, ut Regina coeli cognoscatur. Et quoniam in perpetuum coronata est, et in aeterna saecula cum Deo et Christo regnatura est sine fine, propterea ipsius corona ex incorruptibilibus stellis aeternisque luminibus coeli compacta et coagmentata divinitus est. O nobilissimam coeli Reginam, o stuporem, o prodigium, o miraculum! Talis et tanta regina est Virgo Deipara, et regnum et imperium ipsius nil minus sit regno Dei, imperio Christi. Ut sicut Christus, gloria et honore in coelo coronatus, constitutus est super omnia opera Dei, omniaque subiecta sunt pedibus eius,[46] ita prorsus et Maria, assistens et regnas ad Christi dexteram supra solium excelsum et elevatum: excelsum super homines, elevatum supra Angelos; simile throno Divinae gloriae. Sic igitur mirabili hoc hieroglyphico et talis ac tantae lucis symbolo, ostenditur Mariae summa altissimaque nobilitas plane superhumana, superangelica, divina.

VII. Nec mirum, fratres; nam cum Deus suapte natura nobilissimus sit, cuius solius est omnis honor, ut Paulus ait: *Regi saeculorum immortali et invisibili, soli Deo honor et gloria in saecula,*[47] nobilissimam voluit habere sponsam. Et cum Christus, Patri

Haec nobilitas exigitur in Virgine quia ipsa est Sponsa et Mater Dei.

45) Cf. Est 2, 17. 45a) 1 Tim 6, 15. Apc 17, 14. 46) Cf. Hebr 2, 6-8. 47) 1 Tim 1, 17.

consubstantialis, coaternus et coaequalis, ingenua nobilitate sicut et Deitate nihilo minor sit Patre, nobilissimam habere voluit matrem.

Deus nobilitatis cupidus.

Amicus est nobilitatis nobilissimus Deus, eiusque valde cupidus. Hinc nobilissimam coeli habitationem elegit, Angelos, spiritus nobilissimos, servos ministrosque habere voluit: *Millia millium ministrabant ei.*[48] In Lucae Evangelio *nobilis homo* Christus appellatur, cap. 19.[49] Pro sanctuario suo Deus nonnisi nobilia quaeque et pretiosa requisivit: aurum, argentum, purpuram, coccinum, hyacinthum et pelles pretiosas.[50] Arcam nonnisi ex lignis nobilissimis et auro optimo fieri sibi mandavit.[51] Templum ex pretiosis marmoribus, lignis Libani et auro.[52] Et de Christo, sub persona Salomonis, legimus quod *ferculum fecit sibi... de lignis Libani: columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum,*[53] quo designatur, quod Electorum Ecclesia nonnisi ex nobilissima virtutum materia construenda erat.

Deus non magni facit mundi nobilitatem, maximi vero nobilitatem virtutis.

VIII. Sed non mundi nobilitatem magni facit Deus; de mundo potius elegit ignobiles. Nam mundi nobilitas, basis videtur esse et fomentum superbiae quam odit Deus. Nobilitatem virtutis et spiritus maximi facit; haec enim vera est apud Deum nobilitas, nam *spiritus est Deus.*[54] Sic Beatissima Virgo, cum spiritu nobilissima esset, mundo ob paupertatem habebatur ignobilis et Maria dicebatur fabri uxor.[55] Veram autem ipsius nobilitatem, Deus, qui spirituum ponderator est et omnia virtute spiritus metitur, cunctis praetulit mundi huius principibus et reginis. Christus ipse, Unigenitus Filius Dei, mundo haberi ignobilis voluit et *fabri filius* vocari.[56] Mundanam nanque nobilitatem ex alto contempsit ac nihili pendit; spiritus autem nobilitatem quam maximi fecit. Sic omnes veri servi Dei, humillimi cum sint corde, Christo et Mariae similes, mundo habentur ignobiles, cum tamen apud Deum revera nobilissimi sint, in Dei filios adoptati, fratres[57] et coheredes Christi[58] constituti: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri... qui non ex sanguinibus... sed ex Deo nati sunt.*[59] *Qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemus et simus.*[60] Sic nunc filii Dei sumus. *Cum autem apparuerit, simile ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.*[61] Non est conspicua oculis hominum nobilitas servorum

Maria nobilis Deo, sed mundo habebatur ignobilis sicut Christus et Sancti.

48) Dn 7, 10. 49) Vr 12. 50) Cf. Ex 25, 1-9. 51) Cf. ibid. 25, 10-27. 52) Cf. 3 Rg 6, 1-37. 53) Ct 3, 9-10. 54) Io 4, 24. 55) Cf. Mc 6, 3. 56) Mt 13, 55. 57) Hebr 2, 11. 58) Rom 8, 17. 59) Io 1, 12-13. 60) I Io 3, 1. 61) I Io 3, 2.

Dei; in coelo erit manifesta. Non fuit gloriosa Maria in terra in oculis hominum, nunc in coelo gloriosa, imo gloriosissima est in oculis Angelorum: *Apparuit in coelo, mulier amicta sole.* O beatos qui vere fuerint spiritu nobiles, Mariae et Christo similes et conformes! Nam electos suos *praedestinavit* Deus *fieri conformes imagini Filii sui.* [62] Utinam, fratres, [sicut] natura alta petimus, ita verae nobilitatis veri simus appetitores et aequi aestimatores! Vera enim nobilitas in virtute consistit et libertate a sordibus vitiorum et peccati ac satanae servitute.

Exortatio ad puritatem et nobilitatem.

IX. De topo albo dicunt naturales quod adeo puritatis et candoris amator est naturalisque munditiei, ut mori potius velit quam pollui. [62a] Sic debet quisque nostrum, pro sua virili, [63] ab omni indignitate abstinere. Talis fuit Ioseph patriarcha; multa pati potius elegit, et mortem etiam ipsam subire, quam in Deum peccare. [64] Sic tres hebraei adolescentes incendium potius babylonicae fornacis elegerunt, quam peccatum in Deum admittere, ut impius Nabuchodonosor imperabat. Sciebant quod Deo oportet obedire magis quam hominibus. [65] O veram animi nobilitatem! *Notum sit tibi, rex,* dixerunt potentissimo Chaldaeorum imperatori, quod *deos tuos non colimus et statuam auream quam erexisti non adoramus.* [66] Hi vere nobiles ex semine regio procreatos se ostenderunt, leones de tribu Iuda. Sic agendum est contra satanam mala suadentem, sicut et Christus egit in deserto tentatus ab eo: *Vade, satana, scriptum est...: Dominum Deum tuum,* etc. [67] Quod si satanas Christum tentare ausus fuit, an putamus quod Virginem ipsam tentationibus minime sit aggressus? Tentavit utique, sicut et Christum, sed victus ab ea fuit semper, sicut et a Christo. Quoniam Virgo Sanctissima ingenua quadam ac plane divina animi nobilitate, tanquam indignissimum quid et sordidissimum, abhorrebat omne peccatum, stomachabatur omnes vitiorum sordes et immunditias, aemula semper divinae puritatis et sanctitatis. Et quoniam optimam partem elegerat, [68] uni huic studio iugiter incumbebat: *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.* [69] Dei namque vera perfectaque servitus summum est nobilitatis genus. Haec Angelorum ac beatorum Spirituum summa nobilitas est.

Christus et Maria tentati a satana sed frustra.

62) Rom 8, 29. Vulg. habet: *Conformes fieri imaginis.* 62a) Ms.: *Polleri*
63) Subintelligitur *parte* vel *portione.* Vide Forcellinum in hac voce. Est modus dicendi satis frequens in operibus S. Laurentii. 64) Cf. Gn 39, 7-12. 65) Cf. Act 5, 29.
66) Dn 3, 18. 67) Mt 4, 3-11. 68) Cf. Lc 10, 42. 69) Mt 4, 10.

SERMO TERTIUS

Sabbato Secundae Dominicae Quadragesimae

DE INAESTIMABILIBUS THESAURIS VIRGINIS DEIPARAE EX VERBIS VISIONIS: *Amicta sole*

Signum magnum apparuit in coelo, mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius. [1]

Virgo Deipara bonorum omnium coelestis thesaurus.

I. In mirabili hac apparitione revelasse mihi visus est Deus coelestem quendam divinumque thesaurum.

Proprium [est] enim regum et principum ingentes habere vel congregare thesauros. Unde Iob sanctus aiebat. *Requiescerem... cum principibus qui possident aurum, et replent domus suas argento.* [2] Sic Salomon regum omnium felicissimus et fortunatissimus in domo sua thesauros prope infinitos reposuit. [3] Deus autem Summus Rex regum est. [4] Saepe autem in Sacris Litteris legimus thesauros domus Domini. [5] En Maria coelestis ac divinus thesaurus. Coagmentantur thesauri ex auro, argento et lapidibus pretiosis. Ecce aurum, argentum et lapides pretiosi: *Mulier amicta sole et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim.* In Maria omnes divitiae coeli una congregatae simulque collectae videntur. Magnus et plane infinitus [thesaurus] perennis lucis et aethereorum aeternorumque luminum ostenditur Maria.

In Maria omnes divitiae coeli.

1) Apc 12, 1. 2) Iob 3, 13-15. 3) Cf. 3 Rg 7, 1-12. 4) Cf. 1 Tim 6, 15; Apc 19, 16.
5) 3 Rg 14, 26; 15, 15 sqq.

Virgo Deipara bonitatis thesaurus.

II. Sed contemplemur, quaeso, divinum hunc coelestium bonorum thesaurum. Lucis thesaurus monstratur esse Maria. Lucem autem bonitatis symbolum esse novimus: *Vidit Deus lucem quod esset bona.*[6] *Qui* dicunt *malum bonum, et bonum malum, ponentes tenebras* in *lucem, et lucem* in *tenebras.*[7] Hinc Deus in symbolica theologia lux appellatur: *Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae;*[8] quoniam summe bonus, summum bonum, summa bonitas: *Ostendam tibi omne bonum.*[9] Maria thesaurus lucis ostenditur, quia ipsa magnus est bonorum Dei thesaurus: magnus thesaurus virtutum et coelestium Spiritus Sancti donorum; magnus thesaurus meritorum et spiritualium divitiarum, thesaurus gratiae, thesaurus gloriae, thesaurus ipsiusmet Divinitatis. Nam in ipsa *complacuit omnem plenitudinem inhabitare;*[10] ipsa namque infinitae Divinitatis templum extitit singulare, dignumque aeterni Numinis habitaculum sacrosanctum. Quod si fideles omnes dixit Paulus sanctum Dei templum esse, quanto magis Maria? *Vos... estis templum Dei vivi.*[11] *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.*[12] Corpora vestra *templum sunt Spiritus Sancti;*[13] sed singulariter Maria. Ipsa vera *Bethel, domus Dei... et porta coeli,*[14] quia ipsa *scala,*[15] per quam Deus de sublimi coelorum descendit in terram pro mundi salute. De ea singulariter dici potest: *Vere Dominus est in loco isto.*[16] Sic locus et thesaurus Divinitatis Maria. Ipsa igitur coelestium divinorumque bonorum thesaurus.

Maria thesaurus lucis.

Maria domus Dei.

Quare ostenditur divino hoc spectaculo quod expediret magis mundo sine sole, luna et stellis esse, quam sine Maria; quod multo utilior mundo est Maria, quam sol, luna et stellae firmamenti. Quis autem nescit quod sol, luna et stellae coeli in causa sunt bonorum omnium, quae natura in mundo generantur? Sine coelestis nanque luminis beneficio, nihil penitus in terra vel in mari generatur, boni nihil producitur. Quare sol, luna et stellae veluti thesauri sunt bonorum, quae in inferiori hoc mundo procreantur. Sic Maria thesaurus est omnium bonorum Dei.

Maria utilior mundo quam sol, luna et stellae.

Virgo Deipara scientiae omnium rerum creatarum thesaurus.

III. Sed adhuc thesaurus ipsa quoque divinae Sapientiae. Nam lux sapientiae etiam hieroglyphicum est. Hanc ob causam Christus

6) Gn 1, 4. 7) Is 5, 20. 8) 1 Io 1, 5. 9) Ex 33, 19. 10) Cf. Col 1, 19
11) 2 Cor 6, 16. 12) 1 Cor 3, 17. 13) 1 Cor 6, 19. 14) Gn 28, 17.
15) Gn 28, 12. 16) Gn 28, 16.

Dei sapientia et virtus: [17] *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei,* [18] *lux mundi* appellatur. [19] Hanc ob causam Salomon ait: *Lex lux, et mandatum lucerna.* [20] Et pater ipsius [David]: *Praeceptum Domini lucidum illuminans oculos,* idest: *Sapientiam praestans parvulis.* [21] Et alibi: *Lucerna pedibus meis verbum tuum et lumen semitis meis.* [22] Maria igitur, coelestium luminum thesaurus, quid est nisi thesaurus sapientiae et omnium scientiarum Dei?

Apud Platonicos per lunam naturale intellectus et mentis humanae lumen designatur; per solem vero supernaturale divinitus infusum sanctis mentibus. Maria autem omni tum naturali tum supernaturali lumine ditata copiosissime fuit. Duodecim autem stellae in capite quid designant nisi splendidissimam cognitionem rerum omnium perfectissimamque scientiam? Imo perfectissimas scientias rerum omnium naturalium, supernaturalium et divinarum. Habet perfectissimam cognitionem naturae divinae, naturae angelicae, naturae coelestis, naturae elementalis; cognitionem mixtorum inanimorum, plantarum, animalium et hominum; cognitionem mysteriorum omnium Ecclesiae Christi et synagogae satanae, gloriae paradisi et poenarum inferni. Videtis duodecim splendidissimas stellas.

Virgo Deipara scientiae ipsius Dei, imo visionis immediatae Divinae Essentiae thesaurus.

IV. Sed videamus, quaeso, quidam sit quod singulariter sole amicta dicitur, quidnam est solare hoc indumentum, quid significat: *Mulier amicta sole,* idest, lucidissima ac solis instar fulgidissima mihi Deipara Virgo apparuit. Mirabile dictu! Maria nunc divinitus obumbrata legitur, nunc divina luce splendidissime circumfusa: *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi;* [23] nunc autem sole amicta apparet. Et quidem mirum est quomodo obumbrasse eam dicitur Deus, qui lux est infinita lucemque inaccessibilem habitat, [24] nisi per umbram divinam protectionem intelligamus: *Sub umbra alarum tuarum protege me.* [25]

Et quidem verba illa Angeli ad Virginem divinum significant complexum; quod Deus ipse Altissimus futurus esset maritus ipsius, non homo quisquam, ad Christum concipiendum: *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi,* [26] sicut maritus uxori in actu casti sanctique matrimonii: *Ideoque... quod nascetur*

17) 1 Cor 1, 24. 18) Col 2, 3. 19) Io 8, 12. 20) Prv 6, 23. Vulg. habet: *Quia mandatum lucerna est, et lex lux.* 21) Ps 18, 8-9. 22) Ps. 118, 105. 23) Lc 1, 35. 24) Cf. 1 Tim 6, 16. 25) Ps 16, 8. 26) Lc 1, 35.

ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.[27] Quare obumbrare ibi est maritum agere. Deus, inquit, Altissimus vir et maritus tuus erit, qui virginitatem tuam fecundabit quidem, sed minime violabit: obumbrabit tibi, operiet te, sicut: *Nubes lucida obumbravit eos,*[28] operuit eos.

Nec tamen umbra haec mysterio vacat. Deus enim, in Scripturis, in luce et in caligine dicitur habitare. Supra montem Sinai in igne et in caligine descendit; intus ignis erat lucidissimus, foris obscura et tenebrosa caligo.[29] In dedicatione templi descendit Deus in igne de coelo et in caligine densaque nebula.[30] Deus sibi quidem et Beatis in coelo lux est splendidissima, mundo autem caligo et nebula, quae ipsum etiam lucidissimum solem in meridie tegit, et ab oculis nostris abscondit; quoniam incomprehensibilis nobis est natura divina, lux inaccessibilis, et: *Scrutator... maiestatis opprimetur a gloria.*[31]

Deus obumbravit Mariam quia gloriam ipsius prae nimietate abscondere debuit.

Obumbravit Deus in hoc mundo Mariam sicut et Christum; oculis mortalium divinam ipsius gloriam non manifestavit, sed potius abscondit. Quid, si Christus semper visus fuisset hominibus, sicut in transfiguratione visus fuit Apostolis in gloria et maiestate?[32] *Si... cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent.*[33] Quid si Maria sic visa fuisset mortalium oculis in terra, sicut nunc Ioanni conspecta fuit in coelo, solari luce amicta? Quis ad tale tantumque miraculum non obstupuisset? Quis non tanquam divinum numen adorasset? Sed obumbravit eam Deus in terra, ut multo magis glorificaret in coelo; sicut et Christum quem post humilitatem exaltavit, et *donavit illi nomen, quod est super omne nomen.*[34] In coelo Deus exaltavit et glorificavit Christum, similiter et Mariam: *Apparuit in coelo, mulier amicta sole.* In terra voluit ut gratia, virtutibus, meritis plena esset, ut in coelo plena et superplena gloria in aeternum esset. In terra obumbravit eam ita ut ipsimet etiam Virgini altissimi status sui gloria minime esset pro dignitate conspicua. Et sicut Moyses claritatem et gloriam vultus sui ignorabat,[35] ita et Virgo magnitudinem dignitatis et gloriae suae ex profundissima mentis humilitate ignoravit. Hinc enim, in Dei sponsam et matrem Christi electa, ancillam se dicit;[36] et: *Quia,* inquit, *respexit humilitatem ancillae suae.*[36a] O miram obumbrationem!

27) Ibid. 28) Mt 17, 5. 29) Cf. Ex 19, 16 et 24, 16-17. 30) Cf. 3 Rg 8, 10; 2 Par 5, 13. 31) Prv 25, 27. 32) Cf. Mc 9, 1-6; Lc 9, 28. 33) Cf. 1 Cor 2, 8. 34) Phil 2, 8-9. 35) Cf. Ex 34, 29. 36) Lc 1, 38. 36a) Lc 1, 48.

Sol oriens super terram non obumbrat eam, sed lumine magno illustrat. Deus autem cum Maria egit sicut ipse etiam sol. Natura cum sit candidissimus ac splendidissimus, nimio tamen aspectu suo, radiorum suorum claritate, humanis corporibus non candorem inducit, sed potius profundam ac, ut ita dicam, corvinam nigredinem atrumque colorem, sicut in Aethiopibus cernimus.

Ita aiebat Sponsa in *Canticis*, nigram se esse, *quia*, inquit, *decoloravit me sol.*[37] Sic Maria divinae lucis claritate obumbrata fuit, quoniam Deum semper prae oculis habens, divinamque ipsius magnitudinem et infinitam maiestatem agnoscens, de seipsa humillime sentiebat, Deique comparatione, umbram se esse ac nihili existimabat. Sicut enim qui oculis in lucidissimam solis sphaeram fixis, candidissimam illam ac splendidissimam lucem fuerit contemplatus, aversis postea inde oculis, nonnisi umbras et tenebras videre sibi videtur; sic, Dei comparatione, creata omnia umbrae ac tenebrae sunt. Ioannes, cum in Evangelii sui initio aeternam Divinitatis lucem contemplatus fuisset: *In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum;* haec lux est: *In ipso vita erat et vita erat lux hominum;*[38] post lucem hanc nonnisi tenebras reperit: *Lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt,* quia *mundus eum non cognovit.*[39] Quare mundum ipsum tenebras appellat. Talem se reputabat Maria ex perpetua Divinitatis contemplatione ac forte etiam visione.

Maria ex visione Dei tanta luce obumbrata fuit, ut, praeter Deum, nonnisi tenebras videre sibi videretur.

Si enim Moysi[40] et Paulo[41] datum fuit in praesenti vita Deum videre, quanto magis de Virgine Deipara existimare hoc dignum est, quod in Verbi incarnatione vel Christi gloriosa resurrectione aut etiam ascensione, datum ei sit puro mentis oculo Deum videre? An non multo puriores oculos, quibus incircumscriptum lumen videtur, et Moyse et Paulo et ipsis etiam Angelis, coelestibus beatisque spiritibus habuit Maria? Digna fuit Maria ut aeternum Dei Verbum conciperet, gestaret in utero, pareret mundo, lactaret uberibus, vera matris in eum officia exerceret; digna autem minime fuerit ut *eum sicuti est*[42] aliquando videret? Digna ut acciperet a Deo infinitum thesaurum, non autem ut videret aspectuque eius frueretur? Si cui Sanctorum datum est in praesenti saeculo Deum videre, ego Deiparae Virgini, ob infinitam Matris dignitatem paremque sanctitatem et

Moyses et Paulus in hac vita, visione immediata divinae essentiae donati.

Ita a fortiori Maria.

37) Ct 1, 4-5. 38) Io 1, 1. 4. 39) Io 1, 5. 10. 40) Cf. Nm 12, 7-8; Ex 19, 3; 24, 10.
41) Cf. 2 Cor 12, 1-4. Cf. D. Thomam, 2a 2ae, q. 175, art. 3. 42) 1 Io 3, 2.

puritatem, datum esse non dubito, et ad hoc ipsam allusisse cum, Sancto Spiritu afflata repletaque, ait: *Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo,* et: *Quia fecit mihi magna qui potens est.*[43] Sed si in hoc obumbrata fuit, et, ut ita dicam, miraculo tenebantur oculi eius ne Christum sicuti est agnoscerent, nunc in coelo summopere glorificata est, nulla in ea apparet umbra, sed *mulier amicta sole.* Non inquit: Mulier illuminata aut illustrata sole; nam cum in coelo sol positus sit a Deo tanquam fons perennis luminis ad illuminandum mundum, coelum vestit claritate, lunam et stellas aeternis splendoribus luminibusque nunquam deficientibus; Maria autem non illustrata dicitur a sole, sed amicta sole. De Deo legimus: *Amictus lumine sicut vestimento.*[44] Sic Maria luce amicta dicitur, at non qualicumque, sed solari, splendidissima, omnium maxima et excellentissima. Nec mirum, cum legamus quod *fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum.*[45] Sed Maria in coelo inter innumeros soles claritate et gloria singulari, sicut sol inter astra, fulgebit: *Mulier amicta sole.*

Virgo Deipara possessione ipsius Dei tanquam dilectissimi Sponsi atque dilectissimi Filii, thesaurus.

V. Sed in hac locutionis phrasi existimo nonnullum latere mysterium. Non enim ait: Mulier resplendens sicut sol, quemadmodum de Christo in transfiguratione legimus, sed amicta, operta, vestita sole. Quomodo enim Maria solem induit tanquam vestimentum? De Ecclesia inquit Paulus, quod [per] Baptismi sacramentum Christo induta est: *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.*[46] Et saepe utitur Paulus hac phrasi et modo dicendi: *Induimini Dominum Nostrum Iesum Christum.*[47] *Induite novum hominem qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis.*[48] *Expoliantes vos veterem hominem induite novum, ... qui renovatur in agnitionem secundum imaginem eius, qui creavit illum.*[49] Sed non propterea phrasis haec Pauli manifesta est, cum potius Ecclesia vestis sit Christi inconsutilis, cum de fidelibus per Isaiam dicatur ei: *Iis omnibus sicut vestimento,* sive ornamento, *vestieris*

43) Lc 1, 47. 49. Sententia quam hic cl. Auctor tenet communis est. Inter veteres, theologi qui eam tenuere et plus minusve aperte docuere, praecipui sunt: B. Bernardus, *Serm. in Dominica infra Oct. Assumpt. B. M. V.* n. 3. (P. L. 183, 1007). Rupertus Ab. *Lib. 3 in Cant.* (P. L. 168, 394). B. Albertus M. apud D. Antoninum, Part. 4, titul. 15, cap. 17. D. Bernardinus Senens., Tom. 4, Serm. 37, p. 3. Suarez, Part. 3, disput. 19, sect. 4, et alii. Inter recentes, claris. Ioseph Perin in suo *Onomast.* sub nomine *Maria,* ita scribit: « Mariam habuisse scientiam beatif. modo non permanente sed, ut aiunt, transeunte infitiabitur nemo ». Cf. etiam Zamoro O. M. Cap. in lib. *De Perfectione Deiparae* Lib. 2, cp. 36.
44) Ps 103, 2. 45) Mt 13, 43. 46) Gal 3, 27. 47) Rom 13, 14.
48) Eph 4, 24. 49) Col 3, 9-10.

et circumdabis eos tibi sicut sponsa.[50] Alibi Paulus, ut seipsum forte declararet, ait: *Induamur arma lucis, sicut in die honeste ambulemus;*[51] et alibi: *Induite vos armaturam Dei... et induite loricam iustitiae;*[52] alibi etiam: *Induti loricam fidei et caritatis et galeam spei salutis;*[53] tandem alibi: *Induite sicut electi Dei sancti et dilecti viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam.*[54] Hoc est autem quod Paulus ait: monet ut Christi virtutes vitamque sanctissimam imitemur, moresque et personam Christi induamus, eique adeo similes efficiamur, ac si Christi ipsius personam in nobis assumere utcunque possemus. Hinc alibi ait: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de coelo coelestis; sicut portavimus imaginem terreni, ita portemus et imaginem coelestis.*[55] Hoc igitur inquit Paulus Christum induere: Christum perfecte imitari.

Induere est perfecte imitari.

Sed induere in Sacris Litteris, phrasi hebraica, saepe abundare et copiose possidere significat. Nam *Psalmo 64* ubi legimus: *Induti sunt arietes ovium, et valles abundabunt frumento,*[56] hebr. est: *Induentur campi ovibus, et valles operientur frumento,* idest, abundabunt. Similiter *Proverb. 31: Omnes domestici eius induti sunt duplicibus,*[57] hebr.: *Omnis domus eius induta est duplicibus,* idest, abundat copiosa suppellectili. Sic Iob: *Induta est caro mea putredine*[58] sive vermibus, idest, abundat. Sic ait: *Induit maledictionem sicut vestimentum.*[59] *Sacerdotes eius induant iustitiam...; et sacerdotes eius induam salutari;* et: *Inimicos eius induam confusione.*[60] Multaque alia. Ait igitur: *Mulier amicta sole,* idest, luce solari copiosissime abundans, eam perfectissime et abundantissime possidens.

Item induere est abundare et copiose possidere.

Quis autem nescit quod per solem in Sacris Litteris nunc Deus, nunc Christus, nunc etiam perfecta felicitas et beatitudo designatur? *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.*[61] Sic Deus appellatus est sol. Et rex David: *Chi scemesc umaghen Adonai: Sol et scutum Dominus Deus.*[62] Christus etiam sol: *Vobis timentibus nomen meum orietur sol iustitiae;*[63] sic in transfiguratione; sic vultu splendido solis instar apparuit Ioanni.[64] Gloriam etiam designat: *Thronus eius sicut sol in conspectu meo.*[65] *Qui diligunt te sicut sol in ortu suo splendet, ita*

Deus, Christus, perfecta felicitas, in S. L., sol appellati.

50) Is 49, 18. 51) Rom 13, 12-13. 52) Eph 6, 11-14. 53) 1 Tess 5, 8. 54) Col 3, 12. 55) 1 Cor 15, 47-49. 56) Vr 14. 57) Vr 21. 58) Iob 7, 5. 59) Ps 108, 17. 60) Ps 131, 9-16-18. 61) Iac 1, 17. 62) Ps 83, 12. 63) Mal 4, 2. Vulg. habet: *Et orietur vobis timentibus,* etc. 64) Cf. Apc 1, 16. 65) Ps 88, 38.

rutilent.[65a] Sic de mundana felicitate legimus apud Ieremiam 15: *Occidit ei sol cum adhuc esset dies;*[66] et Amos 8: *Occidet sol in meridie, et tenebrescere faciam terram in die luminis.*[67]

Maria, sole amicta, quia perfecte possidet Deum ut Sponsum.

Maria ergo *sole amicta* dicitur quia Deum perfecte possidet tanquam dilectissimum sponsum. Nam maritus operimentum uxoris dicitur in Sacris Litteris, non solum quia eam operit maritali congressu, sed etiam quia eam honoremque ipsius protegit atque defendit. Hinc mos erat antiquitus ut, cum quis mulierem in uxorem ducere vellet, expanderet pallium suum super eam, ut in libro *Ruth* legimus: *Expande pallium tuum super ancillam tuam, quia propinquus es,* [68] idest, ducas me in uxorem, quia tu teneris suscitare semen viri mei defuncti. Hinc ubi in *Exodo 21* legimus: *Non habebit potestatem dominus vendendi ancillam suam populo alieno, si spreverit eam.*[69] hebr. est: *Bebigdo bah, si operuerit eam;* nam *beghed, vestimentum* significat. Similiter Malachiae 2: *Testificatus est Dominus inter te et uxorem pubertatis tuae, quam tu despexisti;*[70] hebr.: *Quam tu operuisti,* vel, sicut vestimentum texisti. Maria igitur *amicta sole* dicitur, idest, Deo, qui sol est sempiternae gloriae, matrimonio coniuncta est, Deum sponsum et maritum habet. Sic etiam Christus Ecclesiae vestimentum dicitur. Haec summa est gloria Mariae, quod vera sit Dei summi Sponsa, sicut summa gloria fuit olim Esther Assuero, regi potentissimo, matrimonio copulari; eam enim ob causam regina coronata fuit.[71]

Maria, sole amicta, quia perfecte possidet Deum ut Filium.

Christum etiam Maria perfectissime possidet tanquam unicum, dilectissimum et optimum filium. Quomodo autem poterat Virgo non solari luce splendidissime fulgere, cum Christum, solem infinitae lucis haberet in utero? Si Deus intra vas ingens crystalli solem reponeret, an non purissimum illud vas solari luce vestiretur? Sic enim sol purissimam coeli substantiam, quae ipsum circumscribit ac circumcingit lucidissimis radiis suis vestit, atque decorat. Sicut lumen, intra crystallum ardens, ipsum crystallum lumine suo circumquaque amicit, sic Virgo coelestis amicta sole iustitiae et gloriae, Christo, est. Indicatur igitur divino hoc ostento, quod Virgo Sanctissima uti sponsa et mater summe particeps est gloriae Christi et Dei, ita ut nec maior participatio aut communicatio excogitari possit.

Virgo Deipara perfectae gloriae et felicitatis thesaurus.

VI. Adhuc autem, qualis et quanta sit ipsius gloria. Nam in Sacris Litteris sol omnium luminarium coeli maximum est non tan-

65a) Idc 5, 31. 66) Vr 9. 67) Vr 9. 68) 3, 9. 69) Vr 8.
70) Vr 14. 71) Est 2, 17.

tum lucis splendore[71a] ac virtutis magnitudine, verum etiam mole, ut certissimis astronomorum et perspectissimorum demonstrationibus scitum perspectumque est. Ex ipsa nanque umbra terrae, qua fit lunare deliquium, manifeste ostenditur sol multo maior universo terrarum orbe. Talis et tanta est solis corporis magnitudo! Qualis igitur magnitudo Mariae quae sole amicta est sicut vestimento?

Mariae gloria magna

Praeterea solaris lux perpetua est, non decrescit unquam aut crescit sicut luna; semper eadem est. Sic Mariae gloria non magna solum, verum etiam aeterna est. Aliud quoque mirabili hoc hieroglyphico indicari mihi videtur. Nam solaris lux non modo magna ac pene infinita aeternaque est, sed si cum reliquis coeli luminibus conferatur, et singula et omnia simul universim posita longissime antecellit, ac pene innumeris partibus superat. Sic et Maria Beatorum omnium gloriam in coelo altissime transcendit. Ideo *Mulier* dicitur *amicta sole.*

aeterna

altissima.

VII. Non pervenit autem ad talem tantamque gloriam Maria nisi per gratiam, per viam virtutis et sanctitatis. Hoc nanque indicavit Christus cum mulieri dicenti: *Beatus venter qui te portavit, et ubera quae suxisti,* respondit: *Quinimo beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud;*[72] hanc, inquit, ob causam Mater mea principio quidem beata est, quia verbum Dei audivit et custodivit. Sic Archangelus Gabriel eam dixit gratia plenam et benedictam inter mulieres,[73] idest, sanctarum omnium animarum sanctissimam. Legimus in Scripturis Sacris divinae huius mulieris multas virtutes et dona Spiritus Sancti, legimus fidem, humilitatem, caritatem, gratiam, benedictionem, Spiritus Sancti plenitudinem; legimus et beatitudinem.

Virgo Deipara summae ac perfectae sanctitatis thesaurus.

Virtutes Mariae.

Sed dantur virtutum gradus in Sanctis; est alius alio sanctior, alius alio perfectior, alius alio Deo carior Christoque similior. Quis igitur gradus fuit virtutum, sanctitatis,[73a] perfectionis Mariae? Summus utique atque supremus, qualis est gradus et perfectio lucis solaris: *Apparuit in coelo,... mulier amicta sole.* Talis fuit ipsius virtus, fides, humilitas, virginitas, caritas, gratia, Spiritus Sancti plenitudo. *Mulier amicta sole;* non ait: Amicta luna. Non amicta, quia luna extrinsecus quidem splendet cum plena est, et veluti nocturnus sol splendet in coelo; intrinsecus autem opaca et obscura

Virtutes Mariae non extrinsecae tantum sed et intrinsecae.

71a) Ms.: *Splendoris.* 72) Lc 11, 27-28. 73) Lc 1, 28. 73a) Ms.: *Sanctitati.*

est; non enim habet naturalem lucem ut ignis, sed adventitiam ut nubes radiis solis illustrata. Lux etiam imperfecta esse potest, sicut primigenia illa lux in mundi exordio imperfectum agebat diem, imperfectum emittebat splendorem.[74] Propterea Deus ad illuminandum diem solem condidit et in firmamento collocavit.[75] Quare sol et naturalem intrinsecus lucem habet, et perfectissimam summeque splendidam. Maria igitur non luna aut luce amicta dicitur sed sole, quia ipsius sanctitas non extrinseca tantum fuit in oculis hominum, sed et intrinseca in oculis Dei; sicut arca testamenti interius et exterius deaurata, sed auro purissimo, optimo.[76] Sic Mariae sanctitas omnisque virtus perfectissima fuit.

Virgo Deipara omnium hominum salutis thesaurus.

VIII. Sed, bone Deus, quam utilis nobis haec *mulier amicta sole!* Utilior mundo Maria quam sol. « Tolle, inquit devotissimus Bernardus, *De Virginis Nativitate,* « tolle solare corpus quod illuminat mundum, ubi dies? Tolle Mariam, quid nisi caligo involvens et umbra mortis ac densissimae tenebrae relinquuntur? ».[77] Etiam astrologi ponunt in coelo solem in virgine utilissimum mundo ac iucundissimum post leonis canisque, coelestium monstruorum, ardores, afferentem[77a] refrigeria temporum et suavissimos autumni fructus. Solem et lunam et stellas inquit Moyses creata fuisse a Deo positaque in coelo in ministerium cunctis gentibus.[78] Mariam autem sole amictam et stellis coronatam in coelo supra lunam collocavit ad summam utilitatem et salutem omnium hominum. Hunc solem suum Deus oriri facit super bonos et malos.[79] Nam per Mariam multi etiam peccatores tandem iustificati salvantur, ni velint omnino cum daemonibus et angelis satanae [esse] impoenitentes. Ab his nanque Virgo sanctissima oculos suae pietatis avertit, sicut sol in Aegypto cum Hebraeos, Dei fideles, clarissima luce perfunderet, Aegyptios reprobos in densissimis tenebris relinquebat, retrahens ab eis radios lucis suae.[80] Multis quidem peccatoribus, qui pio in eam devotionis affectu feruntur, eamque pro sua virili venerantur, causa salutis est, sicut arca testamenti extitit Abiataro sacerdoti, cui rex Salomon ait: *Vir mortis es tu, sed non interficiam te, quia portasti arcam Domini Dei.*[81] Peccatoribus autem impiis atque blasphemis in causam perditionis, sicut illamet arca testamenti fuit Ozae, quoniam

Maria omnium salus.

Maria salus etiam peccatorum qui eam colunt.

74) Cf. Gn 1, 3. 75) Cf. Gn 1, 14-18. 76) Cf. Ex 25 1-18. 77) *Serm. in Nativit. B. M. V.* n. 6. (P. L. 183, 1014). 77a) Ms.: *Afferens.* 78) Cf. Gn 1, 14-15. 79) Cf. Mt 5, 45. 80) Cf. Ex 10, 21-23. 81) 3 Rg 2, 26.

irreverenter eam tetigit; quare a Deo percussus male periit.[82] Vae impiis peccatoribus in malum, qui nec Deum timent, nec Virginem venerantur, sed potius impie ac scelestissime per summam iniuriam blasphemant. Hi enim sicut Oza, divina ultione perciti, in aeternum peribunt, quoniam arcam testamenti Domini immunde tetigerunt. Ipsa enim Maria viva et vera arca Divinitatis est, quae etiam Ioanni in coelo visa fuit quando etiam divinum hoc signum mirabiliter ei apparuit: *Apertum est*, inquit, *templum Dei in coelo, et visa est arca testamenti eius in templo eius;*[83] et statim subiungit: *Signum apparuit in coelo, mulier amicta sole.* Arca utique Divinitatis, quoniam in utero habebat Unigenitum Filium Dei, Verbum aeterni Patris, verum Deum.

82) Cf. 2 Rg 6, 6-7. 83) Apc 11 19.

SERMO QUARTUS

Sabbato Dominicae Tertiae Quadragesimae

DE EXALTATIONE VIRGINIS DEIPARAE SUPRA OMNEM CREATURAM, EX VERBIS:

Et luna sub pedibus eius

Signum magnum apparuit in coelo, mulier amicta sole et luna sub pedibus eius. etc. [1]

Analytica comparatio statuae, imaginis Nabuchodonosor, cum hac statua coelesti, imagine Regis regum, Dei.

I. Dum Virginem Beatissimam altiori qua possum mente et spiritu contemplor in coelo, sicut Ioanni apparuit, videre mihi videor egisse Deum sicut olim egisse potentissimum maximumque Chaldaeorum regem et totius orientis imperatorem Nabuchodonosorem Sacrae Litterae referunt. Is enim cum potentissimus esset, simulque ditissimus, ad ostentandam universo orbi potentiam suam immensosque divitiarum thesauros, statuam fecit auream mirandae magnitudinis. Nam sexaginta cubitorum [1a] altitudinis eam esse voluit sex cubitorum latitudinis; eam, mirabili opere arteque dedalica fabrefactam, erexit in campo Dura provinciae Babylonis, ut a cunctis gentibus, imperio suo subiectis, adoraretur in solemni dedicationis die. [2] Non fuit haec statua similis illi quam in somniis vidit mundanae hieroglyphicum monarchiae. Nam illa caput tantum aureum habebat, postea vero pectus brachiaque argentea, ventrem et crura aenea, tibias ferreas et tandem pedes fictiles ferreosque. [3] Haec autem tota ex auro facta fuit.

Ita, inquam, agere voluisse visus mihi et Deus. En statua tota

1) Apc 12, 1. 1a) Ms.: *Cubitorum* bis habet. 2) Cf. Dn 3, 1-8. 3) Cf. Dn 2, 31-35.

aurea: *Mulier amicta sole.* Coelesti utique auro non terreno, sicut Deus coelorum rex est. Fuit statua illa simulacrum et imago regis Nabuchodonosor; haec autem Summi Regis regum, Dei. A quo artifice statua illa fabrefacta fuerit Scriptura non meminit; huius autem artifex et conditor ipse Deus suis eam manibus plasmavit, sicut in universi primordiis Evam.[4] Illa in campo Dura collocata fuit, ut a cunctis gentibus adoraretur; haec autem in coelo posita est, ab omnibus tum Angelis tum hominibus summa post Deum religione colenda et adoranda.

Statuarum imagines, artifices

magnitudo

Mirabilis plane fuit statuae illius magnitudo, nam fere aequavit magnitudine colossum solis Rodi, qui inter orbis miracula computatur. Illius enim altitudo, si Plinio[5] credimus, septuaginta cubitorum communium; huius vero altitudo sexaginta quidem, sed babylonicorum cubitorum, qui teste Herodoto,[6] tribus digitis maiores erant vulgaribus et communibus. Quare altitudo huius statuae ad sexagesimum septimum vulgarem cubitum ascendebat. Valore autem et pretio longissime colossum illum superabat. Non enim ut ille ex aere, sed ex auro tota effecta erat.

Sed magnitudinem coelestis huius simulacri et Divinitatis ipsius imaginis quis non miretur cum amicta sit sole sicut vestimento? Statuae illius nullum legimus ornamentum; hanc vero divinitus ornatam astrisque coronatam conspicimus. Sunt stellae in firmamento magnum coeli mundique ornamentum; Maria autem divinum et singulare ornamentum coeli empyrei, totius paradisi. Nihil enim sub Deo videtur in coelis pulcrius, mirabilius, divinius Maria amicta sole et stellis coronata.

ornamentum

basis

Tandem non refert Scriptura Divina supra quam basim statua illa mirabilis fuerit situata, firmoque fundamento stabilita. Sed divini huius simulacri basis minime praetermittitur. *Mulier,* inquit, *amicta sole:* ecce simulacrum; *et luna sub pedibus eius:* ecce basis. Aureum simulacrum super basim argenteam collocatum est. Sed sicut simulacrum factum est ex auro coelesti ita et basis ex coelesti argento: *Et luna sub pedibus eius.* Sic, ut in *Exodo* legimus, mandavit Deus, ut divinum ipsius tabernaculum super bases argenteas fundaretur: fecitque Besceleel, Divino Spiritu afflatus, omnes bases sacrosancti illius Divinitatis delubri ex argento.[7] Maria autem tabernaculum illud est de quo Regius Vates ait: *Sanctificavit taber-*

4) Cf. Gn 2, 22. 5) Plin. *Hist. Nat.* lib. 34, cp. 7. Edit. an. 1535, Basileae.
6) Herodot. lib. 1 *Hist.* cp. 178. Edit. an. 1542, Lugduni. 7) Ex 26, 32; et Ex 31, 2-3.

naculum [*suum*] *Altissimus.*[8] Salomon etiam ferculi sui columnas fecit argenteas ad illud sustentandum,[9] domum illam designans quam Sapientia aedificavit sibi, et propterea excidit columnas septem,[10] supra quas divinum illud aedificium fundaret. Sic igitur Deus supra basim argenteam dignissime et honorificentissime auream hanc suam statuam collocavit.

Gravem iram et indignationem regis incurrerunt qui statuam illam ad regis imperium adorare noluerunt, et in ardentissimam fornacem vivi iniecti fuerunt, manibus pedibusque ligatis.[11] Sic in horrendum Dei iudicium incident quicumque sacratissimam hanc totius Divinitatis imaginem venerari et ut par est adorare contempserint. In aeternum namque ignem infernalemque fornacem vivi mittentur cum satana et angelis eius apostaticis, inimicis Dei rebellibus ac desertoribus. Neque erit Deus qui eos salvare possit inde, sicut ex babylonicae fornacis incendio per Angelum suum Deus salvavit tres iuvenes hebraeos, qui, divinae religionis et pietatis intuitu, statuam illam cultu idololatrico adorare noluerunt.[12] Nam, qui divinum hoc simulacrum sanctissimamque Deitatis imaginem adorari mandat, non homo est, sed verus et summus Deus; nec eam adorare cultus idololatricus, ut impii mentiuntur haeretici, sed Dei Sponsam et Christi veram Genitricem et naturalem Matrem venerari, dignisque et meritis honoribus adorare summa religio, summa pietas est; sicut cum divinae Maiestatis intuitu arcam Domini pie venerabantur et adorabant templumque veri Dei summa veneratione dignum existimabant. Et: *Si quis... templum Dei violaverit,* ut Paulus ait, *disperdet illum Deus,*[13] quanto magis qui Sponsam, qui Matrem Dei contempserit et inhonoraverit? Et quidem satis mirari non possum quam magnam reverentiam exigebat Deus ab Hebraeis erga arcam testamenti. Nam sub mortis interminatione mandavit, ne quis eam vel contingere, vel propius accedere, vel, curiositate aliqua permotus, aspicere eam auderet.[14] Sic legimus quod multa millia Betsamitarum occidit, quoniam arcam Domini de terra Philisthaeorum revertentem introspicere ausi fuere, divini mandati vel immemores vel ignari.[15] Sic a nobis Deus magnam omnino reverentiam ac venerationem exigit erga sacrosanctissimam hanc Divinitatis arcam.

adoratio.

Arca Domini veneranda.

Ita Maria.

8) Ps 45, 5. 9) Cf. Ct 3, 9-10. 10) Cf. Prv 9. 1. 11) Cf. Dn 3, 12-23.
12) Cf. Dn 3, 49-50. 13) 1 Cor 3, 17. 14) Cf. Jos 3, 4. 15) Cf. 1 Rg 6, 19.

Per lunam, exaltatio Virginis Deiparae supra omnem creaturam figuratur.

II. Sed tempus iam postulare videtur ut inquiramus quidnam sit quod lunam sub pedibus habet vel tanquam basim vel tanquam scabellum pedum ipsius: *Mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius.* Non ambigo quod sicut per solem, ita etiam per lunam mystice multa designantur. Est autem sol in Sacris Litteris Dei et Christi singularis imago, sicut Isaias 60 ait: *Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunae illuminabit te, sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam et Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet ultra sol tuus, et luna tua non minuetur, quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam.*[16] Et Ioannes in *Apocalypsi* de coelesti Ierusalem ait: *Civitas non eget sole aut luna ut luceant ei, nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna eius est Agnus.*[17] Si igitur per solem Deus, quid per lunam nisi omne quod sub Deo est significare potest? Sicut luna soli subiecta est, ita mundus totus, universalis natura, sancta Dei Ecclesia, ipsa est supramundana paradisi civitas, subiecta Deo est. Et sicut luna a sole omnem[17a] accipit splendorem, pulcritudinem, decorem, gloriam quam habet, ita mundus, natura, Ecclesia, paradisus, bonum omne a Deo: *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.*[18] *Quid... habes,* homo, *quod non accepisti?*[19] Ita Angelo, ita cuivis creaturae dici iure potest: *Omnia* enim *per ipsum facta sunt.*[20]

Deus est sol.

Luna, omne quod sub Deo est.

Luna sub pedibus Mariae, creaturae omnes sub eius imperio.

Cum igitur luna omne quod sub Deo est symbolice designet, quid luna sub Mariae pedibus repraesentat nisi omnem sub Deo creaturam Mariae pedibus esse subiectam? Ut sicut de Christo legimus: *Gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum: omnia subiecisti sub pedibus eius;*[21] ita quoque de Maria intelligamus. Divino igitur hoc mysterio mirabilis exaltatio Virginis supra omnem creaturam figuratur. Hinc Isaias de ea vaticinans ait: *Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium:*[22] idest, mons erit altissimus super omnes montes. Nam sicut Gregorius ait: « Beatissima semper Virgo Maria Dei Genitrix mons fuit, quae omnem electae creaturae altitudinem electionis suae dignitate transcendit. An non mons sublimis Maria, quae, ut ad conceptionem aeterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum choros usque ad solium Deitatis erexit? Huius enim montis praecellentissimam

Maria mons super omnes sua dignitate.

16) Is 60, 19-20. 17) Apc 21, 23. 17a) Ms.: *Omnes.* 18) Iac 1, 17.
19) 1 Cor 4, 7. 20) Io 1, 3. 21) Ps 8, 6-8; Hebr 2, 7. 22) Is 2, 2.

dignitatem Isaias vaticinans ait: *Erit in novissimis diebus* etc. Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariae supra omnes Sanctos refulsit;... et mons in vertice montium Maria non fieret, si hanc supra Angelorum altitudinem divina fecunditas non levaret ».[23] Hoc etiam est quod Ezechiel templum Domini vidit in spiritu, sed in summitate montis excelsi,[24] utique ad designandam altitudinem divini huius templi. Sic Deus Mariam supra lunam collocavit.

III. Sed qualis luna sub pedibus Mariae? Non illa tantum de qua dicitur: *Donec auferatur luna,*[25] quae mutabilem naturam designat; nec illam tantum de qua ait: *Videbo coelos tuos, opera digitorum tuorum, lunam et stellas quae tu fundasti,*[26] per quam Christi designatur Ecclesia: sed illam etiam quae luna in aeternum perfecta[27] appellatur, et de qua dicitur: *Erit lux lunae sicut lux solis, et lux solis septempliciter sicut lux septem dierum,*[28] ubi de Christi et Ecclesiae glorificatione Vates Divinus loquitur. Hoc sole splendidissimo amicta est Maria. Hanc ergo lunam, solis instar fulgentem, sub pedibus habet paradisi Regina, Domina et Imperatrix Angelorum. O divinam exaltationem Mariae! Quisnam non videt lunam hanc splendidissimam sub Mariae pedibus in sacrosancta ipsius Annunciatione, cum ad eam Archangelus Gabriel, summus Angelorum princeps, missus a Deo fuit?[29] Pendet angelica natura a Deo, non secus ac splendor lunae a sole. Dum igitur summus Angelorum legatus ad eam mittitur eamque laudibus effert, suspicit, honorat, veneratur, adorat, tanquam electam, dilectissimam dignissimamque Dei summi Sponsam,[30] quis lunam splendidissimam non videt Mariae pedibus subiectam?

Exaltatio Virginis Deiparae supra omnem ecclesiam et militantem et triumphantem.

Per lunam significatur Ecclesia.

IV. Adhuc autem; quoniam luna propter menstruos defectus et maculas perpetuamque mobilitatem imperfectionis hieroglyphicum [est], designatur hac visione Mariam, ut uni Deo, qui omnis perfectionis infinitus thesaurus est, perfectissime uniretur, omne quod imperfectum sub Deo est, ex animo contempsisse. Aiebat enim cum patre suo David: *Mihi adhaerere Deo bonum est, ponere in Domino Deo* meo *spem meam... Quid enim mihi est in coelo, et a te quid*

Exaltatio Virginis Deiparae supra mundum et omnia quae in eo videntur bona, per eorum contemptum.

23) S. Greg. Papa, *Expos. in 1 Rg.* Cp. 1, 1. (P. L. 79, 9). 24) Cf. Ez 43, 12.
25) Ps 71, 7. 26) Ps 8, 4. 27) Ps 88, 38. 28) Is 30, 26.
29) Cf. Lc 1, 26. 30) Cf. Lc 1, 28 sqq.

volui super terram? Deus cordis mei;... pars mea Deus in aeternum. [31] Sic mundum et omnia quae in eo videntur bona, divitias, gloriam, voluptates ex alto contempsit tanquam inanes umbras vanasque et fallaces bonorum verorum imagines. Sic erat amicta divino sole, et luna sub pedibus eius.

Luna hebraice nunc dicitur ירח *ierach* forte a רוח *ruach spiritu, latitudine, spatio,* ob magnitudinem vel ob lumen spiritale, aut quod spirituum et ventorum causa et indicatrix sit, vel etiam quod forte sit naturae et substantiae tenuis instar nubis et vaporis. Nunc dicitur סהר *sehar a rotunditate,* qualis apparet cum plena est. Aliquando etiam לבנה *lebanah* a *candore et albedine;* lumine enim plena, candide conspicitur. Maria supra lunam est, supra omnem, qui [31a] sub Deo est, candorem et puritatem, supra omnem perfectionem, quae per rotunditatem insinuatur, supra omnem coelestium spirituum virtutem et magnitudinem.

Apud Aegyptios in mysteriis per solem et lunam aeternitas signabatur, tum quod perpetua sint coeli lumina, tum quod in nostro hoc mundo perpetuam pariant rerum generationem. Maria, sole amicta, supra lunam in coelo est collocata, quoniam perpetua ac sempiterna Dei immortalitate donata est.

Exaltatio Virginis Deiparae supra omnem creaturam perfecta fide, basi beatitudinis.

V. Scitum est etiam quod per lunam plenam in Sacris Litteris aliquando perfecta fides exprimitur. Haec luna est quae in fine saeculorum non dabit lumen suum: *Cum venerit Filius hominis putas inveniet fidem super terram?* [32] Haec luna est quae auferetur, quoniam post iudicii magni diem non erit amplius fides. Haec luna nova, cuius causa mandavit Deus Hebraeis, ut, singulis mensibus luna nova in coelo apparente, [32a] dies festus solemniter ageretur: *Buccinate in neomenia tuba in insigni die solemnitatis vestrae, quia praeceptum in Israel est.* [33] Et nova luna primi mensis erectum fuit sanctuarium Domini in deserto, sicut in *Exodo* legimus 40. [34] Quid autem nova luna designat nisi fidem, quam Paulus novam creaturam appellavit? *In Christo enim Iesu neque circumcisio aliquid valet neque praeputium, sed nova creatura.* [35] Hinc sacramentum

Luna designat fidem.

31) Ps 72, 28. 25. 26. 31a) Ms.: *Quae.* 32) Lc 18, 8. Vulg. habet: *Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra?* 32a) Ms.: *Apparentes.* 33) Ps 80, 4-5. 34) Cf. Ex 40, 1 sqq. 35) Gal 6, 15.

fidei lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti appellatur. Sic nova luna novam fidem novae Christi Ecclesiae post veterem synagogam mystice designabat. Licet alias etiam ob causas benedictus Deus neomeniae festum perpetuo servari mandaverit, ob fidem divinae providentiae et gubernationis divinae recognitionem ac gratiarum actionem; sicut sabbatum ob beneficium nostrae ac mundi totius creationis,[36] ut sciamus quod temporum etiam primitias requirit a nobis Deus, sicut et aliarum rerum quae natura generantur, et quod tunc felix faustumque nobis erit omne tempus si a Deo sumat initium. Et tandem mysterio ut exploratum a nobis sit, cum anima, omni vetustate deposita, per fidem et caritatem Deo maxime unitur: *Qui adhaeret* Deo *unus spiritus est* cum eo.[37] In neomenia autem luna cum sole congressa, tunc ei maxime coniuncta est, eiusque veluti amplexibus fruitur ut sponsa sponsi in thalamo geniali.

Cum igitur per lunam vera perfectaque fides significetur, non mirum si Maria lunam habet sub pedibus tanquam fundamentum et basim qua sustentetur. Nam cum Pauli testimonio *fides substantia* sit *sperandarum rerum, argumentum non apparentium,*[38] et, cum *sine fide impossibile* sit *placere Deo; oportet enim accedentem ad Deum credere;*[39] unde: *Credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad iustitiam,*[40] sic: *Iustus... ex fide vivit.*[41] Cum Maria Sanctissima Deo placuerit: *Invenisti enim gratiam apud Deum;*[42] *Ave, gratia plena,*[43] basim hanc solidissimam firmissimamque fidei, sub pedibus animi habuit. Hinc dictum est ei: *Beata quae credidisti, quoniam perficientur ea, quae dicta sunt tibi a Domino.*[44] Videtis fidem beatitudinis basim et fundamentum! *Beata quae credidisti,* hoc est, quia credidisti. Si enim non credidisses, beata minime esses. Sic est *mulier amicta sole:* ecce beatitudo; sed *luna sub pedibus eius:* ecce beatitudinis firmissimum fundamentum. Hoc etiam Christus Dominus insinuavit, cum, mulieri Virginem beatam praedicanti, dixit: *Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.*[45] Auditus autem verbi fidem designat, nam: *Fides ex auditu.*[46] Alibi etiam Salvator docuit fidem esse beatitudinis fundamentum, dicens: *Beati qui non viderunt*

Maria fundata super fidem.

Ideo beata.

36) Cf. Ex 20, 8. 37) 1 Cor 6, 17. 38) Hebr 11, 1. Vulg. habet: *Fides sperandarum substantia* etc. 39) Hebr 11, 6. Vulg. habet: *Credere enim oportet accedentem ad Deum.* 40) Rom 4, 3; Iac 2, 23. 41) Hebr 10, 38. 42) Lc 1, 30. 43) Lc 1, 28. 44) Lc 1, 45. 45) Lc 11, 28. 46) Rom 10, 17.

et crediderunt.[47] *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit;*[48] *Omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam.*[49] Et: *Haec est vita aeterna ut cognoscant te... Deum verum et quem misisti Iesum Christum.*[50]

Haec luna est quae caecam noctem profundasque tenebras saeculi huius illuminat, nubes lucida quae noctu illuminabat Hebraeos in deserto; luna nova, quam[50a] novam creaturam Paulus dixit. Se ipsum declaravit quod haec fides sit *quae per caritatem operatur.*[51] O felices animas quae cum Maria sub animi pedibus coelestem hanc basim habent firmam et inconcussam! Nam haec verae beatitudinis basis et via est. Iosaphat, rex Iudaeorum, pugnaturus contra potentissimum exercitum inimicorum populi sui, dixit militibus suis: *Credite in Domino Deo vestro et securi eritis; credite prophetis eius et cuncta evenient prospera. 2 Paralip. 20.*[52] Alioquin, ut Isaias ait: *Si non credideritis, non permanebitis.*[53] Nam, ut alius Propheta loquitur: *Qui fuerit incredulus, non erit recta anima eius in ipso.*[54] *Iustus autem... ex fide vivit.*[55] Et Christus Dominus noster manifeste dixit quod *qui non credit iam iudicatus est,*[56] idest, iam in reproborum et damnatorum numero reperitur, quia fide caret, quae salutis aeternae basis et fundamentum est. Hinc saepe legimus: *Fides tua te salvum fecit.*[57]

Mariae fides semper viva.

Non fuit autem Mariae fides mortua aliquando, sed semper viva, imo semper vivax, semper efficax et perfecta; nam luna plena erat sub pedibus eius. Fides autem mortua sine caritate, ut Paulus docet, etiam si miracula faciat et montes transferat, ad salutem nihil prodest.[58] Mariae fides sicut granum sinapis fuit, de qua fide pronunciavit Salvator quod apud Deum omnia potest: *Omnia,* inquit, *possibilia sunt credenti,*[59] et de qua Paulus ait: *Omnia possum in eo qui me confortat.*[60]

Exaltatio Virginis Deiparae supra omnem creaturam fide, vitae supernaturalis anima.

VI. Adhuc autem aliud mysterium mihi hic elucet. Nam per lunam apud Sapientes aliquando humanae rationis et mentis lumen insinuatur. Hanc autem sub pedibus habere, quid est nisi intellectum in obsequium Christi captivare? Naturale hoc lumen Virgo tanquam

47) Io 20, 29. 48) Mc 16, 16. 49) Io 3, 17. 50) Io 17, 3. 50a) Ms.: *Quod.*
51) Gal 5, 6. 52) Vr 20. 53) 7, 9. 54) Hab 2, 4. 55) Hebr 10, 38.
56) Io 3, 18. 57) Mt 9, 22; Mc 10, 52; Lc 7, 50; 8, 48. et alibi. 58) Cf. 1 Cor 13, 1-3.
59) Mc 9, 22. 60) Phil 4, 13.

umbratile et subobscurum contemnens, supernaturale et divinum semper appetiit, dicens: *Emitte lucem tuam et veritatem tuam, ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum et in tabernacula tua.*[61] Cumque divinum hoc obtinuisset lumen, sole amicta fuit. Instituebat vitam suam Virgo Beatissima non ex mundana consuetudine aut ex praescripto rationis et prudentiae humanae, sed ex divinae legis instituto; ex fide, ex afflatu Spiritus Sancti vitam et actiones suas moderabatur.

Calcavit etiam Virgo vulgarem saeculi opinionem, quae apud gentes invaluerat, quod luna regina coeli esset et dea. Hinc apud Ieremiam legimus quod etiam Iudaei, gentium errore decepti et a satana alucinati, reginae coeli sacrificabant, eamque divinis honoribus impia religione colebant.[62] Quod peccatum erat maximum, sicut Iob ait: *Si vidi solem cum fulgeret, et lunam incedentem clare, et laetatum est,* idest, deceptum, *in abscondito cor meum, et osculatus sum manum meam ore meo: quae est iniquitas maxima et negatio contra Deum,*[63] solem videlicet et lunam divinis honoribus colere et tanquam divina numina adorare. Nam hanc ob causam iussit Deus festum neomeniae in novilunio, non in plenilunio celebrari,[64] ne fidelis populus una cum idololatris plenae lunae sacrificare videretur, et in ipsius honorem solemne illud festum celebrare. Maria autem lunam sub pedibus habet, quia vulgi stultam hanc opinionem calcavit, omnemque saeculi aestimationem ex alto contempsit, non ignorans saepe abominationem esse apud Deum quod altum est apud homines. Sic omnes mundi vanitates, tanquam vilissimum quid, pedibus calcavit.

Nostrae mulieres hanc coelestem mulierem et non aliam, idest, babylonem, sequantur.

VII. Utinam sic hodie nostrae mulieres faciant ad Virginis Beatissimae imitationem, quae procul dubio posita est a Deo, ut princeps mulierum esset, sicut Maria soror Moysi,[65] quam omnes sequerentur, ac tanquam perfectissimum exemplar divinamque virtutum omnium formam imitarentur. Sed, proh pudor! mulieres quae sub christiano nomine vivunt, et tamen Christi Matrem imitari contemnunt, nec coelestem hanc mulierem sed aliam, illam quam idem Ioannes vidit, omni studio imitantur, babylonem dico, meretricem magnam! *Vidi,* inquit, *mulierem sedentem super bestiam coccineam, plenam nomi-*

61) Ps 42, 3. 62) Cf. 7, 18; 44, 17-25. 63) 31, 26-28. 64) Cf. Nm 28, 11-15.
65) Cf. Ex 15, 20.

nibus blasphemiae, habentem capita septem et cornua decem; et *mulier erat circumdata purpura et coccino et inaurata auro et lapide pretioso et margaritis, habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione et immunditia fornicationis* suae[66] Sic mundana vanitas imo impietas, Ioanni in spiritu ostensa fuit, quae tota sensui carnis innititur, imo a satanae spiritu sustentatur et circumfertur per orbem, totaque in carnis et oculorum concupiscentia consistit et in superbia vitae.[67] Haec vita est impiae gentilitatis, quae Deum non novit, sed inimica Dei Christique est; et tamen haec videtur vita nostrarum mulierum!

66) Apc 17, 3-4. 67) Cf. 1 Io 2, 16.

SERMO QUINTUS

Sabbato Dominicae quartae Quadragesimae

DE SINGULARIBUS VIRGINIS DEIPARAE PRAEROGATIVIS EX VERBIS:

Et in capite eius corona stellarum duodecim

Signum magnum apparuit in coelo, mulier amicta sole et luna sub pedibus eius, etc.[1]

De variis coronis in historia profana et sacra, de numero duodenario, et de corona duodecim stellarum.

I. Vidimus coelestem hanc mulierem, magnum mundi miraculum, sole amictam et supra lunam in coelo collocatam. Nunc videndum nobis est quomodo stellarum diademate sit redimita et ornata: *In capite,* inquit, *eius corona stellarum duodecim.* Sic arcam testamenti legimus aurea corona ornatam;[2] sic diadema regni positum ab Assuero in capite Esther reginae, cum eam ex amore sibi desponsasset.[3] Sed quodnam genus coronae hoc est? Quam mirabile diadema! Nunquam similis visa est corona. Nullus regum aut imperatorum tale habuit diadema: *In capite eius corona stellarum duodecim.*

Coronarum genera apud antiquos.

Apud antiquos multa legimus coronarum genera in honorem victoriae vel signum dignitatis. Erat corona triumphalis ex lauro cum baccis, corona ovalis ex myrto, corona obsidionalis ex gramine, corona civica ex quernis foliis cum glandibus, corona muralis, castrensis, navalis[4] et aliae. Erat corona collaris, qua donatus fuit Ioseph a Pharaone[5] et Daniel a Balthasar rege.[5a] His nanque insignibus principes donabantur et decorabantur, cum a summis principibus tales constituebantur ac

1) Apc 12, 1. 2) Cf. Ex 25, 11. 3) Cf. Est 2, 17. 4) De iis omnibus vide Plin. *Hist. Nat.* lib. 16, cp. 4. 5) Cf. Gn 41, 42. 5a) Cf. Dn 5, 29.

declarabantur, regiis vestibus induti. Erat etiam capitalis corona, qua Mardochaeus donatus fuit ab Assuero,[6] et quam David tulit a rege Ammonitarum et capiti suo imposuit, ex auro et lapidibus pretiosis.[7] Sic reges aureis coronis decorantur, et imperator triplici corona donatur: primum quidem ferrea, postea argentea, ac tandem aurea, quam Romae a Summo Pontifice suscipit.[8]

Coronarum genera in Sacris Litteris.

In Sacris Litteris etiam coronas multiplices legimus. Nunc coronam auream, qua Ioannes Christum vidit redimitum et etiam vigintiquatuor seniores;[9] nunc coronam lapideam: *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso;*[10] nunc coronam gloriae: *Gloria et honore coronasti eum;*[11] nunc coronam [vitae]: *Cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae;*[12] nunc coronam iustitiae: *Reposita est mihi corona iustitiae;*[13] nunc corona incorruptionis: *Et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam;*[14] et: *Cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriae coronam;*[15] legimus etiam spineam Domini coronam.[16]

Corona stellarum. quid.

Sed coronam de stellis praeter hanc nullibi reperimus: *In capite eius corona stellarum duodecim.* Quid igitur corona ista significat? Primum quidem quod, tanquam vera Dei Sponsa, coronata est gloriosissima coeli Regina in aeternum. Omnes animae sanctae tanquam Christi sponsae in coelo coronatae sunt. Sed sicut Salomon multas reginas cum haberet uxores, nam septingentas habuit, una tamen fuit inter omnes ac supra omnes singularis, Pharaonis filia,[17] cui domum magnificentissimam aedificavit;[18] ita Maria Regina reginarum est: *Sexaginta sunt reginae...* sed unica *est perfecta mea, una est columba mea.*[19] Ipsa igitur unica est coeli Regina, sicut unus Deus ipsius Sponsus, unus Christus eius Filius.

Sed cur duodecim stellis compacta est altissimae Reginae huius corona? Etiam sol, qui visibilis coeli huius et stellarum princeps et rex esse videtur, duodecim signis Zodiaci quodam modo designate coronatur. Sic et Mulier amicta sole duodecim habet stellas in capite, quia universalis Regina est, sicut sol coeli universalis sed unicus princeps et monarcha. Sicut igitur solis corona duodecim habet signa

6) Cf. Est 8, 15. 7) 2 Rg 12, 30. 8) Cf. Moroni, *Dizionario Storico-Ecclesiastico*, sub verbo *Corona Ferrea*. 9) Cf. Apc 14, 14; 4, 4. 10) Ps 20, 4. 11) Ps 8, 6. 12) Iac 1, 12. 13) 2 Tim 4, 8. 14) 1 Cor 9, 25. 15) 1 Petr 5, 4. 16) Mt 27, 29; Mc 15, 17; Io 19, 2. 17) 3 Rg 3, 1. 18) 3 Rg 7, 8 sqq. 19) Ct 6, 7-8.

Zodiaci, ita Mariae, quae sole amicta est, duodecim habet splendidissimas ac fulgidissimas stellas.

Duodenarius est numerus universitatis.

Numerus duodenarius, ut Augustinus docet,[20] universitatis cuiusdam numerus est, cum sint duodecim signa coeli et duodecim menses anni et duodecim horae diei; quia etiam constat ex binario, qui multitudinis principium est, et ex denario, qui finis est multitudinis, suprema sphaera omnium numerorum, sicut decima sphaera coelorum et natura divina decima veluti sphaera est spiritualium substantiarum supra novem choros Angelorum.

Duodenarius numerus celeberrimus in S. Script.

Et quidem numerus hic duodenarius in Divinis Litteris celeberrimus et sacratissimus est cum in Veteri tum in Novo Testamento. In Veteri quidem, in duodecim patriarchis filiis Iacob,[21] in duodecim tribubus Israel,[22] in duodecim principibus tribuum,[23] in duodecim fontibus Elim,[24] duodecim panibus propositionis,[25] duodecim gemmis in rationali summi pontificis,[26] duodecim lapidibus ex Iordane sublatis,[27] duodecim bobus aeneis mare aeneum substentantibus,[28] duodecim divisionibus ac partibus terrae promissionis,[29] aliisque permultis. In Novo autem Testamento, in duodecim Apostolis,[30] duodecim cophinis fragmentorum,[31] duodecim thronis iudicantium,[32] duodecim fundamentis, duodecim portis[33] et duodecim Angelis supremae civitatis Ierusalem,[34] duodecim etiam fructibus ligni vitae per singulos menses,[35] multisque aliis. Nam sunt duodecim fidei articuli, duodecim etiam praecepta divina, iunctis Decalogo duobus magnis praeceptis caritatis; duodecim etiam fructus spiritus enumerantur.[36] Nec dubito quin ad mysteria haec allusum sit hisce in stellis.

Virgo Deipara coronam habet duodecim stellarum, idest, *regalitatis*, quia Regina omnium Electorum Dei et omnium creaturarum.

II. Sed hoc sufficit, per coronam hanc designari Virginem Deiparam universalem Reginam omnium Electorum Dei, qui in Sacris Litteris per duodecim tribus Israel designantur. Nam et per stellas Sancti et Electi Dei figurantur cum Angeli tum etiam homines; nam de Angelis legimus: *Cum me laudarent astra matutina,*[37] et in *Apocalypsi* septem stellae in Christi dextera septem Angeli declarantur,[38]

20) *Enarr. in Psalm.* 86, n. 4. (P. L. 37, 1104) et alibi pluries. 21) Cf. Gn 35, 22. 22) Cf. Gn 49, 28. 23) Cf. Gn 25, 16. 24) Cf. Ex 15, 27. 25) Cf. Lv 24, 5-6. 26) Cf. Ex 28, 17-21. 27) Cf. Jos 4, 8-9. 28) 3 Rg 7, 25. 29) Cf. Jos 14, 1-5. 30) Cf. Mt 10, 1-5. 31) Cf. Mt 14, 20. 32) Cf. Mt 19, 28. 33) Cf. Apc 21, 12-14. 34) Cf. Apc 21, 12. 35) Cf. Apc 22, 2. 36) Cf. Gal 5, 22-23. 37) Job 38, 7. 38) Cf. Apc 1, 16.

similiterque septem lampades ardentes ante thronum Dei;[39] de hominibus vero: *Multiplicabo semen tuum sicut stellas coeli.*[40] Et Angelus Danieli dixit: *Qui docti sunt fulgebunt sicut splendor firmamenti, et qui ad iustitiam erudiunt multos sicut stellae in perpetuas aeternitates.*[41] Paulus quoque ait quod sicut *stella differt a stella in claritate*, sic erit *in resurrectione mortuorum.*[42] Sic igitur Virgo Deipara coronam habet duodecim stellarum, quia Regina constituta est omnium Sanctorum et Electorum Dei; Regina omnium Angelorum, qui per duodecim alas Seraphim apud Isaiam designantur;[43] et Regina omnium hominum electorum, qui per duodecim tribus Israel, ut diximus, figurati sunt.[44] Nam etiam Electi omnes ex Veteri et Novo Testamento in duodecim classes distribuuntur. Ex Veteri quidem, Patriarchae, Prophetae, sacerdotes, levitae et iusti quique de populo utriusque sexus. Isti sunt quinque hominum millia quos Christus, Dei Verbum, quinque hordeaceis panibus saturavit. Ex Novo autem, sunt Apostoli, Martyres, pontifices, clerus omnis, religiosi claustrales, virgines sanctimoniales et tandem fidelis populus iuste et sancte viventes.

Maria Regina omnium Electorum.

Maria Regina omnium creaturarum.

Verum non solum constituta Maria est Regina omnium Electorum, sed plane omnium creaturarum Dei, quae numero duodenario continentur. Sunt nanque quatuor genera rerum: haec habent tantum esse, illa etiam vivere, alia etiam sentire, tandem alia intelligere. Sed horum unumquodque tria habent genera subalterna: primum habent coelos, elementa et mixta inanima, lapides et metalla; secundum habent herbas, habent arbores silvestres infructiferas, habent arbores fructiferas et domesticas; tertium habent animalia terrestria, aquatilia et volatilia; quartum habent Angelos in paradiso, homines in mundo, daemones in inferno. Omnium harum creaturarum constituta Regina est, omnibus ad nutum divino imperio dominatur.

Et sicut Iosue imperavit soli et lunae, ut motum sisterent,[45] Elias igni, ut de coelo descenderet,[46] ipsumque coelum clausit[47] et aperuit;[48] sic Maria omnibus omnia imperare potest. O altissimam, o divinissimam Reginam! *In capite eius corona stellarum duodecim.* Sicut Christus imperavit ventis et mari, et obediverunt ei magno cum hominum stupore: *Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei?*[49] Mortuis etiam imperavit et illico surrexere;[50] ita nunc potest

39) Cf. Apc 4, 5. 40) Gn 22, 17. 41) Dn 12. 3. Loc.: *Sunt*, Vulg. habet: *Fuerint;* et loc.: *Sicut*, habet: *Quasi.* 42) 1 Cor 15, 41-42. 43) Cf. Is 6, 2. 44) Cf. Apc 7, 4-8. 45) Cf. Jos 10, 12-15. 46) Cf. 3 Rg 18, 20-40. 47) Cf. 3 Rg 17, 1. 48) Cf. 3 Rg 18, 41-46. 49) Mt 8, 26-27. 50) Cf. Mc 5, 41-42, Lc 7, 14-15 et Io 11, 43-44.

Maria, divino imperio et potestate donata, deaque universi constituta. Sicut Moysi dixit Deus: *Constitui te deum Pharaonis,*[51] idest, ut possis super eum quaecumque Deus potest super regnum ipsius; sic Maria a Deo constituta est super opera manuum suarum,[52] Dea coeli, Domina universi sicut vera Dei omnipotentis Sponsa, vera Christi cunctipotentis Mater; sic altissima Regina assistit a dextris Dei: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato.*[53] O Reginam supra omnem hominum et Angelorum etiam existimationem admirabilem! Quis unquam verbis assequi poterit, ut pro dignitate dicat, qualis et quanta sit gloria altissimae ac divinissimae huius Reginae? *Mulier amicta sole... et in capite eius corona stellarum duodecim.*

De hac Bernardus devotissimus *in Aquaeductu* ait, ostendens eam super Angelos dignitate et gloria exaltatam: « Magnum est Angelo ut minister sit Domini; sed Maria sublimius quoddam meruit ut sit mater. Fecunditas itaque Virginis supereminens gloria est, tantoque excellentior Angelis facta munere singulari, quanto differentius prae ministris nomen matris accepit ».[54] Et exponens hoc ipsum Apocalypsis oraculum, de Virgine ait, dum eam sole amictam et Christum in utero habentem contemplatur: « Nam quod verum Deum et Dei Filium genuit, ut idem ipse Dei atque hominis Filius unus omnino Deus et homo prodiret ex Maria, abyssus est luminis; nec facile dixerim quod vel angelicus oculus ad huius fulgoris vehementiam non caliget ».[55] Sic inquam ego quod ipsis etiam Angelis et beatissimis spiritibus in coelo incomprehensibilis sit gloria et maiestas altissimae huius Reginae Matris Dei. Sententia D. Bernardi.

Per has autem duodecim stellas Divus Bernardus intelligit singulares Virginis praerogativas, quas ipse in tres classes distribuit recensetque in Virginis [hac visione]: praerogativas coeli, praerogativas carnis et praerogativas cordis. Singulis autem classibus quatuor assignat: coeli praerogativas in Virginis conceptione, in Angeli visitatione, in Spiritus Sancti superventione et in Verbi incarnatione; carnis autem praerogativas, quod fuerit ipsa virginitatis primiceria, sine corruptione fecunda, sine gravedine gravida, et sine dolore puerpera; tandem cordis praerogativas dicit virgineae man-

51) Ex 7, 1. 52) Cf. Ps 8, 7. 53) Ps 44, 10. 54) S. Bernard. *Sermo de Aquaeductu*, n. 12. (P. L. 183, 1016). 55) S. Bernard. *Sermo in Domin. infra Octav. Assumpt. B. V. Mariae*, n. 9. (P. L. 193, 1009).

suetudinis pudorem, humilitatis devotionem, credulitatis magnitudinem, et cordis spiritale martyrium, quae ipse, ut solet, pie, copiose et erudite prosequitur. [56]

Virgo Deipara coronam habet duodecim stellarum, idest, *gloriae*, quia corona omnium specialium gratiarum coronata.

III. Sed detur mihi venia si quid, pro tenuitate mea, aliud dixero, coronamque hanc aliter utcumque interpretatus fuero.

Saepe legimus in Sacris Litteris coronam gloriae. De speciali autem gloria scriptum est: *Qui vicerit... dabo illi stellam matutinam.* [57] Corona igitur haec multiplicem designat specialem gloriam; non tantum coronam iustitiae propter utriusque legis divinae, Decalogi, inquam, et duorum evangelicae caritatis praeceptorum perfectissimam observantiam; sed coronam gratiarum et privilegiorum specialium mihi significare videtur.

Speciales Sanctorum gratiae.

Ad Sanctorum autem specialem gloriam et laudem multa divinitus eis concessa singulari dono Sacra testantur Eloquia. Primis parentibus dedit singulare donum innocentiae angelicae et originalis iustitiae. Utinam illud perpetuo servassent! Patriarchis ex dono et gratia speciali saepe Deus apparuit, suaque praesentia consolatus eos fuit. Prophetis multa revelavit arcana coelestia divinaque sacramenta, profundissima, imperscrutabilia incomprehensibiliaque mysteria. Apostolis mirabilem dedit copiam donorum coelestium et ineffabilem Divini Spiritus plenitudinem potestatemque supernaturalem. Aliquos specialiter elegit: Abraham in patrem fidei, Moysem in legislatorem et ducem populi principemque Prophetarum, Aaron in pontificem magnum, Davidem in regem potentissimum, Petrum in summum Ecclesiae pastorem, Paulum in vas electionis et doctorem gentium; Enoch dedit donum singularis sanctitatis, Noe donum perfectae iustitiae et gratiae coram Deo, Abrahamo donum perfectae fidei et caritatis, Moysi donum perfectae amicitiae, familiaritatis et conversationis cum Deo, Samsoni fortitudinem, Salomoni sapientiam, Eliae et Eliseo, post Moysem, operationem miraculorum, Ieremiae et Ioanni Baptistae sanctificationem in utero, Enoch et Eliae donum mirabilis immortalitatis, cum eos in coelum transtulerit. Sic multi Sanctorum, ex aliqua speciali gratia, mundo sunt apud homines necnon et apud Angelos gloriosi.

56) S. Bernard. *Sermo in Domin. infra Octav. Assumpt. B. V. Mariae.* n. 7. (P. L. 183, 1008).
57) Apc 2, 26-28.

Sed Maria ex donis omnium specialium gratiarum gloriosissima; ei nanque dicitur: *Ave, gratia plena;... invenisti enim gratiam apud Deum.*[58] Sic omnium specialium gratiarum corona est divinitus decorata.

IV. Si autem subtilius philosophari permittitur, tres habet fulgidissimas stellas ex divina praedestinatione, tres ex temporali conceptione, tres ex Verbi incarnatione, et tandem tres ex ipsius in coelo glorificatione.

Virgo Deipara coronam habet duodecim stellarum quia tres habet stellas ex divina praedestinatione, tres ex temporali sua conceptione, tres ex Verbi incarnatione, tres ex ipsius in coelo glorificatione.

Tres, inquam, ex divina praedestinatione, quoniam ab aeterno praedestinata electaque fuit ad summum sub Deo gradum gratiae, ad summum gradum gloriae et ad summam divinae maternitatis dignitatem. Hinc fuit, multis, antequam in lucem prodiret mundoque oriretur annorum curriculis saeculisque, magnis praefigurata mysteriis, multisque Prophetarum vaticiniis divinitus praenunciata. Qualis hic honor Virginis, qualis gloria!

In ipsa autem temporali conceptione mirabili (nam ex sterilibus senibusque parentibus nonnisi miraculo concepta fuit, sicut olim Isaac et postea Ioannes Baptista) triplex item fulget splendidissima stella: summa nobilitas carnis et spiritus; summa puritas absque omni macula originalis peccati; et summa ac admirabilis gratiae ipsiusque Divini Spiritus plenitudo, qua forte, ut ego quidem pie credo pieque credendum censeo, datus est Virgini usus liberi arbitrii, ut Deum ex tunc cognosceret et amaret, spirituque in Deo exultaret, sicut Ioanni datum fuit in matris utero, ut Christum agnosceret et spiritu exultaret. Cur enim putemus Matri fuisse negatum quod Praecursori, ministro et vero servo, videmus concessum? Hoc ego existimo singulare privilegium et coronae huius fulgidissimam stellam.

Ex Increati item Verbi incarnatione, fecunda virginitas et virginalis fecunditas. Secundo, divina, vera, naturalis maternitas, et, ex Spiritus Sancti superventione ac virtutis Altissimi obumbratione, verum cum Deo sponsalitium ac matrimonium, ex quo secuta est Christi vera conceptio; in quo, ut pie existimandum censeo, ipsa Virgo in spiritu elevata, sicut et Paulus, Deum ipsum puro mentis oculo intuita est. Quae enim unquam sponsa cum sponso congressa est, quem nunquam viderit, nunquam de visu agnoverit? Aut quis unquam princeps virginem quidem pulcherrimam, sed humili loco natam, suo dignam ducat consortio, sponsalitio, matrimonio, sicut Assuerus egit cum Esther; non autem dignetur aspectu, ut seipsum

58) Lc 1, 28-30.

illi videndum praebeat? Qui virgines per summam iniuriam laedere volunt, has tenebras amant. Deus autem non sic; sed sicut ad matrimonium rite contrahendum assensus et consensus requiritur viri et mulieris mutuus ex libera voluntate; ita Deus per coelestem paranymphum Gabrielem Archangelum pro matrimonio contrahendo liberum requisivit consensum; sic Virgo cum Deo coniuncta et copulata est legitimo et vero matrimonio, quod Angelus verbis illis expressit: *Spiritus Sanctus,* idest, Deus ipse, *superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi,* [59] idest, operiet te. Quomodo ergo non seipsum illi manifestarit, cum verus illius sponsus factus est Deus verus?

Tandem in glorificatione summum consecuta est gradum gloriae, anima et corpore beata, super omnes angelicos choros exaltata, et ad Christi dexteram throno gloriosissimo collocata. Existimari possunt tres stellae tres aureolae, quoniam et martyr spiritu fuit: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius,* [60] et virgo super omnes virgines, et doctrix ac magistra Apostolorum. Sed sunt splendidissimae stellae honor divinae maternitatis, gloria divinae electionis in sponsam et collatio divinae potestatis super omnes creaturas. Deus Pater eam ibi honorat tanquam filiam, Deus Filius tanquam matrem, et Spiritus Sanctus tanquam dilectissimam sponsam, omnium bonorum Dei heredem ac dominam. Sic habemus coronam ex duodecim splendidissimis stellis divinitus compactam.

Virgo Deipara coronam habet duodecim stellarum, idest, *sapientiae,* quia habet cognitionem omnium creaturarum et omnium mysteriorum fidei.

V. Sed cum in Sacris Litteris non tantum gloriae coronam legamus, verum etiam sapientiae, legimus enim a Salomone dictum: *Corona sapientium divitiae,* [61] et ab Ecclesiastico: *Corona sapientiae timor Domini,* [62] quid si corona ista divinam Beatissimae Virginis sapientiam indicat? Qualem quantunque thesaurum sapientiae existimamus esse divinum Mariae caput? Si Salomoni, servo, tantam sapientiam dedit Deus, quantum dedisse Sponsae et Matri existimare par est? Corona duodecim stellarum perfectissima cognitio omnium creaturarum, quas duodenario numero contineri diximus. Corona stellarum duodecim perfectissima cognitio omnium mysteriorum nostrae fidei, quorum sacramentorum divinam plane veritatem Maria super omnes Electos, supra omnes Apostolos, supra omnes spiritus angelicos perfectissime capit et comprehendit plenissime supra quam dici vel cogitari possit. O mirabilem coronam! *In*

59) Lc 1, 35. 60) Lc 2, 35. 61) Prv 14, 24. 62) Eccli 1, 22.

capite eius corona stellarum duodecim. Sic Maria apud Deum sapientissima pro nobis advocata est, sicut fuit sapiens illa mulier Thecuitis apud regem David pro Absalone;[63] propterea enim Deus, nostri amantissimus salutisque nostrae cupidissimus, voluit eam esse sapientissimam, simulque gratiosissimam in oculis maiestatis suae, ut summe idonea esset ad impetrandum pro salute nostra; sicut fuit Esther apud Assuerum pro salute populi sui, qui ab impio Aman, inimicitiae et odii acerrimi causa, ad necem quaerebatur.

Virgo Deipara coronam habet stellarum duodecim, idest, *gaudii*, quia ipsi Dei Electi sunt eius corona et gaudium.

VI. Tandem non incongruum erit forte si dicamus ipso Dei Electos esse gloriosam hanc Deiparae Virginis coronam. S a l o m o n enim ait: *Corona senum filii filiorum;*[64] et P a u l u s eos alloquens quos praedicationis verbo per Evangelium in Christo Iesu ipse genuerat, coronam suam eos esse dixit: *Itaque, fratres mei carissimi et desideratissimi, gaudium meum et corona mea, sic state in Domino, carissimi;*[65] et alibi: *Quae est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriae? Nonne vos ante Dominum nostrum Iesum Christum estis in adventu eius? Vos enim estis gloria nostra et gaudium.*[66] Sic profecto, cum Virgo Beatissima, veluti altera Eva, Mater sit cunctorum viventium in spiritu, Electos omnes suam existimat gloriam et coronam; sicut artifices quique, summa arte ac peritia praediti, in suis operibus, in quibus magna et mirabilis elucet excellentia artis, magnopere gloriantur; unde proverbio dici solet quod opus auctorem laudat, et ex unguibus agnoscuntur leones. Sicut igitur opus, mira arte effectum, decus est et honor artificis; sic, cum omnes Electi quodam modo partus sint Virginis Beatissimae, iis maxime gloriatur, quoniam omnes Electi membra sunt Christi, Unigeniti Filii sui, omnes filii Dei, Sponsi sui.

Virgo Deipara et solem et lunam et stellas habet, ut possit illuminare iustos et peccatores.

VII. *In capite eius corona stellarum.* Creavit Deus luminaria in coelo ad illuminandum mundum, sed solem ad illuminandum diem, non autem noctem, lunam vero et stellas ad illuminandam noctem. Maria simul et solem et lunam et stellas habet, ut possit luce perpetua et diem illuminare et noctem, ut luce gratiae coelestis divinisque bonitatis et benignitatis suae splendoribus, et iustos et peccatores illustrare possit; ita ut facilius sit in aeternis coeli luminaribus lucem non reperire, quam in Beatissima hac Dei Genitrice et vera

63) Cf. 2 Rg 14, 1 sqq. 64) Prv 17, 6. 65) Phil 4, 1. 66) 1 Thes 2, 19-20.

Matre gratiam et misericordiam non invenire. Stultum est dubitare de sole; multo stultius de pietate Mariae haesitare. Sicut enim sol totus lux est, ita plane Maria tota bonitas, et benignitas, pietas, misericordia, caritas, tota materna viscera.

Omnes ad Mariam recurramus.

Iustis, qui per diem designantur, Maria amicta sole est; peccatoribus, per noctem figuratis, luna splendida cum multarum stellarum luminibus. Omnes ergo et iusti et peccatores ad thronum gratiae ipsius accedamus. *In capite eius corona stellarum.* Thesaurus ostenditur, uti supra diximus, coelestium luminum Virgo Deipara; et vere infinitum thesaurum coelestium bonorum et gratiarum invenit qui Mariam invenit, qui, ex Dei utique dono, Mariam pio et singulari prosequitur pietatis affectu tanquam singularem patronam et matrem. Sicut enim magnum Dei donum fuit quod homo ingentem illum evangelicum thesaurum in agro invenerit;[67] ita plane et hoc donum est singulare; nam thesaurus iste reperitur in coelo. Quid autem deesse potest homini qui Mariam habet in coelo patronam et matrem, cum ipsa apud omnipotentem Deum sit omnipotens advocata? Nam si *omnia possibilia sunt credenti,*[68] quanto magis vere Matri, vere Genetrici, vere Parenti?

67) Cf. Mt 13, 44. 68) Mc 9, 22.

SERMO SEXTUS

Sabbato post Dominicam Passionis

DE VIRGINIS DEIPARAE DOLORIBUS

Et in utero habebat et clamabat parturiens, et cruciatur ut pariat. Et vidi, etc. [1]

I. Vidimus mirabile spectaculum, coeleste miraculum, divinam mulierem amictam sole, lunam sub pedibus pro scabello habentem aeternarumque stellarum splendoribus caput coronatam. Nunc partus doloribus misere angustiatam et cruciatam cernimus: *Clamabat parturiens et cruciatur ut pariat.*

Per discruciationem mulieris maximus Deiparae dolor ob Filii passionem significatur.

Sed quomodo partus doloribus cruciata fuit Maria, si virgo intemerata peperit, si Christus magno miraculo ex illa natus est, clauso utero virginitatis, claustro ne minimum quidem violato, sicut ad Apostolos clausis ingressus fuit ianuis? Nam alioquin non fuisset Maria perpetua virgo, clausa illa ianua templi Ezechielis, [2] hortus conclusus et fons signatus; [3] quod nefas est arbitrari. Constans est fidei sacratissimae dogma perpetua Mariae virginitas; Christum nanque peperit sicut aurora solem, sicut stella radium, sicut luna splendorem. Quae igitur tanti causa doloris et cruciatus fuit? Illa plane quam Ioannes indicavit statim subiungens: *Et visum est aliud signum in coelo: ecce draco magnus* et *rufus habens capita septem et cornua decem et in capitibus suis diademata septem; et cauda eius trahebat tertiam partem stellarum coeli, et misit eas in terram.*

Maria non doluit in partu Filii.

sed ex visione persecutionis satanae.

1) Apc 12, 2-3. Vulg. habet: *Et in utero habens clamabat parturiens, et cruciabatur ut pariat. Et visum,* etc.
2) Cf. Ez 44, 1-3.
3) Cf. Ct 4, 12.

Et draco stetit ante mulierem, quae erat paritura, ut, cum peperisset, filium eius devoraret.[4] Quis iste sit draco ipsemet Ioannes manifestum facit: *Proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et satanas, qui seducit universum orbem, et proiectus est in terram, et angeli eius cum illo missi sunt.*[5]

Notum est oraculum illud: *Inimicitias ponam inter te et mulierem et semen tuum et semen illius,*[6] quod serpenti antiquo dictum a Deo fuit. Sciens igitur Virgo Sanctissima immane odium satanae in Christum, praenoscens in spiritu quales quantasque infernalis draco contra Christum machinabatur persecutiones ad perdendum eum, clamabat, cruciabatur. Illum quodam modo parere minime voluisset, ne Unigeniti Filii sui talia tantaque mala a diabolo illi parata videret. Crudelis igitur satanae in Christum persecutio supra modum Virginem cruciabat, illiusque sanctissimum pectus proscindebat ac viscera dilaniabat, sicut Simeon sanctissimus, Divino Spiritu afflatus, praedixit ei: *Positus est hic in signum cui contradicetur, et tuam ipsius animam pertransibit gladius.*[7] In Christi igitur passione Virgo passa fuit partus dolores, nam in partu nullum omnino dolorem experta fuit. Magnitudo igitur doloris, imo dolorum Virginis hic indicatur, cum dicitur: *Clamabat parturiens, et cruciatur ut pariat.*

Maria in partu gavisa est, in passione Filii vehementissime doluit.

In partu Maria mater beatissima fuit sicut Lia dixit, nato Aser: *Hoc pro beatitudine mea; beatam quippe me dicent* omnes *mulieres.*[8] Sic Virgo: *Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi* Dominus *magna qui potens est.*[9] Sed in passione Filii, in extrema illa acerbissima et immanissima, quam a satana passus fuit, persecutione, mater afflictissima et dolentissima; ita ut iure illud usurpare potuisset: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte si est dolor sicut dolor meus;*[10] dicere cum Noëmi, orbata dilectissimis filiis: *Vocate me marah,... quia amaritudine... replevit me* Dominus.[11] Mariae unicus moriebatur Filius, sed qui melior illi erat quam decem filii. Tunc vere, secundum nomen suum, fuit Virgo amarum mare, ingens mare amaritudinis, amarissimi doloris. Tunc vere eam Deus infinita prope amaritudine replevit: *Vocate me marah,... quia... amaritudine replevit me* Dominus. Sic ex nimio dolore, qui sacratissimum

4) Apc 12, 3-4. 5) Apc 12, 9. 6) Gn 3, 15. 7) Lc 2, 34-35.
8) Gn 30, 13. 9) Lc 1, 48-49. 10) Thren 1, 12. 11) Ruth 1, 20.

ipsius cor transverberabat, tristis facta usque ad mortem, clamabat et cruciabatur, dolores partus experiebatur.

Dolores partus maximi.

Hac enim dicendi phrasi et figura ad magnum dolorem exprimendum Sacrae Litterae utuntur. Sic Regius Vates de inimicis Dei, principibus tenebrarum, ait: *Ipsi videntes sic admirati sunt, commoti sunt, turbati sunt, ibi dolores ut parturientis.* [12] Sic Isaias: Ut *parturiens,* inquit, *dolebunt.* [13] Hac metaphora saepe usus est Ieremias et alii etiam Prophetae [13a] ad maximam vim doloris exprimendam; imo et ipse Dominus hac metaphora significavit dolorem Apostolorum ob instantem passionem et mortem suam: *Mulier, cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius; cum autem* peperit filium, *iam non meminit pressurae propter gaudium, quia natus est* ei *homo in mundum;* ita *et vos... nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* [14] Ita nunc per discruciationem parturientis maximus Deiparae Virginis dolor ob unici ac dilectissimi Filii passionem significatur.

Parentes maxime dolent in morte filiorum.

Parentes enim in morte carissimorum pignorum maximo supra quam dici possit afficiuntur dolore. Patet in dolore inconsolabili Iacob patriarchae ob praesumptam mortem dilectissimi filii Ioseph, visa ipsius tunica sanguine deturpata. [15] David etiam, audita morte Absalomi, parricidae licet filii, quam amare flevit: *Absalom, fili mi, fili mi, Absalom! Quis mihi det ut pro te moriar, fili mi, Absalom?* [16] Patientissimus Iob, audita bonorum suorum iactura, nihil fere motus fuit, sed, audita morte filiorum, tunc maxime afflictus fuit; tunc scidit vestimenta sua, claraque doloris maximi indicia dedit. [17] Divus Moyses tacuit fletum et lacrimas parentum nostrorum Adami et Evae ob crudelem mortem Abelis, veluti indicans quod nullis verbis exprimi pro dignitate potuit. Quod etiam Timanthes, pictor nobilis, indicavit in morte Hiphigeniae. [18] Nam, cum astantes omnes vultu maxime flebili lacrimantes suo penicillo expressisset, Agamemnonem, amantissimum parentem, depinxit facie velatum.

12) Ps 47, 6-7. Vulg.: *Conturbati..., commoti,* etc. 13) Is 13, 8. 13*a*) Jer 4, 31; 6, 24 et alibi; Ez 30, 16; Os 13, 13; Mich 4, 10. 14) Io 16, 21-22. 15) Cf. Gn 37, 33-35. 16) 2 Rg 18, 33. Vulg. habet: *Fili mi, Absalom, Absalom, fili mi: quis mihi tribuat ut ego moriar pro te, Asalom, fili mi,* etc. 17) Cf. Iob 1, 13-20. 18) Cf. Plin. *Hist. Nat.* lib. 35, cp. 10, pag. 620.

Virgo Deipara ex maximo amore maximo dolore affecta in passione Filii.

II. Oritur ex amore dolor, amorque ipse aequa lance est mensura doloris. Ex magno amore magnus dolor exoritur. Qui maxime amat, is maxime dolet, cum id quod amabat amittit. Si in magna domo ac numerosa familia unicus filius et sponsus moriatur, dolent quidem omnes, sed omnium maxime parentes et sponsa. Ii autem ad quos defunctus nulla ratione attinebat, nullo penitus dolore tanguntur. Magnus est parentum dolor in morte pignorum, quia magnus est erga prolem amor. Hinc Deus in Isaac dilectissimo filio tentavit Abraham, veluti facturus periculum an Abraham vere ex animo Deum colebat, et super omnia diligebat. Nam vix reperiri aut excogitari potest purior, verior, maior in natura amor quam parentum erga filios, maxime autem unicos diuque optatos. Nam quotidiano usu videmus animalia ipsa rationis expertia pro salute carissimorum pignorum audacter mortem appetere, ipsa instigante et urgente amoris natura, ut periculum omne contemnant pro tutandis filiis.

Amor parentum erga filios magnus.

Mariae amor erga Filium maximus fuit, quia unicus erat filius;

Maria autem vera genitrix naturalisque parens fuit Christi Domini nostri, ipseque eius verus et naturalissimus filius, et quidem unicus, pulcherrimus, gratiosissimus, optimus, omni virtute praeditus, numeris omnibus absolutus, erga Matrem ipsam pientissimus et amantissimus. Qualis igitur erat Virginis amor erga Christum? Verbis assequi nemo potest, nec mente quidem.

Sciebat enim, quod etiam verus et naturalis Dei omnipotentis Filius erat. Habebat in utero, sed quem? Quam prolem? *Peperit,* inquit, *filium masculum qui recturus erat... gentes in virga ferrea, et raptus est filius ad Deum et ad thronum eius,* [18a] ad thronum utique eius, ut sederet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, super omnes Angelorum choros, Deo aequalis in gloria et maiestate.

quia ab ipso omnem gloriam acceperat.

Hunc habuit in utero, et inde omnem suam gloriam ipsa accepit, ut esset amicta sole, lunamque sub pedibus haberet, et in capite coronam stellarum duodecim. Hanc enim gloriam non a seipsa habuit Virgo Deipara, sed a Deo, Creatore coeli, qui solem, lunam et stellas creavit; a Christo, Filio suo, per quem omnia facta sunt, [19] et ipsa quoque; quare erat ei Christus non tantum filius, verum etiam parens, qui eam creaverat; sponsus, qui eam elegerat ac sanctificaverat, virtuteque omni et gratia decoraverat; servator, qui bona omnia ei providerat; erat ipsius et Dominus et verus summusque Deus. Sic

18a) Apc 12, 5. 19) Io 1, 3.

infinitas causas et obiecta amoris in Christo nobilissimus Mariae animus reperiebat, de quo legimus: *Totus ipse desiderabilis,*[19a] sive, ut est hebr.: *Totus ipse desideria,* vel: *Omnia ipse desideria,* hoc est, quidquid desiderari potest copiosissime reperitur in eo; sic summe erat desiderabilis, summe amabilis, Virgini autem Matri summe amatus, maxime dilectus. Si igitur amorem sequitur dolor, ut ignem calor, quis vel cogitatione assequi poterit dolorem Deiparae Virginis? *Cruciabatur parturiens.*

Magnitudo doloris in Maria ex prophetia Simeonis.

Non sensit partus dolores, cum Christum in lucem edidit, quem utique cum gaudio peperit, ut Sancti docent: Cyprianus, *De Nativitate,*[20] Athanasius, *In Descriptione Mariae et Ioseph,*[21] Gregorius Nyssenus, *De Nativitate Christi,*[22] Damascenus, *De Dormitione Deiparae,*[23] et Bernardus, *Sermo I in Vigiliam Nativitatis.*[24] Sed tamen non effugit dolores et cruciatus multo acriores et vehementiores, ut ait Damascenus, *Libr. IV. De Fide Orthodoxa,* cap. 14. « Ipsa, inquit, beata et super naturam donorum digna effecta, dolores partus, quos effugit pariens, illos tempore passionis sustinuit ex materna compassione viscerum, lacerum reparturiens. Sic interpretatur vaticinium Simeonis: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius* ».[25] Forte contra Origenem, qui gladium hunc, impie sane, ut multa alia, de infidelitate fuit interpretatus, quod passionis tempore anima Virginis cum ceteris Apostolis gladio infidelitatis fuerit penetrata.[26] Sed ubi, inquam, infidelitatis gladium legit Origenes? Legimus plane fidei gladium: *Accipite gladium spiritus, quod est verbum Dei;*[27] et: *Vivus est sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti;*[28] et: *De ore eius procedebat gladius ex utraque parte acutus.*[29] Sed gladium infidelitatis non legimus. Quare iniurius plane fuit Origines in Virginem, eumque iure Simeon Metaphrastes, graecus auctor, convellit in oratione, *De Ortu et Educatione Virginis,* ubi per gladium hunc acutissimum doloris gladium interpretatur,[30] sicut Damascenus[31] et Euthymius in *Lucam,*[32] et Ven.

19*a*) Ct 5, 16. 20) Circa principium. Opus apocryphum. Edit. a Stephano Balutio recognita. Venetiis, an. 1700. 21) N. 7-9. Opus apocryphum. (P. G. 28, 348-350). 22) Post medium. (P. G. 46, 1139). 23) *Serm.* 2, n. 3. (P. G. 96, 870). 24) N. 1. (P. L. 183, 755). 25) Ad sensum. (P. G. 94, 277). Ms.: Cp. 15. 26) Homil. 17 *in Lucam*, cp. 2, vr. 35. (P. G. 13, 952). 27) Eph 6, 17. 28) Hebr 4, 12. 29) Apc 1, 16. 30) Cf. N. 14 (P. G. 115, 543). 31) *De Fide Orthodoxa.* lib. 4, cp. 14 (P. G. 94, 277). 32) Cf. *Comment. in Lucam*, cp. 2, vr. 35. (P. G. 129, 894).

Beda ibidem,[33] Bernardus,[34] item et Anselmus,[34a] qui ob acutissimum hunc gladium doloris Mariam martyrem et plusquam martyrem praedicant.

Virginem Deiparam nec resurrectionis fides, nec in Deum caritas a summo dolore cohibuit;

III. Sunt vero multi, qui in laudem Virginis existimant eam in Christi passione nullo dolore affectam fuisse, cum ob certissimam fidem resurrectionis tum ex perfectissima in Deum caritate, qua unus spiritus unaque voluntas cum Deo erat Maria; erat autem voluntas Dei ut Christus talia pateretur, talemque sustineret passionem et mortem.

Sed ii Virginem Beatissimam fere in stupidam Stoicorum sectam adigunt, qui perfectam virtutem in stuporem et insensibilitatem passionum naturalium statuebant.[35] Sicne nos stupidam et insensatam fatebimur extitisse Mariam? Sic ei saxeum pectus, lapideum cor, stirpea viscera tribuemus, ut non senserit illa dolorem, quem terra una cum coelo, quem saxa, quem monumenta, quem mortua sensere cadavera? Scio perfectissimam in ea extitisse fidem, perfectissimam caritatem, qua ipsamet suis manibus cum Abraham, si opus fuisset, unicum ac dilectissimum Filium suum Deo in sacrificium obtulisset ipsaque crucifixisset; sed tamen non sine maximo animi dolore et maternarum viscerum discruciatione; neque enim Abraham insensibili stupiditate affectus filium immolabat. Perfectissima in ea erat fides et caritas, sed virtus perficit naturam, non destruit. Non efficiebat virtus animi quin mulier esset natura pio, molli, tenero dulcique corde; quin vera et naturalis esset amantissima parens, dulcissima ac tenerrima mater, maternis visceribus affecta erga unicum ac dilectissimum Filium. Neque enim ipsa Christo phantasticum dedit, non verum et naturale corpus, ut impii nugabantur Manichaei, sed verum, sed naturale, ex suis purissimis sanguinibus, divina Spiritus Sancti opera, in suo ipsius utero formatum. Quomodo ergo tunc potuit non sentire materna viscera, non satisfacere maternis affectibus citra virtutis iniuriam, citra divini iudicii sugillationem? Christus Dominus noster perfectissima supra quam dici aut cogitari possit praeditus erat caritate, divinamque certo certius noverat vo-

quia virtus non destruit naturam sed perficit.

33) Cf. *Comment. in Lucam*, cp. 2, vr. 35. (P. L. 92, pag. 346). 34) Cf. *Serm. in Domin. infra Oct. Assumpt. B. V.* n. 14-15. (P. L. 183, 1012). 34a) Lib. *De Excellentia Virginis*, cp. 5 (P. L. 159, 567). 35) Cf. Plutarch. *Comment. adversus Stoicos*, pag. 477 sqq. Edit. an. 1573, Basileae.

luntatem Dei, et tamen ad solam mortis recordationem: *Coepit pavere et tedere, coepit contristari et moestus esse;*[36] et ait: *Tristis est anima mea usque ad mortem;*[37] *factus* fuit prae angustia *sudor eius* velut *guttae sanguinis decurrentis in terram; et factus in agonia*[38] fuit; qui tamen optime noverat futuram resurrectionem. Noverat divinum iudicium supra civitatem Ierusalem, et tamen: *Videns civitatem flevit super* eam;[39] noverat mox futuram Lazari resurrectionem, sed tamen videns sororum lacrimas et Iudaeos plangentes, ipse quoque, illis compatiens, turbavit semetipsum et lacrimatus fuit cum eis.[40] Sic Paulus ait flendum esse cum flentibus, sicut gaudendum cum gaudentibus.[41] Quomodo ergo Virgo Beatissima in tam flebili spectaculo, in tam lugubri tragoedia potuit ab amarissimis lacrimis temperare, ab inconsolabili fletu abstinere?

Mulier illa Naimitis inconsolabiliter flebat, quoniam mortuus illi erat unicus filius, et ipsa vidua erat;[42] sed in eadem navi erat Maria. Quam vere ergo cum Noëmi dicere poterat: *Vocate me marah..., quia amaritudine replevit me* Dominus, imo, inquit, *amaritudine valde replevit me* Dominus. *Cur... vocatis me Noëmi quam Dominus humiliavit, et afflixit Omnipotens?*[43] Si Apostolorum afflictionem Dominus ob passionem mortemque ipsius dolori parturientis mulieris comparavit,[44] quid censendum de Matre?

Doluit Naimitis in morte Filii. Plus Maria.

Multae mulieres, sequentes Christum ad Calvariae locum, amare flentes lugebant et lamentabantur eum;[45] sicut etiam per Zachariam fuerat vaticinatum: *Plangent eum planctu quasi super unigenitum, et dolebunt super eum ut doleri solet in morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus in Ierusalem.*[46] Erit, inquit, amarissimus planctus qualis esse solet in familia, cum parentibus defunctus fuerit primogenitus filius. Per hunc enim planctum solet Scriptura maximum dolorem exprimere, sicut per Ieremiam dicitur: *Luctum primogeniti fac tibi planctum amarum.*[47] Sic igitur multae mulieres Christum plangebant et lamentabantur; et sola Virgo inter tot plangentes siccis oculis manebat? Sola non sentiebat dolorem, cui primogenitus et unicus Filius ante oculos suos horrenda crudelitate occidebatur? Non sic, non sic, sed: *Clamabat reparturiens et cruciabatur ut pareret.* Tunc experiebatur acerbissimos cruciatus et dolores maximos partus.

Mulieres in passione Christi flebant. Magis Deipara.

36) Mc 14, 33; Mt 26, 37. 37) Mc 14, 34; Mt 26, 38. 38) Lc 22, 43-44. 39) Ibid. 19, 41. 40) Io 11, 35. 41) Cf. Rom 12, 15. 42) Cf. Lc 7, 12. 43) Ruth 1, 20-21. 44) Cf. Io 16, 21-22. 45) Cf. Lc 23, 27. 46) Zac 12, 10-12. 47) Jer 6, 26.

Deipara Virgo multos fuit perpessa dolores in vita Filii, maxime vero in eius passione et morte.

IV. Multos perpessa fuerat Christi causa dolores ex quo illum peperit, imo etiam antequam illum pareret. Primo quidem ob exortam adulterii suspitionem apud virum suum Ioseph, unde cum *nollet eam traducere* cogitabat *occulte dimittere eam.*[48] Deinde vero cum partui iam vicina summam hominum inhumanitatem in Betlehem fuit experta; omnium enim domibus exclusa, cum pium hospitem neminem reperisset, nec meritorium quidem. Cum non esset ei locus in diversorio,[49] ad fugiendas noctis iniurias in stabulum una cum bestiis se recipere compulsa fuit, ibique suum et Dei Primogenitum et Unigenitum Filium parere, tenerrimumque et mollissimum Infantem in praesepio collocare. Magnum experta fuit dolorem in aspera acerbaque Filii circumcisione, videns suavissimum Infantulum ob vulnus illud inflictum dolentem, plangentem, lacrimantem. Magnum, in die purificationis suae et praesentationis Filii sui in templo in Ierusalem, accepto a Simeone vaticinio quod graves passurus erat ipsius Filius acerbasque persecutiones. Magnum, cum, Angelo revelante, cognovit quod impius Herodes quaerebat puerum ad perdendum eum, et fugere in Aegyptum opus fuit. Magnum sensit dolorem cum puerum Iesum duodennem amisit in templo: *Pater tuus et ego dolentes quaerebamus te.*[50]

Maria doluit in vita Filii;

Sed haec initia fuerunt, praeludia quaedam et praelibamenta dolorum; nondum ventum est ad gladium pertranseuntem animam. Cum Christus, post susceptum a Ioanne baptisma et satanam in deserto devictum et superatum, mundo se manifestare coepisset praedicando Evangelium et divina operando miracula ad destructionem et eversionem regni satanae, tunc acerbissima coepit persecutio, Virgini non ignota. An ignorare potuit quod concives sui, audita in synagoga praedicatione, nec ferre valentes acrem vitiorum reprehensionem, repleti ira eiecerunt eum extra civitatem, ut e monte illum praecipitio perderent? Quod fugiens mortalem Iudaeorum persecutionem ambulabat in Galileam: *Quia quaerebant eum Iudaei interficere?*[51] Quod multis eum iniuriis et maledictis proscindebant, inhonorabant, contemnebant, multas calumnias inurebant Unigenito Filio Dei, vero Messiae? Quod cum saepe lapidibus impetere voluere? Quod Iudaeorum proceres edictum mortis contra vitae Auctorem per summum scelus promulgarunt?

48) Mt 1, 18-20. 49) Cf. Lc 2, 7. 50) Lc 2, 48. 51) Io 7, 1.

Sed tunc vere acutissimi doloris gladius sanctissimam ipsius animam pertransivit, cum captum a Iudaeis novit, proditore Iuda; cum, post dira flagella, damnatum intellexit ad infamem ac turpissimam mortem latronum cum eum spinis coronatum, crucem sibi baiulantem vidit cum latronibus duci ad Calvariae locum, ut crucifigeretur; cum tandem clavis in cruce confixum pendentem in aëra vidit, vocemque ipsius audivit, nam: *Stabat... iuxta crucem Iesu Mater eius;* [52] cum mortuum conspexit. O dolorem; ineffabilem! Cum sanctus David, cuius cor erat quasi leonis, Ionathae mortem audivit, non potuit continere lacrimas, sed amare coepit flere et cum lacrimis dicere: *Doleo super te, mi frater Ionatha, decore nimis et amabilis super amorem mulierum.* [53] Quales ergo lacrimas tunc fudit Maria? Quo dolore affecta? *Nunquid potest mulier oblivisci infantem suum, ut non recordetur filii uteri sui?* [54]

maxime vero in passione et morte.

Doluit David in morte Ionathae. Magis B. Virgo.

Iacob patriarcha, visa tantum tunica filii sui Ioseph sanguinata, et mortuum arbitratus devoratumque a truci aliqua fera, licet multos alios haberet filios, tamen ad spectaculum illud, inconsolabili dolore oppressus, amarissime flere coepit. [55] Quid igitur Virgo Beatissima, videns unicum et dilectissimum Filium suum in oculis suis crudelissime a Iudaeis occisum? Vere tunc Christus fuit Virgini filius doloris, sicut Beniamin matri Racheli; unde *Benoni,* idest, *filium doloris* eum appellavit, prae nimio partus dolore extincta. [56] Vere dici potest de Virgine: *Plorans ploravit in nocte et lacrimae eius in maxillis eius, non est qui consoletur eam ex omnibus caris eius.* [57] Et ipsa iure illud usurpare potuit: *Posuit me* Dominus *desolatam, tota die moerore confectam.* [58] Et si Paulo ob ardentem in Christum caritatem dicere licuit: *Christo confixus sum cruci. Vivo autem, iam non ego; vivit vero in me Christus,* [59] quanto magis licuit Mariae? Si igitur sic Christus vivebat in Virgine, quid pati poterat Christus quin illud etiam cum eo pateretur et Virgo? Compatiebatur Filio, sed ipsa quoque summam afflictionem patiebatur; condolescebat Filio, sed ipsa amarissime indolescebat, ita ut opus fuerit eam consolari a patiente Filio, cum respiciens in eam Christus simul et in Ioannem, dixit ei: *Mulier, ecce filius tuus.* [60] Sed ipsum hoc verbum

Doluit Iacob in putata morte Ioseph. Plus Maria in morte Iesu.

52) Io 19, 25. Vulg. habet: *Stabant,* etc. 53) 2 Rg 1, 26.
54) Is 49, 15. Vulg. habet: *Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui?* 55) Cf. Gn 37, 31-35. 56) Cf. Gn 35, 18. 57) Thren 1, 2.
58) Thren 1, 13. 59) Gal 2, 19. 60) Io 19, 26.

quali quantoque dolore Virginem affecit! Plaga nanque cordis tunc maxime dolet cum tangitur. Hinc ad haec verba Virgo sentiens afflictissimum cor acutissime velut innodatum, respondere non valuit; nihil omnino respondit, quia prae doloris magnitudine nec verbum formare potuit.

Maria multum doluit etiam ex rationibus humanis.

Ut autem ex humanis rationibus aliquid dicamus, tunc piae et tenerae matres in filiorum morte quam maxime dolent et acerbissime cruciantur, cum filius unicus est, cum pulcher et gratiosus virtutibusque ornatus, cum obediens matri multoque honore et reverentia illi ex amore obsequens tanquam bonus filius, ita ut matrem nunquam vel minimum quidem contristarit, cum beneficia aliqua ab eo accepit in suis necessitatibus, et tota spes consolationis ac victus ratio, familiaeque decus ab illo solo pendet. Haec nanque omnia tunc simul in mentem piae matris veniunt, eamque miris modis discruciant, cum uno ictu tot tantisque bonis privatam se videt, et seipsam commiserata, cunctas doloris sui causas per singulas narrat magno cum eiulatu et fletu. Si autem filius non naturali, sed crudeli morte illi perimatur, miraculum quodammodo est, si non acutissimi doloris magnitudine et acerbitate ipsa extinguatur. Quis autem has omnes immensi doloris causas et obiecta non videt in Virgine? Et tamen, o divinam animi magnitudinem! O superhumanam constantiam!

Virgo Deipara iuxta crucem exemplar patientiae in adversis tolerandis.

V. Stabat ipsa iuxta crucem fidei virtute suffulta, sciens cito suscitaturum: *Stabat iuxta crucem Iesu Mater eius.* O statum mirabilem! Imo o divinum miraculum! Stabat corpore, sed magis animo, virtute fide integerrima; stabat cum stupore admirans divinam caritatem, qua sic Deus dilexit mundum, divinam cum misericordiam tum iustitiam in punitione peccati ob salutem peccatoris; admirans divinam Filii sui erga Patrem obedientiam, contra daemones divinam fortitudinem, in perferendis summis cruciatibus infinitam patientiam. Sic stabat admirans et stupens redemptionis humanae divinum mysterium, stabat ipsa quoque toti Ecclesiae futura exemplum et exemplar invictae patientiae in adversis tolerandis. Vere enim de ipsa dici potest, quod: *In omnibus his non peccavit labiis suis,* imo nec corde suo; *neque stultum quid contra Deum* locuta *est,* imo nec cogitavit quidem; sed animo aiebat: *Si bona suscepimus de manu* Domini, *mala quare non* sustineamus? *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est.*[61] Sic amarissimum

61) Job 1, 22; 2, 10.

hunc calicem a Deo sibi propinatum ad extremum usque magna et mira animi virtute epotavit, dicens cum Filio: *Calicem quem dedit mihi Pater non bibam?* [62] *Si possibile est, transeat a me calix iste; verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. Non sicut ego volo, sed sicut tu.* [63] Sic per omnia patienti Filio similis animo et virtute fuit.

Et si Christus passus est nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia eius, [64] ita plane passa est et Mater ipsius, Maria; exemplum dedit nobis cum Filio, ut quemadmodum ipsa fecit, ita et nos faciamus, [65] divinumque hoc exemplar in monte nobis demonstratum semper prae oculis habeamus; illud intueamur, ut et Christum et Sanctissimam Matrem summo studio imitemur. Recogitemus illam quae talem sustinuit a peccatoribus contradictionem, ut non fatigemur animis nostris et in virtutis itinere ipsaque salutis via deficiamus. [66] Sit nobis Maria semper invictae et invincibilis exemplum patientiae, invictae virtutis, invicti animi, ut nulla nos tribulatio separet a caritate Christi, imo nulla penitus creatura.

62) Io 18, 11.
63) Mt 26, 39; Lc 22, 42.
64) Cf. 1 Petr 2, 21.
65) Cf. Io 13, 15.
66) Cf. Hebr 12, 3.

SERMO SEPTIMUS

Sabbato Sancto

DE VIRGINIS DEIPARAE GAUDIIS

Peperit mulier filium masculum, qui recturus erat... gentes in virga ferrea, et raptus est, etc. [1]

Virgo Deipara quanto dolore in passione Filii affecta, tanto gaudio in eius resurrectione.

I. Dignum et congruum est, fratres carissimi, ut, cum de acerbissimis maximisque Deiparae Virginis doloribus ob Filii sui passionem et mortem sermonem habuerimus, nunc de gaudiis ipsius ob redivivam eiusdem Filii resurrectionem verba faciamus. Nam post tenebras lucem speravit, post horridam hiemem placidum ver: *Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum laetitia.* [2] *Secundum* numerum *dolorum meorum in corde meo consolationes tuae laetificaverunt animam meam.* [3] *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita per Christum abundat consolatio nostra.* [4] Magno dolori magnum imo maximum gaudium successit, sicut patriarchae Iacob cum audivit Ioseph dilectissimum filium suum, quem mortuum credebat, non solum vivere verum etiam gloriosissime in Aegypto regnare; ita Christus magna cum gloria resurrexit, ait enim: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra.* [5] Quis mente et cogitatione capiat gaudium et laetitiam Virginis ob Filii sui immortalem et gloriosissimam resurrectionem, quando apparuit ei in ea gloria in qua visus fuit, cum transfigurari voluit coram electis discipulis?

1) Apc 12, 5. 2) Ps 29, 6. 3) Ps 93, 19. 4) 2 Cor 1, 5. 5) Mt 28, 18.

Virgo Deipara pluries exultavit in vita, sed in resurrectione Filii maximo gaudio repleta fuit.

II. Sunt in anima nostra dolor et gaudium, timor et spes, amor et odium veluti in bilance iustissimae lances omnino aequissimae. Pastor, inventa ove quae perierat, magnopere laetatus fuit; mulier, inventa drachma quam perdiderat, nimium gavisa et gratulata est; clementissimus pater in reditu filii prodigi laetatus supra modum fuit, quia salvum illum recepit: *Exultare*, inquit, *et* laetari *oportebat, quia... mortuus erat et revixit, perierat et inventus est.* [6] Quid igitur de Virgine sentiendum? Quale eius gaudium fuit, qualis laetitia ob Christi resurrectionem? Si *gavisi sunt discipuli viso Domino;* [7] quanto magis gavisa Mater est, viso dilectissimo Filio? Si in illius conceptione, quando mortalem utique ac passionibus multis obnoxium concepit, ingenti gaudio repleta fuit: *Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo;* [8] quanto magis in resurrectione, quando immortalem illum et beatissimum recepit?

Plane iure optimo cum Anna, matre Samuelis, dicere poterat: *Exultavit cor meum in Domino, et exaltatum est cornu meum in Deo meo. Dilatatum est os meum super inimicos meos, quia laetata sum in salutari tuo.* [9] O Deum immortalem, qualis hic et quantae causa laetitiae! *Haec dies quam fecit Dominus,* canit Sanctorum chorus, *exultemus et laetemur in ea.* [10] *Vox exultationis et salutis in tabernaculis iustorum.* [11] Quae vox exultationis et salutis in corde Sanctissimae Matris? Si *Iudaeis nova lux oriri visa est, gaudium, honor et tripudium* in exaltatione Mardochaei et Esther, [12] extincto impio Aman, crudeli et immanissimo Iudaeorum inimico; quae lux hodie oriri visa est Virgini in tali tantaque filii gloria et exaltatione, cum ei sole amictus et stellis coronatus apparuit, devicto et triumphato inferno, superata morte, satana debellato?

Soror Moysis, visa populi salute, hymnum Deo solvit;

Maria prophetis plurimum in Domino exultavit, visa populi sui salute et Aegyptiorum interitu in mari Rubro; quare, sumpto tympano et choros ducens Israeliticarum mulierum, magna cum laetitia et iubilo canere coepit, dicens: *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem* proiecit *in mare; fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem;* [13] quid egisse hodie cum sanctis mulieribus et Apostolis existimanda Maria est? Quam vere canticum rececinit suum: *Magnificat anima mea Domi-*

potiori iure Maria in resurrectione Filii.

6) Lc 15, 22-32. 7) Io 20, 20. 8) Lc 1, 46-47. 9) 1 Rg 2, 1.
10) Ps 117, 24. 11) Ibid. vr. 15. 12) Est 8, 16. 13) Ex 15, 20-21.

num; et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Exultavit Maria in conceptione Christi, exultavit in nativitate, cum etiam Angelorum choros canentes audivit: *Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis;* [14] magno gaudio perfusa fuit in adoratione Magorum, magno, cum eum invenit in templo, magno, cum eum vidit et audivit talia et tanta miracula facientem, magno et plus quam magno, cum eum vidit in coelum Angelis comitatum ascendere ad thronum divinae gloriae. Sed hodie supra quam dici possit maximo repleta fuit, sicut ille qui ingentem in agro suo thesaurum invenit. Qualis quantusque thesaurus infinita gloria Christi in resurrectione! *Peperit* mulier *filium* suum *masculum, qui recturus erat... gentes,* idest, qui futurus erat *Rex regum et Dominus dominantium,* [15] potentissimus imperator; hoc enim significat *virga ferrea.* Qualis enim est vis ferreae virgae in manu viri robusti ad vasa fictilia, talis est potentia Christi ad omnes creaturas.

Virgo Deipara summo gaudio in resurrectione Filii repleta fuit, quia eum a mortuis resurgentem recepit, creatum a Deo summum universi Regem, totius Ecclesiae Pontificem.

III. Tandem: *Raptus est filius eius ad Deum et ad thronum* ipsius. Hae sunt causae laetitiae. In partu expressa fuit summi causa doloris; sed inquit, *cum pepererit mulier, iam non meminit pressurae propter gaudium, quia natus est* ei *homo in mundum.* [16] Sed qualis homo natus est Virgini in resurrectione? *Filius,* inquit, *masculus.* Cum principibus nascitur filius masculus, maxime vero primogenitus, qui regni et imperii futurus sit heres, quanta fit quam magna laetitia et exultatio, nedum in regali palatio, sed in tota civitate, in universo regno! *Peperit,* inquit, *filium masculum,* sed *qui recturus erat gentes,* filium primogenitum, principem et heredem regni. Sed cuius regis heres? Cui regi tunc peperit filium? *Raptus est filius eius ad Deum et ad thronum* ipsius. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre.* [17] *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra.* O infinitam gaudii et laetitiae causam!

Oritur gaudium ex optati boni praesentia; quo maius bonum fuerit, eo magis gaudium parit. Si homo, parentibus caris adhuc viventibus, Episcopus vel Archiepiscopus creetur, magnum illis est gaudium, si Cardinalis multo maius; at si Summus Pontifex, summum utique gaudium, summa laetitia et exultatio. Hodie Christus a mortuis resurgens, creatus a Deo est Summus universi Rex et Imperator, Ecclesiae totius et militantis et triumphantis Summus

14) Lc 2, 13-14. 15) Apc 19, 16. 16) Io 16, 21. Vulg. habet: *Mulier... cum autem peperit puerum,* etc. 17) Io 1, 14.

Pontifex et Hierarcha. Quale igitur gaudium amantissimae Parentis? Hac sola Christi resurrectione, etiamsi iterum ad vitam mortalem rediisset, sicut Lazarus et alii quos divinitus legimus a morte revocatos, ingenti gaudio superfusa fuisset, sicut vidua Naimitis et sicut Iacob patriarcha, audito quod Ioseph viveret: *Si,* inquit, *Ioseph filius meus vivit, sufficit mihi; ibo et videbo illum;* [18] at vero cum ad vitam redierit immortalem et beatissimam cum infinita divinitatis gloria, incredibile est ac dictu ineffabile quanto gaudio Christus moestissimam Matrem affecerit!

18) Gn 45, 28. Vulg. habet: *Sufficit mihi si adhuc Ioseph filius meus vivit; vadam et videbo illum.*

2.

SUPER: MISSUS EST

SERMONES SEXDECIM

IN FESTO ANNUNCIATIONIS B. MARIAE VIRGINIS

In mense autem sexto, missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth,

ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo David, et nomen Virginis Maria.

Et ingressus Angelus ad eam dixit: Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.

Quae cum audisset, turbata est in sermone eius, et cogitabat qualis esset ista salutatio.

Et ait Angelus ei: Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum; ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum,

hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius; et regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis.

Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?

Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.

Et ecce Elisabeth cognata tua et ipsa concepit filium in senectute sua; et hic mensis sextus est illi, quae vocatur sterilis:

quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.

Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et discessit ab illa Angelus. Lc 1, 26-38.

SERMO PRIMUS

DE INCARNATIONIS MYSTERIO ANTE OMNIA PRAEDESTINATO

Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam, etc. [1]

I. Proponitur nobis hodie ineffabile divinae Incarnationis sacramentum, quod opus est infinitae caritatis et pietatis Dei erga nos: *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum Unigenitum daret;* [2] et, ut Paulus ait: *Magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu.* [3] Opus, inquam, est infinitae bonitatis et caritatis: *Caritate perpetua dilexi te;* [4] unde: *Propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos,* [5] *Deus Filium suum misit in similitudinem carnis peccati.* [6] Incarnatum est hodie Verbum Dei, Unigenitus Filius Dei: *Verbum caro factum est;* [6a] assumpsit carnem passibilem et mortalem, ut pati et mori posset, ad satisfaciendum Deo pro peccatis nostris, et ut gratiam nobis et gloriam mereretur.

Incarnatio est infinitae caritatis et pietatis sacramentum, ab initio Angelis et Adamo revelatum.

Divus Augustinus, lib. 5 *De Gen. ad Lit.* cap. 19, docet quod mysterium hoc ab initio revelatum fuit Angelis. Ita enim exponit illud Pauli ad *Ephesios: Mihi, omnium sanctorum minimo, data est gratia haec, in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes, quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo, qui omnia creavit; ut innotescat principibus et potestatibus in coelestibus per Ecclesiam multiformis sa-

1) Lc 1, 26-27. 2) Io 3, 16. 3) 1 Tim 3, 16. 4) Jer 31, 3. 5) Eph 2, 4.
6) Rom 8, 3. 6a) Io 1, 14.

pientia Dei secundum praefinitionem saeculorum, quam fecit in Christo Iesu. [7] « Sic, inquit Augustinus, fuit hoc absconditum, a saeculis... ut innotesceret... principatibus et potestatibus... Illis ergo a saeculis innotuit ». [7a] Sic etiam idem Augustinus, eodem loco, declarat illud Pauli ad *Timotheum: Manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis.* [8] Hoc idem mysterium Deus ipsi Adamo revelavit in paradiso, cum in eum soporem immisit, ut ex eius costa mulierem efformaret; nam expergefactus Adam, visa muliere, ait: *Hoc nunc os ex ossibus meis,* etc. [8a] Paulus ait ad *Ephesios 5.: Sacramentum hoc magnum est; dico autem in Christo et Ecclesia.* [9] Quo loco inquit Divus Hieronymus, quod Adam primus fuit vates, qui de Christo prophetavit. [9a] Idem docet Augustinus, lib. 9. *De Gen. ad Lit.* cap. 19; [10] Epiphanius, *Haeres.* 48; [10a] et Tertullianus, lib. 3. *Contra Marc.* cap. 5; et lib. 5. cap. 18. [11]

Incarnatio ante omnia volita, quia revelata ante peccatum, et facta sine mentione peccati.

II. Hinc multi ex sacris theologis colligunt quod, etiam si non peccasset Adam, Christus tamen incarnatus fuisset; quoniam ante peccatum revelatum fuit ei mysterium Incarnationis, et de eo prophetavit. [12] Et Divus Thomas 2, 2, q. 2, art. 7, docet quod Adam ante peccatum habuit explicitam fidem Incarnationis, quatenus ordinabatur ad consummationem gloriae; et sic de Incarnatione prophetavit. Si non venisset Christus ut redemptor in carne passibili, venisset ut glorificator in corpore glorioso, qualem in transfiguratione se ostendit; venisset ut fons gratiae et auctor gloriae.

Et quidem mirabile est quod in hodierno Evangelio nulla fit mentio de peccato, sed solum de tanti mysterii excellentia: *Ecce concipies in utero et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum. Hic*

7) 3, 8-11. 7a) P. L. 34, 334-335. 8) 1 Tim 3, 16. 8a) Gn 2, 23. 9) Vr. 32. Vulg. habet: *Ego autem dico*, etc. 9a) *Comment. in Epist. ad Ephesios*, lib. 3, cp. 5, vr. 32. (P. L. 26, 660). 10) P. L. 34, 408. 10a) *Adversus Haereses*, lib. 2, n. 6. (P. G. 41, 407-408). 11) P. L. 2, 327; 2, 518. 12) Alexander Halensis, 3 p. q. 2, membr. 13; Albertus M. 3, dist. 20, art. 4; Scotus, 3, dist. 7, q. 3; dist. 19, q. unica; Rupertus Ab. Tuit. *De Gloria et Honore Filii Hominis*, lib. 18. (P. L. 168, 696); Honorius August. lib. 8. qq. cp. 2. (P. L. 172, 1187); Franciscus Salesius, *De L'Amour de Dieu*, lib. 2, cp. 4; Suarez, *De Incarn.* disp. 5, s. 5; Frassenius, *De Incarn.* dist. 1; Scheeben, *Mysterien des Christenth.* parag. 64; Abelly, *Medulla Theol. De Incarn.* cp. 1. sect. 7; Bougaud, *Les Dogmes du Credo*, p. 2, cp. 1; Risi, *Sul Motivo primario dell'Incarnazione del Verbo*, Romae, 1898, t. 4; I. M. Bover S. I. *Verbum Domini* (Commentarii de Re Biblica), v. 2, f. 3, pag. 170-174; et alii plurimi.

erit magnus et Filius Altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus... sedem David, patris eius, et regnabit... in aeternum, et regni eius non erit finis.[13] Et iterum: *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi... Quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur filius Dei.*[14] Unde elucet quod in aeterno Christus electus et praedestinatus fuit unicus Filius Dei, heres Dei, rex paradisi, caput omnium Electorum, dominus etiam Angelorum; praedestinatus fuit, ut communicaretur ei omnis plenitudo Divinitatis. Unde maior est sanctitas, gratia, gloria et excellentia Christi eiusque animae, quam excellentia omnium Electorum, hominum et Angelorum; ipse enim sol est iustitiae et gloriae.

Incarnatio ante omnia volita, quia Christus plus omnibus dilectus, caput omnium praedestinatus, et omnia in gloriam eius creata.

III. Hinc Divus Thomas, p. 1, q. 22, art. 4; et q. 25, art. 6., docet quod Christi anima maioris est valoris, quam omnes simul praedestinati et electi, et a Deo magis diligitur: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.*[15] Plus diligit rex unicum filium, quam omnes servos. Non fuit praedestinatus Christus propter Electos; sed Electi omnes propter Christum, in gloriam Christi. Sic Paulus ad *Ephesios 1*, ait: *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in coelestibus in Christo; sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius, in caritate; qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum..., in laudem gloriae gratiae suae.*[16] Ubi manifeste docet Paulus quod omnes Electi in gloriam Christi praedestinati sunt. Prima autem ad *Corinthios 3*, ait: *Omnia... vestra sunt, vos autem Christi, Christus* vero *Dei:*[17] idest, omnia propter vos sunt, vos autem propter Christum. Nam omnes sumus Christi servi, etiam Angeli: *In nomine Iesu omne genu coelestium* flectitur.[18] Et ad *Hebraeos* ait: *Quem constituit heredem universorum, per quem fecit et saecula.*[19] Scribens etiam ad *Colossenses*, docet quod propter Christum omnia creata sunt; ait enim: *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae; quoniam in ipso condita sunt universa in coelo et... terra, visibilia et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates: omnia per ipsum et in ipso creata sunt, et ipse est ante omnes.*[20] Sicut etiam Ioannes ait: *Qui post me venit..., ante me factus est.*[21] Sic Christus, quatenus

13) Lc 1, 31-33. 14) Ibid. 1, 35. 15) Mt 17, 5. 16) Cp. 1, 3-6. 17) Vrr. 22-23. 18) Phil 2, 10. 19) Cp. 1, 2. 20) Cp. 1, 15-17. Vulg. loc.: *Coelo*, habet: *Coelis*. 21) Io 1, 27. Vulg. loc.: *Venit*, habet: *Venturus est*.

homo, prima est creatura praedestinata: *In capite libri scriptum est de me.*[22] *Dominus possedit me ab initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio; ab aeterno ordinata sum, et ex antiquis antequam terra fieret.*[23]

Incarnatio ante omnia volita, quia Christus causa exemplaris et finalis praedestinationis Sanctorum.

IV. Nec solum prima est creatura praedestinata, sed etiam causa exemplaris atque finalis praedestinationis Sanctorum. Sic Paulus ait: *Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.*[24] Ubi declarat Paulus Christum ab aeterno fuisse causam exemplarem praedestinationis, ubi ait: *Conformes fieri imaginis filii sui,* et finalem, ubi ait: *Ut sit ipse primogenitus,* dignitate et honore, *in multis fratribus;* idest, inter omnes Electos Dei, quos in filios adoptavit. Sic, ob Christi maiorem gloriam, existimo permisisse hominis peccatum, ut magis Christum glorificaret; sicut permisit Lazarum infirmari et mori, ut glorificaretur Filius Dei per eum;[25] sicut permisit ut Ioseph a fratribus inique venderetur, quo posset eum in Aegypto glorificare iuxta praeostensas visiones.[26] Non enim Deus propterea glorificavit Ioseph, quia in eum fratres peccaverunt; sed permisit fratres in eum inique agere, ut magis magisque glorificaret. Si igitur non Christus propter Adam, sed Adam propter Christum creatus fuit, sicut non vir propter mulierem, sed mulier propter virum facta fuit; nam caput mulieris vir, caput autem viri Christus, ergo etiam si Adam non peccasset, venisset in mundum Christus;[26a] alioquin si non peccasset Adam, nec creatus fuisset mundus, cum omnia propter Christum creata sint.

Peccatum permissum ad Christi maiorem gloriam.

Incarnatio ante omnia volita, quia Christus fundamentum est creationis mundi.

V. Sic Christus fundamentum est creationis mundi, sicut legimus: *Zadik jesod holam: Iustus fundamentum est mundi.*[27] Et Paulus ait quod *fundamentum... aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus.*[28] Fundamentum Christus est totius creaturae, totius gratiae et totius gloriae, quoniam finis est omnium, propter quem omnia creata sunt. Divus Cyrillus lib. 5. *Thesaur.* cap. 8, docet quod Christus praefundatus fuit ante nos, ante initium mundi in praescientia Dei, et quod, sicut architectus,

22) Ps 39, 8. 23) Prv 8, 22-23. 24) Rom 8, 29. 25) Cf. Io 11, 1 sqq.
26) Cf. Gn 37, 5 sqq.; 41, 40 sqq. 26a) 1 Cor 11, 8. 3. 27) Prv 10, 25, ex hebr.
28) 1 Cor 3, 11.

palatium regium aedificaturus, iacit firmissimum fundamentum, ita ut, etiam si temporis successu domus aliquam patiatur ruinam, stabili firmoque manente fundamento, rursus aedificium reparari possit; ita, inquit, Deus, Creator noster, Christum salutis nostrae fundamentum etiam ante initium mundi fundavit, ut, si praevaricatione caderemus, in ipso rursus renovaremur.[29] Quare praedestinatus etiam redemptor fuit Christus, si opus fuisset. Et sicut Deus misit Samuelem in Bethlehem ad ungendum David in regem, sed, ne occideretur a Saul, iussit, ut acciperet vitulum, diceretque se ad sacrificandum ivisse;[30] sic Deus primo quidem Unigenitum suum misit in mundum ad glorificandum hominem, deinde in sacrificium pro peccatis. Et si quis disposuerit ire Romam ad visitanda limina Petri et venerandas Sanctorum reliquias ex devotione, postea vero ab amicis per epistolas rogetur, ut pergat Romam, quia necessarius aliquis maxime eius opera indiget, perget propter utramque causam, sed perexisset etiam si ab amicis rogatus non fuisset; et si quis dives ac praepotens disponit ex caritate omnia sua pauperibus erogare, reperit autem miserabiles homines pauperes et infirmos incurabili infirmitate, elargitur his bona sua multo libentius, pietate et misericordia motus, quia infirmi adeo sunt, sed, etiam si non essent infirmi, distribuisset eis bona sua, quia pauperes sunt et egentes; ita Deus ab aeterno disposuit omnia bona sua pauperibus hominibus erogare; superaddita fuit peccati infirmitas, egit hoc multo libentius ex infinita misericordia sua. Sicut Elias abiit in Sarepta Sidoniae, ut ibi apud viduam moraretur, eamque a morte famis una cum filio praeservaret; sed quia mortuus postea fuit, divina dispensatione, filius viduae, suscitavit eum Elias.[31] Et sicut Christus ibat in civitatem Naim ad praedicandum, sed, reperiens filium viduae vita functum, suscitavit eum, misericordia motus.[32] Et quidem, ut verum fatear, si, non peccante homine, Christus natus minime fuisset, magnas teneremur Adamo gratias agere, quia propter Adae peccatum factus esset homo super Angelos Deo aequalis ob hypostaticam unionem.

Simile: Samuel Bethlehem pergens.

Simile: viator Romam pergens.

Simile: dives sua erogans.

Simile: Elias in Sarepta.

Simile: Christus Naim pergens.

VI. Nec satis capio quomodo, in divina praescientia, praevisio peccati Adae praecesserit Christi praedestinationem; nam praescientia peccati praesupponit praescientiam gratiae, sicut mors praesup-

Incarnatio ante omnia volita, quia praescientia peccati praesupponit praescientiam gratiae.

29) Cyril. Alex. *Thes. Assert.* 15, in illud: *Ante saecula fundavit me*, etc. (P. G. 75, 174-75).
30) Cf. 1 Rg 16, 1-3. 31) Cf. 3 Rg 17, 8 sqq. 32) Cf. Lc 7, 11-16.

ponit vitam, infirmitas sanitatem, privatio omnis habitum; et Adam prius fuit sanctus, quam peccator. Peccatum originale privatio est gratiae et iustitiae originalis; gratia autem praesupponit originem, sicut fluvius fontem; Christus autem praedestinatus fuit fons totius gratiae et gloriae. Sic enim: *Verbum caro factum est..., plenum gratiae et veritatis. Et de plenitudine eius nos omnes accepimus.* [33] Sic Christus dicitur sol iustitiae. Adam luna plena fuit, sed eclypsim ac luminis deliquium passa. Sed prius unde lumen accepit? Nonne a sole? Sic Christi gratia tanquam solis lux praecessit Adae peccatum; nam a Christo accepit gratiam et originalem iustitiam, quae fuit ante omne peccatum. Peccati ergo praescientiam praecessit, naturae ordine, praescientia gratiae; gratiae autem praescientiam, Christi praescientia ac praedestinatio. Deus ergo ab aeterno ad communicandos infinitos thesauros bonitatis suae, ad ostendendam infinitam caritatem suam, sacramentum hoc divinae Incarnationis ordinavit, ut Christus esset magnus, et sederet rex ad dexteram Dei: *Hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius, et regnabit in domo Iacob in aeternum.*

Simile: eclypsis.

Incarnatio ante omnia volita, quia causa occasionalis peccati.

VII. Imo quod ex hac infinita Christi hominis dignitate ortum habuit peccatum. Docet enim Tertullianus, libro *De Patientia,* quod ex impatientia et invidia peccavit Lucifer, invidens homini divinam dignitatem. [34] Idem Basilius, homilia *De Invidia,* [35] et Divus Cyprianus sermone *De Invidia.* [36]

Promisit Deus sanctis Patriarchis daturum se eorum semini felicissimam terram Chanaam fluentem lac et mel. [37] Postea vero, ut maius esset beneficium, permisit populum hebraeum in Aegypto durissimo captivitatis et servitutis iugo premi. Quare misit tandem post quadringentos annos, definito tempore, Moysem, qui eos et a servitute liberaret, et in promissam hereditatem perduceret. [38] Sic Deus Electis omnibus ab aeterno promisit hereditatem regni coelestis, ut Paulus ad *Titum* ait: *Secundum... spem vitae aeternae, quam promisit qui non mentitur, Deus, ante tempora saecularia.* [39] Postea vero, ut talis tantique beneficii magnitudinem magis magisque cognosceret homo,

33) Io 1, 14, 16. 34) Cp. 5, circa principium. (P. L. 1, 1256-57). 35) N. 3 (P. G. 31, 92). 36) N. 4. (P. L. 4, 640-41), ubi invenitur cum titul.: *De Zelo et Livore.* 37) Cf. Gn 15, 7-21, et alibi. 38) Cf. Ex 3, 7-10; 12, 40-51. 39) Tit 1, 1-2.

permisit eum Deus cadere in diaboli servitutem, ut, in libertatem postea assertus, vitamque et felicitatem aeternam consecutus, Deo multo gratior esset. Nam, si non peccasset homo, Christus tamen salvator fuisset; non quidem liberando a malis, in quae ob peccatum incidit, sed praeservando. At talis tantaeque salutis beneficium non bene agnovisset homo, non enim bene cognoscitur nec aestimatur sanitas nisi post infirmitatem, nec libertas nisi post miseram servitutem. Hinc ipsius hominis, in paradisi felicitate, nil legimus quod ostendat animi gratitudinem erga Deum, nullas legimus gratiarum actiones; quoniam non bene tunc magnitudinem divinorum beneficiorum agnoscebat.

Permissio peccati ut homo Deo gratior esset.

SERMO SECUNDUS

DE CAUSIS DIVINAE INCARNATIONIS

Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam, etc. [1]

In mysterio Incarnationis mirabilis sympathia.

I. Sacratissimum mysterium divinae Incarnationis hodie celebramus, cum *Verbum caro factum est et habitavit in nobis,* [2] sacramentum redemptionis humanae, ubi mirabilis cernitur sympathia: per mulierem facta est perditio, per mulierem salus; per angelum malum ruina, per Angelum bonum reparatio. Quia Eva credidit daemoni, periit mundus; quia Maria fidem praestitit Angelo, salvatus est mundus.

Mysterium Incarnationis non solum respicit redemptionem, sed et glorificationem.

II. Perquirunt autem sacri theologi, an, si non peccasset homo, venisset Christus in mundum, incarnatum fuisset Dei Verbum. Et multi quidem arbitrantur quod incassum venisset Christus, quod minime venisset. [3] Nam ipse ait: *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus... non veni vocare iustos, sed peccatores.* [4] Paulus etiam ait: *Fidelis sermo et omni acceptione dignus: Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* [5] Et

1) Lc 1, 26 sqq. 2) Io 1, 14. 3) E Patribus: Ireneus, Athanasius, Basilius M., Gregorius Naz., et alii (apud Petavium, *De Incarnatione*, lib. 2, cp. 17). E theologis: D. Thomas, p. 3, q. 1, art. 3; D. Bonaventura (ut videtur), *Sent.* lib. 3, q. 2, art. 2; Caietanus in *D. Thomam* loc. cit.; Thomassinus, *De Incarnatione*, lib. 2, cp 5.; Lessius, *De Praedestinatione Christi*, n. 16; Molina, Billaurt, alii. 4) Mt 9, 12-13. 5) 1 Tim 1, 15.

Angelus: *Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum.*[5a] Et haec quidem causa ubique fere in Divinis Litteris assignatur, quod Christus venerit ad delendum peccatum, ad vindicandam peccati iniuriam, ad salvandum genus humanum.

Verum non una haec tantum causa in Sacra Pagina talis tantique mysterii reperitur; nam Paulus ad *Corinthios* ait: *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram.*[6] Simeon etiam, Spiritu Sancto plenus, ait: *Viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium* saeculorum; *lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuae Israel.*[7] Divinum igitur mysterium hoc non solum respicit redemptionem nostram, sed etiam glorificationem.

Canticum Simeonis.

Beatissima Virgo in suo Cantico sacratissimi huius mysterii, Divino Spiritu afflata, multas causas multasque rationes adduxit: *Fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen eius, et misericordia eius a progenie in progenies timentibus eum. Fecit potentiam in brachio suo; dispersit superbos mente cordi sui; deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles. Esurientes replevit bonis.*[8] In universum autem tres videtur assignare causas: divinam potentiam, sanctitatem et misericordiam, ad manifestandum gloriam Deitatis suae; nam, ut Sapiens ait: *Omnia propter seipsum creavit Altissimus,*[9] idest, ad gloriam suam et Unigeniti Filii sui. Misericordia autem hoc loco bonitatem significat, nam ait: *Misericordia eius... timentibus eum,* idest, iustis, et: *Recordatus misericordiae suae; sicut locutus est... ad Abraham...*[10] Sicut ipse Deus ait: *Faciens misericordiam in millibus, his qui diligunt me et custodiunt mandata mea,*[11] idest, benefaciens iustis in perpetuum. Hominem autem deificare, Deoque similem et aequalem facere, ac infinitis gradibus super Angelos constituere, opus est omnipotentis virtutis et bonitatis. Ad hoc enim duo requiruntur: facultas et voluntas, sicut cum rex David dilectissimum filium suum Salomonem regia dignitate; honore et potestate, dato regno, aequalem sibi constituit. Ad ostendendam ergo infinitam potentiam suam et bonitatem ac benignitatem caritatemque suam infinitam erga Electos suos, tale tantumque mysterium operatus est, ut etiam communicaret creaturae infinitum thesaurum sanctitatis

Canticum Virginis.

5a) Mt 1, 21. 6) 1 Cor 2, 7. 7) Lc 2, 30-32. 8) Ibid. 1, 49-53. Vulg. loc.: *Replevit,* habet: *Implevit.* 9) Prv 16, 4. Vulg. habet: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus.* 10) Lc 1, 54-55. 11) Ex 20, 6.

suae, totamque solarem lucem suae puritatis; ne, sicut homo in terra et Angelus in coelo, peccare posset; sed esset omnino impeccabilis, ut ita dicam, sicut Deus, sol iustitiae, qui verum luminis deliquium pati nullo modo potest.

Mysterii Incarnationis triplex causa: salus mundi, gloria Christi, manifestatio potentiae Dei.

III. In hodierno autem Evangelio, triplex causa invenitur huius mysterii: salus mundi, gloria Christi, et potentia Dei. *Ecce concipies in utero et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum,* idest, *Salvatorem* seu *Servatorem:* haec prima est causa. *Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus sedem David, patris eius:* haec est causa secunda. *Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi; quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei..., quia non erit impossibile apud Deum omne verbum:* [12] haec tertia est causa.

Salus mundi.

Vocabis nomen eius Iesum, quod est, *Salvator:* Nos *audivimus et scimus quoniam hic est vere Salvator mundi.* [13] Etiam si non peccasset homo, Christus tamen salvator fuisset; non quidem liberando a malis, sed praeservando ac conservando in bonis. Sic enim Christus salvator est Angelorum in coelo. Hinc, nato Domino, Angelus ait: *Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus.* [14] Non inquit: Salvator vester, sed absolute Salvator; sicut non dicit: *Qui est Christus,* Dominus vester, sed simpliciter Dominus; quia Christus universi Dominus est, etiam Angelorum; sic unicus creaturarum omnium Salvator. Sicut Ioseph dictus est mundi salvator, quia a morte famis mundum praeservavit.

Gloria Christi.

Deinde ob Christi gloriam: *Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur.* Ad honorem et gloriam Christi Deus universa creavit. Sicut enim ob arcam testamenti augustissimum totius templi aedificium maximis ac pene infinitis sumptibus fabricatum fuit a Salomone; ita propter Christum, qui arca Divinitatis est, totus creatus fuit mundus, coelum et terra, cum omnibus quae coeli ambitu continentur. Quaecumque sunt in regno, regi serviunt, propter regem sunt; Christus autem ait: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra.* [15] Ut Christi servi essent, creavit Angelos in coelo; ut Christi imago esset, formavit hominem in terra. Sic enim Paulus vocavit Adam imaginem Futuri; [16] sic ad maiorem Christi gloriam, permisit

12) Lc 1, 31. 32. 35. 37. 13) Io 4, 42. Vulg. loc.: *Quoniam*, habet: *Quia*. 14) Lc 2, 11. 15) Mt 28, 18. 16) Cf. Rom 5, 14.

hominem a diabolo tentari et vinci, ut Christus, salutem humani generis operando, ostenderet infinitos thesauros divinae virtutis suae. Sic in Christo adimpletum est humani cordis desiderium, quo appetiit Deo similis esse; hodie enim verus homo ab ipso Deo factus est verus Deus.

Isaias propheta, de hoc divino mysterio vaticinatus, hanc reddidit causam, dicens: *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius, et vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis;... super solium David et super regnum eius... cuius pacis non erit finis... Zelus Domini... fecit hoc.* [17] Quod manifeste Christi gloriam declarat, et divinam erga Christum caritatem: Deus enim super omnia Christum diligit, et omnia propter Christum.

Dicit autem vocandum nomen eius *Admirabilem, pele, miraculum,* [18] ad declarandam omnipotentiam Dei hoc mysterio, quae tertia est causa in hoc Evangelio: *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Sic magnam Deus virtutem declaravit in mundi totius creatione. Mundus totus, Dei comparatione, nihil est. Christus autem mundus est non parvus, non *microcosmos,* [18a] non magnus, non *macrocosmos,* sed ter maximus, *cosmos trismeghistos.* Homo est; sed Deo aequalis: *In quo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.* [19]

Manifestatio potentiae Dei.

17) 9, 6-7. Vulg. loc.: *Fecit,* habet: *Faciet.* 18) Ex hebr. 18a) Ms.: *Macrocosmos.*
19) Col 2, 9.

SERMO TERTIUS

DE MAGNITUDINE LEGATIONIS IN MYSTERIO INCARNATIONIS

Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam, etc. [1]

Omnia Christi mysteria in Divinis Litteris praefigurata.

I. Sicut construendi tabernaculi exemplar prius Dominus Moysi dedit, [2] in quo universum opus praefiguratum divina arte erat; sic omnia Christi mysteria, ante incarnationem et adventum ipsius in mundum, in Divinis Litteris mirabiliter praefiguravit. Formatio Christi hodie in utero Sanctissimae Virginis, in formatione Adami ex terra virgine et benedicta; divina manu formatus fuit Adam, divina Christus; perfectus homo Adam, perfectissimus Christus in anima quoad naturam, gratiam et gloriam, plenus omni scientia et sapientia, omni sanctitate et gratia, omni bonitate divina et gloria: *Novum creavit Dominus super terram, femina circumdabit virum.* [3]

Nunciatio Christi praefigurata personis,

Sed et nunciatio hodierna praefigurata fuit. Siquidem Isaac praenunciatus fuit parentibus a tribus Angelis, [4] Samson matri ab Angelo, [5] Salomon Davidi a Nathan propheta, [6] sanctissimus rex Iosias, multis saeculis, a viro Dei in Bethel, eo quod destructurus esset idolorum cultum; [7] Cyrus rex praenunciatus fuit ab Isaia, eo quod a babylonica captivitate liberaturus erat populum Dei 45. [8]

Sed Christus est verus Isaac, primogenitus et unigenitus

1) Lc 1, 26-27. 2) Cf. Ex cp. 25, et cpp. sqq. 3) Jer 31, 22. 4) Cf. Gn 18, 9-15. 5) Cf. Idc 13, 1 sqq. 6) Cf. 2 Rg 7, 12-17. 7) Cf. 3 Rg 13. 1-3. 8) Cf. 44, 28; 45, 1.

Filius Dei, Samson, fortissimus, victor diaboli et salvator mundi, Salomon, sapientissimus, rex Israel, Iosias, sanctissimus, destructor omnis peccati, Cyrus, redemptor mundi a diabolica potestate.

preanunciata verbis.

Haec autem Incarnatio Verbi praedicta est a Deo, Trino et Uno, praedicta ab Angelo et praedicta ab hominibus, sanctis, inquam, Vatibus. A Deo: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius; ipsum conteret caput tuum*, ipse filius mulieris; [9] sic Patriarchis promissus a Deo Christus fuit: *In semine tuo benedicentur omnes gentes;* sic dictum est Abrahamo, [10] Isaac [11] et Iacob. [12] Ab hominibus: *Non auferetur sceptrum de Iuda et dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est.* [13] *Ecce Virgo concipiet et pariet filium... Parvulus natus est nobis, filius datus est nobis*, etc. [14] *Novum creavit Dominus super terram, femina circumdabit virum;* et alia innumera. Ab Angelis; nam Angelus Domini clamavit ad Abraham de coelo, dicens: *In semine tuo benedicentur omnes gentes terrae;* et hodie Angelus nunciat Sanctissimae Virgini: *Missus est Angelus Gabriel ad Virginem desponsatam... Ioseph.*

Magna Archangeli legatio ob excellentiam personae mittentis qui est Pater excelsus.

II. *Missus est.* Magna legatio! Mittit Summus Rex universi, Deus, magnum principem Angelorum, ad Mariam Virginem, Reginam et Dominam mundi, pro causa summi ponderis et momenti, pro incarnatione Verbi. *Missus est.* Misit Abraham Eliezer, praepositum domus suae, ad quaerendam uxorem Isaac, dilectissimo filio suo. Perrexit autem ille, Deo duce, et invenit Rebeccam, pulcherrimam et gratiosissimam virginem. [15] Sic hodie *Pater excelsus*, [16] Deus, mittit Gabrielem, praepositum paradisi, ad quaerendam Unigenito Filio suo sponsam et matrem. O miraculum! Maria Virgo Christi est mater, sponsa, soror et filia dilectissima. Quatenus Christus Deus est, Maria eius est filia et sponsa; quatenus homo est, soror et mater.

Magna legatio ob excellentiam personae ad quam mittitur, quae est Domina mundi, plena gratiae et divitiarum coelestium.

III. Mater Isaac, vere Sarah, *domina princeps*, sterilis illa, virgo ista; mater Salomonis, Bethsabee, *domus iuramenti, domus septem, domus saturitatis*, omni gratia, omni virtute plena; mater Iosiae, Iedidah, *dilecta*, Deo utique dilectissima; haec Rebecca, virgo pulcherrima cuius amore captus est Altissimus.

9) Gn 3, 15. Vulg. loc.: *Ipsum*, habet: *Ipsa*. 10) Gn 22, 18. 11) Gn 26, 4. 12) Gn 28, 14. 13) Gn 49, 10. 14) Is 7, 14; 9, 6. 15) Cf. Gn 24, 1 sqq. 16) Sic hebr. *Abraham* nomen sonat.

Ave, gratia plena: [17] *ave, gratiosa,* sive *gratificata;* sic per excellentiam dicta. *Ave, gratia plena.* Rebecca, *saginata: Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea;* haec Rachel, *ovis* mitissima et humillima; haec Lia, *unita,* [18] copulata Deo per caritatem, *quae vinculum est perfectionis.* [18a]

Ave, gratia plena. Quanam gratia? Dei: *Invenisti gratiam apud* Dominum, [19] sicut Noe. Sed cur? Quia vir erat iustus atque perfectus. [20] *Gratia plena,* gratia Spiritus Sancti, perfecta iustitia, perfecta sanctitate. Sed quid est *plena?* Quodnam est hoc vas gratiae? Cor, animus, voluntas humana infinitae capacitatis, qui totus non sufficit mundus. Quam magnus fuit animus Evae! Domina totius mundi una cum Adam constituta erat, regina et imperatrix totius universi, domina omnium visibilium creaturarum. [21] Sed non potuit magnitudo totius mundi implere magnitudinem animi ipsius Evae; desideravit, suadente antiquo serpente, similitudinem et aequalitatem Dei: *Eritis sicut dii, scientes bonum et malum;* et: *Nequaquam... moriemini.* [22] Aeternam infinitamque tum aetatem, tum gloriam et sapientiam Dei appetiit. Talis est magnitudo et amplitudo animi nostri! Maria autem *gratia plena* dicitur; implevit Deus animum ipsius gratia quam poterat desiderare, ut digna esset Mater Christi et Sponsa Dei, quae dignitas est infinitis partibus omni Angelorum dignitate superior. Sicut enim Assuerus, volens Esther sibi matrimonio copulare, reginamque facere, ut digne talem tantumque gradum teneret, multis eam muneribus locupletavit; ita Deus Mariam, ut digna esset Mater Unigeniti Filii sui.

Magnum vas cor humanum.

In Maria gratia superfluens.

Dos apud antiquos.

Ave, gratia plena. Mos erat antiquitus ut sine dote ducerentur uxores, ita ut non uxor viro, sed vir uxori dotem competentem dignamque daret. [23] Adam sine dote accepit uxorem Evam, [24] Isaac sine dote Rebeccam, quam potius ipse dotavit; [25] sic Iacob duxit Rachelem, serviens pro ea septem annis. [26] David, Sauli regi offerenti ipsi filiam suam Michol in uxorem, respondit se pauperem esse; dicere volens quod non poterat filiam regis dotare. Saul autem pro dote centum praeputia Philisthaeorum quaesivit. [27] Vir igitur antiquitus dotabat uxorem. Sic Deus, volens Mariam sibi in sponsam

17) Lc 1, 28. Sequitur idem versus ex graec. 18) Forsan a verbo hebr. *lâvâh* (copulare) ex quo nomen *Levi* deductum est. Plures auctores a *lâ' âh* (defatigatus est) deducunt. Cf. Helzenauer O. Cap. *Comment. in Gen.* cp. 29, 14-19; et Perin in *Onomastico* sub *Liae* nomine. 18*a*) Col 3, 14. Vulg.: *Quod est* etc. 19) Lc 1, 30. 20) Cf. Gn 6, 9. 21) Cf. Gn 1, 26, 28. 22) Gn 3, 4. 5. 23) Cf. Helzenauer O. Cap. *Comment. in Gen.* cp. 29, 14-19. 24) Cf. Gn 2. 20-24. 25) Cf. Gn 24, 22, 53. 26) Cf. Gn 29, 18. 27) Cf. 1 Rg 18, 20-27.

matrimonio copulare, dotavit eam omni plenitudine gratiae et divitiarum coelestium.

Ave, gratia plena. Consideret quis Sponsi huius magnitudinem, et intelliget quali quantaque dote dotaverit unicam hanc Sponsam suam, quam super omnem creaturam unice dilexit. Sichem, filius Emor, captus amore Dinae, filiae Iacob, sine dote eam accipere voluit, et dote insuper magna eam dotare. Hinc ait ad fratres puellae: *Inveniam gratiam coram vobis, et quaecumque statueritis, dabo. Augete dotem, et munera postulate, et libenter tribuam quod petieritis; tantum date mihi puellam hanc uxorem.* [28] Abraham mittens Eliezer, oeconomum et praepositum domus suae, ad quaerendam uxorem Isaac, filio suo, posuit in manu ipsius paranymphi omnia bona sua, ut ea pro dote offerret. [29] Omnibus igitur bonis suis voluit Abraham dotare uxorem unici filii sui Isaac. Sic Deus omnibus thesauris divitiarum suarum dotavit Mariam. Hoc est: *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu,* etc.

Dos Virginis.

Simile: Sichem et Abraham.

Cum cognoverunt Iudaei quod Esther, iudaea puella, facta esset regina, matrimonio copulata regi Assuero, laetati fuerunt supra modum: *Iudaeis... nova lux oriri visa est, gaudium, honor et tripudium;* [30] quoniam per eam salvi facti sunt a perditione et morte, quam impius Aman omnibus Iudaeis machinatus fuerat ob odium Mardochaei. Sic nos hodie convenit vehementer laetari, gaudere et exultare, quoniam puella nostri generis facta est regina et imperatrix mundi, matrimonio copulata Deo; ut, sicut per primam mulierem damnatus est mundus et per primum virum; ita per secundum hominem secundamque mulierem salvaretur, et miro modo responderet principium reparationis nostrae principio perditionis. Sicut enim tunc a diabolo missus fuit daemon in forma serpentis corporea ad decipiendam Evam, quae tunc simul virgo erat et desponsata viro; sic hodie missus fuit Angelus corporali specie a Deo ad Mariam Virginem et desponsatam. Et sicut Eva, serpenti credens, principium extitit perditionis nostrae; ita Maria, credens Angelo, principium extitit reparationis nostrae; illa principium peccati et mortis, haec principium gratiae et vitae; per illam amisimus paradisum terrestrem, per hanc acquisivimus coelestem.

Iudaeorum tripudium ob matrimonium Esther, et nostrum ob matrimonium Mariae.

IV. *Missus est Angelus Gabriel.* Non Michael aut Raphael missus est, sed Gabriel; quoniam in eius nomine designatum

Magna legatio ob excellentiam missi, Gabrielis, Angelorum principis.

28) Gn 34, 11-12. 29) Cf. Gn 24, 10. 30) Est 8, 16.

est Incarnationis mysterium. Gabriel enim hebr. idem est ac *vir Deus, homo Deus;* Michael autem interpretatur, *quis ut Deus?* Per nomen Michaelis videtur quodam modo impossibile Incarnationis mysterium: *Quis ut Deus,* quis potest esse similis Deo? Aequalis Deo? Sic vicit Michael Luciferum, cum dixit: *Ascendam in coelum, super astra coeli exaltabo solium meum..., similis ero Altissimo.*[31] Michael autem dixit contra eum, *quis ut Deus?* Ostendens impossibile omnino esse ut creatura per seipsam fiat aequalis Creatori. Sed per nomen Gabrielis ostenditur mysterium istud possibile Deo per hypostaticam unionem. Per nomen Michaelis ostenditur impossibile creaturae; per nomen autem Gabrielis ostenditur possibile Creatori, ut, factus ipse homo, fieret homo Deus, Deo per omnia similis et aequalis per unionem deificam et personalem. Raphaelis autem nomen interpretatur, *medicus Deus,* et ostendit finem Incarnationis. Convenientius autem missus est Gabriel quam Raphael, quoniam opus necesse est ut finem praecedat; prius fit domus, et postea inhabitatur. Sic Deus factus est homo, ut esset medicus hominis. Hinc se Christus medicum dixit: *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.*[32] Et hodie ingressus est Christus in domum Simonis, in qua socrus tenebatur magnis febribus. Sic universa natura humana magnis vitiorum febribus aestuabat.[33] Ad hanc autem sanandam misit Deus Patriarchas, Prophetas, sacerdotes cum medelis Sacramentorum Veteris Legis; sed non poterat ab infirmitate convalescere. Tandem venit Raphael, medicus Divinus, verus Deus.

Quid Gabriel Michael et Raphael.

V. *Missus est Angelus Gabriel ad Virginem desponsatam,* ad annunciandum Christi conceptionem et nativitatem: sicut fecit Angelus Domini ad matrem Samsonis, quae sterilis erat, cui iussit, ne vinum aut siceram biberet, nec immundum quid manducaret, sed Nazaraeorum vitam sanctissimam duceret,[34] in figuram purissimae sanctitatis huius Virginis, Matris nostri veri Samsonis. Nam sicut ille ad hoc natus creatusque a Deo fuit, ut salvaret, liberaretque populum suum a dura servitute Philisthaeorum; ita Christus ad hoc venit in mundum, ad salvandum populum suum a peccatis eorum et a potestate tenebrarum. Hinc dictus est I e s u s : *Vocabis nomen eius Iesum.*[35]

Magna legatio ob excellentiam finis: salus mundi in conceptione et nativitate Christi.

31) Is 14, 13-14. Vulg. habet: *In coelum conscendam.* 32) Mt 9, 12.
33) Cf. Lc 4, 38-39; et D. Ambros. *Exposit. in Luc.* loc. cit., lib. 4, n. 63. (P. L. 15, 1351).
34) Cf. Idc 13, 2-5. 35) Lc 1, 31.

Qualis autem et quantus futurus erat iste Salvator, Angelus declarat, dicens: *Hic erit magnus et filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David, patris eius, et regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis.*[36] Ac iterum: *Quod nascetur ex te, Sanctum, vocabitur Filius Dei.*[37] Hic erit magnus salvator, magnus rex; magnus potestate: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi;* magnus maiestate: *Regni eius non erit finis;* magnus sanctitate: *Quod nascetur... Sanctum;* magnus nobilitate: *Filius Altissimi vocabitur..., vocabitur Filius Dei,* coaeternus, coaequalis et consubstantialis.

36) Lc 1, 32-33. 37) Lc 1, 35.

SERMO QUARTUS

DE LEGATIONE INCARNATIONIS OMNIUM MAXIMA

Omni tempore Deus beneficia mundo dedit, vernali praesertim tempore quo incarnatio facta est.

I. Sunt quidem hominibus beneficia grata, et eo gratiora, quo sunt maiori cum amore facta, et a nobilioribus benefactoribus. Hinc principum gratissima beneficia sunt. Quam ergo gratum debet nobis esse beneficium hodiernum!

Sicut sol in quatuor utique incipit anni tempora, in hiemali solstitio et puncto, Capricorni signo, hiemem; in vernali aequinoctio et puncto, Arietis gradu, ver; in solstitio aestivali et puncto, Cancri signo, aestatem; et in autumnali aequinoctio et puncto, Librae gradu, autumnum, in quibus quidem temporibus maxima mundo beneficia affert; ita Deus, iustitiae sol, in quatuor hisce signis ac temporum initiis, quatuor salutis nostrae mysteria operatus est; nam in duobus solstitiis, duas nativitates, et in duobus aequinoctiis, duas conceptiones. In solstitio aestivali natus est Ioannes Baptista, in hiemali autem, Christus; in aequinoctio autumnali conceptus Ioannes, in hoc autem vernali, Christus. Hinc ait a conceptione Ioannis: *In Mense autem sexto missus est,* etc... *et hic mensis est sextus illi quae,* etc. [1]

Sicut autem sol in vere mundo huic nostro maxima beneficia affert; ita Deus in hoc tempore mundum creavit, in hoc populum suum ex Aegypto eduxit, in hoc mare divisit, in hoc manna pluit,

1) Lc 1, 26, 36. Vulg. habet: *Mensis sextus est illi.* Ea quae Auctor dicit, sponte fluunt ex inter se collatis more Ecclesiae celebrandi Fest. Annunciationis Mariae mense Martio, et assertione Evangelistae asserentis nunciationem, sexto mense post Ioannis conceptionem, per Angelum factam.

in hoc legem dedit, in hoc tabernaculum sibi construi voluit, et in hoc etiam Unigenitum Filium suum mundo dare voluit. Hodie enim in utero Sanctissimae Virginis *Verbum caro factum est... plenum gratiae et veritatis.* [2] Christus enim verus est Moyses, populi liberator, manna coeleste, tabernaculum Dei, imo mundus ter maximus. [3]

Magnam plane causam rationemque exultandi habuit universa gens hebraea, cum sancta pulcherrimaque virgo Esther in sponsam et reginam assumpta est a serenissimo rege Assuero. Illud enim matrimonium causa fuit eorum salutis a morte, quam illis impius Aman tentaverat, praeparaveratque; [4] ita, carissimi, etc.

Magna ratio exsultandi.

II. Sicut per tres Angelos nuntiatus fuit Abrahae et Sarae conceptus atque nativitas Isaac, [5] per Angelum Samsonis parentibus ipsius etiam tum conceptio, tum nativitas, [6] per Nathan prophetam Davidi conceptus et nativitas Salomonis, [7] item conceptio et nativitas sanctissimi regis Iosiae, qui interpretatur *ignis Dei,* [8] fuit enim ardentissimus zelator divini honoris, et idola destruxit; ita Christi conceptio et nativitas in hoc mundo praenunciata est per Sanctissimam Trinitatem, per Angelos et per Prophetas. Christus enim verus est Isaac, Samson et Salomon: Isaac, filius primogenitus et unigenitus Dei; Samson, redemptor et salvator populi sui; Salomon, rex Israel; Isaac, *risus* [9] Patris: *In quo sibi Pater... complacuit;* [10] Samson, *sol eorum,* sol iustitiae; Salomon, rex gloriae, totus *pacificus.*

Christi veri Isaac, Samsonis ac Salomonis, praenunciatio nativitatis omnium maxima, quia per Trinitatem, per Angelos et per Prophetas facta.

Fuit praenunciata Christi incarnatio per Sanctissimam Trinitatem sanctis Patriarchis Abrahamo, Isaac et Iacob, sinquidem unicuique horum dictum est: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Sic enim Deus Abrahae dixit, postquam filium immolavit; [11] sic Isaac apparens ei in Gerara; [12] sic Iacob de summitate scalae, [13] sic etiam Moysi, quoniam apparens ei in rubo, dixit: *Ero qui ero,* [14] Incarnationis mysterium revelatum est, quod Deus ipse futurus erat homo; quod quidem antea non sic revelatum erat. Sed Angelus Domini

2) Io 1, 14. 3) Usque huc omnia in nota marginali Auctor posuit, et quidem posteriori tempore. Primitus, sermo incipiebat a verbis: *Magnam plane,* etc. 4) Cf. Est cpp. 3. 7.
5) Cf. Gn 18, 1 sqq. 6) Cf. Idc 13, 1 sqq. 7) Cf. 2 Rg 7, 12-17.
8) Cf. 3 Rg 13, 1 sqq. 9) Sic in hebr. Isaac nomen sonat, ut postea *Sol eorum* Samson, *Pacificus* Salomon. 10) Mt 17, 5. Vulg. habet: *In quo mihi bene complacui.*
11) Cf. Gn 22, 18. 12) Cf. Gn 26, 4. 13) Cf. Gn 28, 14. 14) Ex 3, 14 hebr. Cf. Hummelauer, *Comment. in Gen.* 3, 15.

apparuit Moysi.[15] Per Angelum ergo Domini praenuntiata est Christi incarnatio. Et tertio, per Prophetas: *Ecce virgo concipiet* etc.[16] *Novum creavit Dominus super terram,*[16a] etc.

Hodie per Angelum Gabrielem Virgini annuntiatur: *Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, ad Virginem desponsatam viro,* etc.[17] Magna profecto legatio, imo omnium maxima. Multo enim maior quam fuerit illa Angelorum ad Abraham, ad parentes Samsonis, ad David ipsius Nathan, quo Christus maior est Isaac, Samsone et Salomone; illi enim homines, hic vero Deus.

Praenunciatio omnium maxima, quia circa hanc sex personae omnium maximae;

III. Sex personae ingrediuntur in hac sacratissima scena hodierni Evangelii. Deus Pater, qui hic dictus est Deus Altissimus; Verbum Patris incarnatum, Christus Iesus, de quo dicitur: *Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur;*[18] Spiritus Sanctus, de quo dicitur: *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi;*[19] Maria Virgo, de qua dicitur: *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres;*[20] Ioseph sanctus: *Ad Virginem desponsatam viro cui nomen erat Ioseph;* et Angelus: *Missus est Angelus Gabriel a Deo.*

Deus Pater,

Deus hic dictus est Altissimus, quia suprema est universi substantia, lamina illa aurea, quam summus sacerdos supra caput portabat, nomine Dei insculpta.[21] Quod si altissima est universi substantia, est item maxima. Quod enim mundanae hae substantiae altiores sunt, eo sunt maiores, sicut coelum terra, et superiora corpora coelestia inferioribus; in sphera enim non possunt dari duo circuli aequales, sicut nec in rutis duae species aequales.[22] Quod si altissimus et maxime nobilissimus, item erit ac potentissimus. Summus mundi Rex et Monarcha. Sic enim superiores substantiae inferioribus sunt nobiliores et potentiores, eisque naturaliter dominantur.

Verbum et Spiritus Sanctus,

Verbum vero et Spiritus Sanctus huic sunt consubstantiales, coaeternae et coaequales. Quare et ipsi altissimi, maximi, nobilissimi, potentissimi Reges universi.

Christus,

Si vero Christus, quatenus homo consideretur, est quidem Patre inferior: *Pater maior me est;*[23] sed tamen omnium creaturarum

15) Cf. Act 7, 30. Cf. Hummelauer, *Comment. in Gen.* 3, 1. 16) Is 7, 14. 16a) Jer 31, 22. 17) Lc 1, 26-27. 18) Ibid. 1, 32. 19) Ibid. 1, 35. 20) Ibid. 1, 28. Vulg. habet: *In mulieribus.* 21) Cf. Ex 28, 36. 22) Cf. Theophrast. Eres. *Historia Plantarum,* lib. 7, cp. 6, pag. 795-798. Edit. 1644. Amsterdam. Ut patet, Auctor loquitur secundum notiones naturales sui temporis. 23) Io 14, 28.

maximus, sicut in mundana hac, primum mobile maximum est omnium coelestium corporum; sidereum vero coelum minus quidem illi est, aliorum vero omnium maximum. Sic Christus coelum vere sidereum, in quo sunt duodecim signa, duodecim articulorum fidei, omnesque stellae virtutum splendent.

Maria Virgo minor est Christo, sicut luna sole, sed maior omnibus aliis creaturis, sicut luna maior apparet ceteris astris. Ioseph, post Christum et Virginem, Sanctorum omnium maximus est, ut Christo proximus. Gabriel vero maximus Angelorum, ut ratione praedestinationis divinae ostendi potest. Siquidem Christus est primus praedestinatorum; Maria Virgo secundum locum tenet, quia Christus praedestinatus est ut filius Mariae; tertium, Beatus Ioseph, quia Mariae ipsi desponsatus; quartum tenebit Gabriel, quia praedestinatus est paranymphus et nuntius incarnationis Christi.

Maria. Ioseph. Gabriel.

IV. Sed hodie loquendum nobis tantum de Christo et Maria Virgine, quia sunt duo luminaria magna, sol et luna. Christus est Isaac, magnus filius Abrahae, *patris excelsi.* De ipso enim hic dicitur: *Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur.* Is, Samson, salvator sui populi: *Vocabis nomen eius Iesum, ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.*[24] Ipse, Salomon: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius, et regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis;*[24a] alludens ad vaticinium Isaiae: *Parvulus natus est nobis et filius datus est nobis; et factus est principatus super humerum eius, et vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis. Multiplicabitur imperium eius, et pacis non erit finis..., super solium David et super regnum eius.*[25]

Loquendum de Christo, vero Isaaco, Samsone et Salomone.

Hic est lucidissimus sol.

V. Sed iam ad Beatam Virginem, splendidissimam lunam, oculos convertamus. Haec est Sarah, *Domina,* non huius aut illius rei, sed simpliciter Domina mundi. Haec mater Samsonis, sterilis quia virgo, quae prohibita est bibere vinum et siceram et comedere omne immundum,[26] idest, quae nunquam peccatum commisit, nec concupiscentiam peccati habuit, sine peccato concepta. Haec

Loquendum praecipue de Virgine, vera Sarah, matre Samsonis, Betsabee.

24) Mt 1, 21. 24*a*) Lc 1, 32-33. 25) Is 9, 6-7. Vulg. habet: *Eius imperium.*
26) Cf. Idc 13, 3.

Bethsabee, mater Salomonis, vere pulcherrima, quam Summus Rex coeli concupivit, virumque ipsius occidit, Ioseph, quia vere Urias fuit, *lux Dei,* quia mortuus mundo est per votum castitatis; vere Bethsabee domus, *domus iuramenti, domus plenitudinis, abundantiae, copiae, saturitatis, domus septem.* Hoc enim est quod Angelus ait: *Ave, gratia plena;* plena utique septem Spiritus Sancti donis, plena septem virtutibus, plena septem evangelicis beatitudinibus: *Ave, gratia plena.* O gratiae plenitudo!

Maria Virgo vera Sarah, idest, mundi Regina, quia Mater et Sponsa et templum Dei et porta coeli.

Quicumque in archetypo superiorem locum tenet in divina praedestinatione et superiorem locum in gloria paradisi, hic maiorem gratiam consecutus est in hoc mundo. Maria Virgo secundum locum in praedestinatione tenet et in gloria paradisi post Christum: sic ergo in gratia. Sicut enim luna post solem ceteris omnibus astris luminosis splendet, cum plena est; ita Maria Virgo. *Ave, gratia plena!* Gratia in caritate consistit; caritas autem in amore Christi. Nulla autem creatura Christum magis amavit quam Virgo Maria, eius verissima Mater. *Ave, gratia plena!* Quaenam maior gratia fieri unquam potest puellae a magno aliquo principe, quam assumi in sponsam, sicut Esther ab Assuero? Maria Virgo verissime in sponsam assumpta a Summo regum Rege, Deo, est; verissima Christi Summi Regis Filii Mater, serenissima mundi Regina, tanto melior Angelis effecta, quanto differentius prae illis nomen hereditavit.[27] Ille enim ministri Dei sunt et servi Christi, haec autem Sponsa Dei et Mater Christi. *Ave, gratia plena!* Templum Salomonis statim completum, fuit a maiestate Domini impletum: *Implebat maiestas Domini templum Domini.*[28] Sic Maria Virgo plena Divinitate est: *Ave, gratia plena, Dominus tecum.* Si quis in iusta rationis bilance duo haec ponderare posset: *Gratia plena: Dominus tecum:* videret plane quod ponderis eiusdem esset istud: *Gratia plena* ac istud: *Dominus tecum;* quia Deus Filium suum Mariae Virgini dedit, donum infinitum et aequale Deo. O plenitudo, o templum! *Implebat maiestas Domini templum Domini.* Maria Virgo utique templum Domini, in qua inhabitavit Deus non tantum per naturam, per essentiam, praesentiam et potentiam, ut in mundo; non solum per gratiam, per fidem, spem et caritatem, uti in Ecclesia; non solum per gloriam, per summi boni visionem, fruitionem ac perpetuam possessionem infiniti illius thesauri, uti in paradiso; sed per corporalem inhabitationem: *In quo*

Maria, mundi Regina.

Maria, templum Dei.

27) Cf. Hebr 1, 4. 28) 2 Par 7, 1. Vulg. habet: *Implevit* etc.

inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.[29] Unde cum patriarcha Iacob dicere quisque potest: *Vere Dominus est in loco isto... Quam terribilis est locus iste! Non est hic aliud nisi domus Dei et porta coeli.*[30] O templum! Et quaenam haec sua est magnitudo? Quia: « Quem coeli et coeli coelorum capere non possunt, tuo gremio contulisti ».[31]

In Maria oblatum sacrificium omnium gratissimum.

In templo illo, offerebantur sacrificia Deo. In hoc autem templo, oblatum est sacrificium omnium gratissimum, sine comparatione gratius sacrificio Isaac. Summus sacerdos non ingrediebatur in sancta sanctorum sine sacrificio.[32] Christus est Summus Sacerdos; sancta sanctorum, gloria paradisi, aeterna beatitudo. Christus, a primo suae conceptionis instanti, ingressus est hoc sanctuarium, factus beatus in anima; at non sine sacrificio. Sanctissima enim illa anima, videns infinitam hanc gratiam sibi a Deo concessam, ut homo esset aequalis Deo, una persona cum Deo, et finem voluntatis divinae intelligens, quod erat mundi salus per Christi mortem, omni animi promptitudine ad passionem et morte corpus suum obtulit. Hoc est quod Regius Vates ait: *Sacrificium et oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi... Tunc dixi: Ecce venio. In capite libri scriptum est de me ut facerem voluntatem tuam. Deus meus, volui.*[33] Apostolus vero interpretatur: *Corpus autem aptasti mihi,*[33a] ad passionem scilicet, uti erat voluntas Dei.

Hoc est sacrificium Isaac in monte Moria,[34] ubi fuit aedificatum templum Salomonis.[35] Maria Virgo est mons Moria, mons domus Domini, de quo dicitur: *Erit praeparatus mons domus Domini in vertice montium.*[36]

et infiniti valoris.

Sacrificium vero istud infiniti fuit valoris, quia infinita cum caritate Deo oblatum et a persona quae Deo infinite placet. Quod si infiniti valoris, tanti valuit quanti valet[36a] Deus. Meriti etiam infiniti, adeo ut Christus neque per suam passionem magis mereri potuerit quod meriti virtutem et efficaciam, nisi quoad meritorum extensionem et numerum, et, quod debitum erat uno modo, faciendo debitum alio modo. In hoc enim sacrificio nobis gratiam, gloriam vitamque aeternam promeruit. Quapropter divinum hoc Mariae Vir-

29) Col 2, 9. 30) Gn 28, 17. 31) *Brev. Rom.* Com. Fest. B. M. V. 1. Resp. ad Mat. 32) Cf. Ex 30, 10; et Hebr 9, 25. 33) Ps 39, 7-9. Ms.: *Tua.* 33a) Hebr 10, 5. 34) Cf. Gn 22, 2. 14. Cf. etiam Hetzenauer O. Cap. *Comment. in Gen.* loc. cit. 35) Cf. 2 Par 3, 1. 36) Is 2, 2. 36a) Ms.: *Valeat.*

ginis templum infinita gratia meritoque infinito plenum fuit. Quod si gratia et merito infinito, multo ergo maioris valoris, quam sit gratia omnium Sanctorum Ecclesiae tum militantis, tum trimphantis, ac omnium Angelorum paradisi; sicut lux solis maior est lumine omnium stellarum. Illorum enim et gratia finita est et finitum meritum, huius vero infinitum utrumque. Maioris etiam valoris, quam sit universa gloria paradisi; gratia enim et gloria correspondent sibi, sicut meritum et praemium, sicut pretium et quod emitur pretio. Si gratia maior, gloria etiam maior; imo gratia ista fons est omnis gratiae, ad instar fontis illius ex quo egrediebatur fluvius irrigans paradisum.[37] Christus enim, incarnatus in Virgine Maria, sol est iustitiae et fons omnis gratiae, sicut sol omnis luminis in coelo et in terra; gratia Deo aequalis: *Implebat maiestas Domini templum Domini. Gratia plena, Dominus tecum.*

Maria porta coeli.

Verum, Maria Virgo non tantum domus Dei, sed etiam porta coeli. In templo enim Domini sanctuarium divinum locus erat gloriae Domini; sic Beata Virgo templum fuit gloriae Domini; fuit enim verus quidam paradisus: *Ortus conclusus, fons signatus; emissiones tuae paradisus.*[38] Siquidem paradisus verus est, ubi vere videtur Deus; in utero Beatae Virginis vere visus est Deus, quia Christus fuit, a primo instanti suae conceptionis, beatus. Gloria autem paradisi huius infinita est, sicut et gratia; maior gloria coelestis paradisi, sicut gloria solis; fons totius illius gloriae, quia Christus Rex gloriae; gloria aequalis gloriae Dei, quia Christus aequalis Deo: *In* quo *inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.* O igitur infinita plenitudo! *Ave, gratia plena, Dominus tecum! Quam terribilis est locus iste! Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam. Non est hic aliud, nisi domus Dei et porta coeli.*[39]

Maria Virgo omni laude digna, sed a christianis blasphemis dehonorata.

VI. *Quam terribilis est locus iste!* Quanto honore digna est Beata Virgo Maria! Nos vere nescimus gloriam hanc Mariae: *Et ego nesciebam* quod tanta esset gloria Mariae, tanta apud Deum gratia; quam Angeli in coelo omnes tanquam Reginam ac Dominam suam adorant et colunt, sicut hodie Angelus iste, qui est Angelorum princeps et coryphaeus: *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.*

37) Cf. Gn 2, 10. 38) Cf. Ct 4, 12-13. 39) Gn 28, 16-17.

Sed heu nos miseros! Nedum gloriam hanc Beatae Virginis ignoramus; quapropter nec ut par est veneramur tanquam Summi Regis Sponsam, Christi Matrem, mundi universi Reginam, uti Angeli faciunt et universa coelestis curia; verum multi etiam irreverentissimi sumus. Voluit Deus, ut tanta reverentia haberetur arcae foederis, quia locus habitationis eius erat, ut, si quis indigne eam tetigisset, morte moreretur, uti mortuus fuit Oza.[40] Sed nos,[41] o Christiani, non solum indigne tangimus hanc sanctissimam Arcam, dum salutationem angelicam irreverenter dicimus, sed multi etiam sacrilegis, maledictis et diabolicis linguis, horrendis blasphemiis foedissime deturpant. O terra, o terra, tu semel os tuum aperuisti, et vivos impios devorasti; o coelum, tu super impios ignem pluisti, eosque devorasti; tu fulmina tremenda habes, ad quid servas ea? Fulmina, fulmina contra hos impios, et malos male perde.[42] Vel saltem, tu, misericordissime Deus, malum male perde, et malos tua gratia bonos redde, ut salvi fiant, ut Virginem Beatam, ut par est, ad nominis tui gloriam, adorent et colant, dicentes semper, omni cum devotione: *Ave, gratia plena.*

40) Cf. 2 Rg 6, 6-8. 41) Ms.: *Non.* 42) Cf. Mt 21, 41.

SERMO QUINTUS

DE INCARNATIONIS MYSTERII CIRCUMSTANTIIS

Quis concipitur.

I. Quis est qui concipitur? Isaac, a patre immolatus; Samson, pro salute sui populi, sua sponte mortuus; Salomon, rex sapientissimus. Hic est ille de quo Isaias: *Vocabitur nomen eius Emmanuel.*[1] *Voca nomen eius: accelera spolia detrahere, festina praedari.*[2] *Vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis;*[3] de quo Ieremias: *Hoc est nomen quod vocabunt eum: Dominus iustus noster;* qui *regnabit rex, et sapiens erit, et faciet iudicium et iustitiam in terra;*[4] qui in sacrosancto Evangelio dicitur Dominus: *Dominus tecum;*[5] dicitur Deus: *Invenisti gratiam apud Deum:* et item Filius: *Concipies et paries filium;* dicitur Iesus: *Vocabis nomen eius Iesum;* dicitur magnus: *Hic erit magnus;* dicitur Filius Altissimi: *Et Filius Altissimi vocabitur;* dicitur Rex: *Regnabit in domo Iacob in aeternum;* dicitur virtus Altissimi, et simpliciter Sanctus: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi: quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Decem in universum sunt Christi nomina in hoc Evangelio: primum, Dominus; secundum, Deus; tertium, filius; quartum, magnus; quintum, Filius Altissimi; sextum, rex; septimum, Iesus; octavum, virtus Altissimi; nonum, Sanctum; decimum, Filius Dei.

Vocatur Dominus simpliciter et absolute, quia solus Dominus

1) 7, 14. 2) 8, 3. 3) 9, 6. 4) 33, 16; 23, 5. 5) Lc 1, 28. Sequuntur vrr. 31-33.

universorum: *Dominus tecum... Invenisti gratiam apud Deum.*[6] Dicitur Salvator, quia solus salvator, sicut solus Dominus et solus Deus. Dicitur simpliciter magnus: in natura, in gratia, in gloria, in potentia, sapientia, bonitate, sanctitate; magnus: aequalis Deo; Filius Altissimi, quia solus est Filius Dei, consubstantialis, coaeternus et coaequalis; virtus Altissimi, ipse est enim omnis virtus et sapientia Patris: *Splendor gloriae et figura substantiae eius, portans... omnia verbo virtutis suae.*[7] Sed Rex tantum Iudaeorum dicitur Christus: *Dabit illi Dominus Deus sedem David, patris eius, et regnabit in domo Iacob in aeternum;* in domo Iacob, non in domo Abrahae aut Isaac, quia ibi fuit Ismael reprobus, et hic Esau odio habitus; sed in domo Iacob omnes fuerunt electi. Sic Christus Rex tantum dicitur Electorum, quia his tantum dat gratiam et gloriam suam, hos tantum facit regni sui consortes.

II. A quo concipitur? A Maria Virgine, desponsata Ioseph, gratia plena, benedicta in mulieribus, superventa a Spiritu Sancto, obumbrata a virtute Altissimi, humili ancilla Domini.[8] **A quo concipitur.**

III. Quomodo concipitur? Modo non humano, sed supernaturali et divino: *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi* etc. **Quomodo concipitur.**

IV. Ad quid concipitur? Ut sit Iesus, ut salvum faciat populum suum a peccatis eorum,[9] ut regnet in domo Iacob semper. **Ad quid concipitur.**

6) Lc 1, 30. 7) Hebr 1, 3. 8) Cf. Lc 1, 38. 9) Cf. Mt 1, 25. 21.

SERMO SEXTUS

DE ARCHANGELI SALUTATIONE IN MYSTERIO INCARNATIONIS

Ave, gratia plena. Dominus tecum. [1]

Hodie Virgo summe honorata, et laudata.

I. Ostenditur in hodierno Evangelio Virgo Beata honorata supra modum a Deo, et ab Angelo laudata. Primam mulierem honoratam quidem legimus, sed non laudatam, neque enim de ea, postquam divinitus formata fuit, legimus: *Vidit Deus quod esset bonum.*[2] Virginem vero et dilectam et honoratam et laudatam nobis sacrum Evangelium exhibet: dilectam, quia eam requirit in sponsam, sicut Eliezer sponsam quaesivit Isaac,[3] sicut David misit ad Abigail nuncium, ut haberet eam in sponsam,[4] sicut Assuerus adeo dilexit Esther, ut eam sibi desponsaret uxorem.[5] Honoravit hodie Deus Virginem Beatam, quia summum Angelum ad eam legatum misit tanquam paranymphum ac pronubum. Signum magni honoris est, cum rex magnum principem mittit legatum ad aliquam personam; sic missus est Angelus Gabriel a Deo ad Virginem.

Prima laus Virginis in ore Archangeli: Maria est pulcherrima spirituali pulcritudine.

II. Summis laudibus Gabriel Angelus Virginem Beatam, tanquam Dei nuncius, celebrat verissimeque exornat: *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Tria dicit: quod sit virtute et sanctitate Deo gratissima; quod sit Deo ex caritate coniunctissima, Deo carissima dilectissimaque; ac tandem quod sit super omnem creaturam divinis favoribus cumulatissima, ditissima, beatissima.

1) Lc 1. 28. 2) Gn 1, 12. 3) Cf. Gn 24, 1 sqq. 4) Cf. 1 Rg 25, 39-42.
5) Cf. Est 2, 15-18.

Ave, gratia plena. Non agitur hic de illa gratia de qua Salomon ait: *Fallax gratia et vana est pulcritudo;*[6] haec enim pulcritudo est, quae hominum oculos oblectat. Angelus vero agit de gratia et pulcritudine, quae divinos oculos, ut ita dicam, pascit. Haec prima laus est, quod sit Virgo pulcherrima, gratiosissima, divinis oculis gratissima. Spiritualis autem pulcritudo in virtute consistit, in sanctitate, in Dei similitudine; Deus enim summa pulcritudo est, sicut summa et infinita bonitas est, summo amore digna. Post Deum autem nil pulcrius, nil gratiosius Maria in coelo, vel in terra: *Ave, gratia plena.* Nec enim in coelo, in Angelis talis reperta est gratia, talis pulcritudo. *Ave, gratia plena,* Deo super omnem creaturam gratissima divinisque oculis gratiosissima.

Quid Spiritus Sancti et quid gratiae plenitudo.

Non dicitur Beata Virgo plena Spiritu Sancto, sicut multi Sancti: Ioannes,[7] Zacharia,[8] Elisabeth,[9] Apostoli,[10] diaconi[11] aliique permulti; sed gratia plena. Licet tamen minus videatur, tamen non ita est; nam quae rariora sunt, cariora sunt. Multi dicuntur pleni Spiritu Sancto; gratia autem paucissimi: Christus,[11a] Maria et Stephanus. Et hic quidem in textu graeco non dicitur plenus gratia, sed fide, quia plenus gratia fidei,[12] adeo ut simpliciter Christus et Maria pleni gratia legantur. Sicut in coelo inter stellas duo luminaria magna, sol et luna; inter omnes Sanctos pleni gratia Christus et Maria, quoniam Maria singulariter similis Christo, sicut luna soli, Eva Adamo.

Quid proprie gratia.

Ut sciamus autem quid sit haec gratiae plenitudo, videndum est quidnam sit gratia. Novatores existimant nihil aliud esse quam externum Dei favorem erga nos, sicut quis dicitur esse in principis gratia, cum fruitur favore et benevolentia principis. Sed hic manifestum est quod accipitur pro venustate et pulcritudine, qua Beata Virgo fuit oculis Dei gratissima gratiosissimaque, quaque Deo summopere placuit. Unde postea dixit Angelus: *Invenisti gratiam apud Dominum;*[13] sicut de Noe legimus: *Noe, vir iustus atque perfectus... invenit gratiam coram Domino.*[14] Quoniam vero spiritus est Deus, unde: *Qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare:*[15] profecto agitur hic de spirituali pulcritudine. Consistit autem cor-

Pulcritudo corporalis et spiritualis.

6) Prv 31, 30. 7) Cf. Lc 1, 15. 8) Ibid. 1, 67. 9) Ibid. 1, 41. 10) Cf. Act 2, 1-4. 11) Ibid. 6, 3. 11a) Cf. Io 1, 14. 12) Cf. Act 6. 8. Cf. D. Chrysost. *Homil. 15. in Act. Apost.* cp. 6, 1. (P. G. 60. 119). Ita etiam Vatablus, Grotius et alii. 13) Lc 1, 30. 14) Gn 6, 9. 8. 15) Io 4, 24.

poralis pulcritudo in optima proportione partium ad invicem, colorum ac luminum, sicut musicus concertus in optima proportione vocum et sonorum; at coelestis pulcritudo in sola caritate et luce consistit; hac pulcra est luna plena, hac pulcher sol, qui sponsus pulcherrimus est naturae: *Ipse tanquam sponsus procedens*, etc. [16] Sic animae pulcritudo consistit in puritate conscientiae, caritate et luce divinae cognitionis cum amore divinae bonitatis. Sic dicitur de Beata Virgine: *Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te.* [16a]

Secunda laus: Maria ingenti spirituali thesauro cumulata.

III. Praeter haec autem, gratia Dei donum est: *Gratiam et gloriam dabit Dominus.* [17] *Omne datum optimum et omne donum perfectum.* [18] *Magna et pretiosa nobis dona donavit, ut per haec efficiamini*, etc. [19] Solent autem principes duo bonorum genera dare: divitias et honores, dignitates, gradus; ita et Deus. Sed quale quantumque donum est gratia? Ingens thesaurus, quo quis potest emere regnum coelorum: *Gratia... Dei, vita aeterna;* [20] dos est animae digna, qua [20a] Christum accipiat in sponsum Regem gloriae; summa dignitas est, qua homo constituitur filius et heres Dei, frater et coheres Christi. [21] *Quis audivit unquam tale, et quis vidit huic simile,* [22] ut homo, humili loco natus, adoptetur a summo principe in filium et instituatur heres?

Tertia laus: Maria Dei imago simillima.

IV. Tandem gratia est supernaturalis quaedam imago et similitudo Dei; [23] quaedam participatio divinae naturae, ut Petrus ait. Sic Maria *gratia plena*, quia Deo simillima, Dei imago pulcherrima. Deus est summa innocentia: *Deus fidelis, in quo non est iniquitas;* [24] ita Maria innocentissima, absque ullo prorsus peccato, vel actuali vel originali. Deus summa sanctitas: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus;* [25] Maria sancta et corpore et spiritu, semper cogitans quae Domini sunt, quomodo placeret Deo. [26] Deus summa perfectio, thesaurus omnium perfectionum; Maria *gratia plena*, thesaurus omnium virtutum, donorum Spiritus Sancti ac evangelicarum beatitudinum. Deus est summe perfectus, ita ut quidquid est in Deo, sit summe perfectum: perfecta potentia, perfecta sapientia, perfecta bonitas; Maria perfecte *gratia plena*, in ea omnis virtus perfectis-

16) Ps 18, 6. 16a) Ct 4, 7. 17) Ps 83, 12. 18) Iac 1, 17. 19) 2 Petr 1, 4. Vulg. loc.: *Dona*, habet: *Promissa*. 20) Rom 6, 23. 20a) Ms.: *Quo*. 21) Cf. Rom 8, 17. 22) Is 66, 8. 23) Cf. Cyrillum Alex. *Thes. Ass.* 32. (P. G. 75, 330-331). 24) Dt 32, 4. Vulg. loc.: *In quo non est*, etc., habet: *Absque ulla iniquitate.* 25) Is 6, 3. 26) Cf. 1 Cor 7, 34.

sima: perfecta fides, perfecta spes, perfecta caritas: *Una est perfecta mea.*[27] Deus est undequaque totus perfectus: in intellectu, in voluntate, in substantia, in natura; Maria *gratia plena* ex omni parte: in anima, in corpore et spiritu. Deus perfectus in omnibus actibus suis: *Dei perfecta sunt opera;*[28] *Fidelis..., iustus Dominus in omnibus viis suis;*[29] Maria *gratia plena* in omnibus actibus suis, semper. In Deo est summa auctoritas, potentia ad bene puniendum, bonitas, liberalitas; tam bonus est quam potens, tam liberalis quam dives, sicut coelestia, sicut sol;[30] ita Maria *gratia plena,* Deo simillima.

27) Ct 6, 8. 28) Dt 32, 4. 29) Ps 144, 13-17. 30) Qui sol, ut Auctor alio in sermone dicit, quidquid lucis habet, totum in mundi beneficium effundit.

SERMO SEPTIMUS

DE CAUSIS MATRIMONII VIRGINIS DEIPARAE

Annunciatio festum Dei, Angelorum et hominum.

I. Celebramus hodie festivissimum diem, quod festum simul et Dei et Angelorum et hominum est in Ecclesia tum triumphante in coelis, tum militante in terra. Hinc in hodierno Evangelio mentio fit Dei, Angeli et hominis: *Missus est Angelus... a Deo ad virginem desponsatam viro:* [1] nam mysterium Incarnationis celebratum est ad gloriam Dei, in salutem hominum, ad reparandas angelicas ruinas.

Deus agit cum Maria sicut rex cum magna muliere principe.

II. *Missus est Angelus Gabriel a Deo.* Ostenditur quanto honore digna sit Virgo Sanctissima, quanto honore eam dignatus sit Deus infinitae maiestatis; nam captus eius pulcritudinis et gratiae, requisivit eam in matrimonium per honestissimum legatum et internuntium, per Gabrielem Archangelum, summum Angelorum principem, qui in coelesti curia inter summos principes primus est apud Deum. Sic tractari voluit hodie Dominus matrimonium hoc, sicut tractari solent matrimonia principum. Cum rex ducturus uxorem est, et nobilissimam atque pulcherrimam requirit principem mulierem; mittit legatum nobilissimum ad requirendam eam; sic: *Missus est Angelus,* etc. *Ave gratia plena, Dominus tecum.* [2] Cum tabernaculum Moysi Deo dedicatum fuit, [3] similiterque templum Salomonis, [4] descendit maiestas Domini, et gloria Domini replevit templum Domini. Virgo

Simile.

1) Lc 1, 26. 2) Ibid. 1, 28. 3) Cf. Ex 40, 32. 4) Cf. 2 Par 7, 1.

Sanctissima tabernaculum est et templum Domini· *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.*[5] Hodie singulariter seipsam Deo dedicavit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum:*[6] sic divina gloria repletum est hoc tabernaculum Dei: *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.*[7]

III. *Ave, gratia plena, Dominus tecum.* Causae matrimonii huius inter Deum et Virginem reiiciuntur in Dei caritatem et Virginis divinam pulcritudinem: *Gratia plena... invenisti gratiam apud Deum.*[8] Hinc Spiritui Sancto tribuitur: *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Praecipue tamen divinus amor coniugii causa fuit, nam Deus ex amore Virginem requisivit in sponsam ac desponsavit; nam amor causa coniugii est: *Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae.*[9] Sed tamen conclusum est divinum hoc matrimonium ad conciliandam pacem inter Deum et mundum; sic enim fieri consuevit ut, cum duo regna alternis odiis invicem dissident, contractis matrimoniis hinc inde inter principes, concilientur.

Causae matrimonii huius caritas Dei, et pulcritudo Mariae virtutibus ornatissimae.

Captus est Deus amore Virginis, eamque in Sponsam suam veramque Filii sui Matrem et Genitricem elegit, non quia potens, nobilis, dives, pulcra et formosa corpore, sed quia sancta corpore et spiritu: *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus,* mulierum omnium optima atque sanctissima. Laudantur in Evangelio virgines prudentes;[10] ipsa prudentissima extitit: *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?*[11] Tunc prudenter cognita Dei voluntate, ait: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* O *fiat*, o *fiat!* Quanti momenti est hoc Virginis *fiat!* Nam ad hoc *Verbum caro factum est.* Missus est Angelus sicut David nuncium misit ad prudentissimam Abigail, requirens eam in uxorem; illa autem, prudentissime re perspecta, humiliter acceptavit; ita hodie Virgo: *Fiat mihi*, etc. David captus est amore Abigail ratione virtutis, quia mulier erat sapiens et prudens valde, prudentiae enim non pulcritudinis [ratione] laudata est in Divinis Litteris;[12] ita plane Deus Virginem elegit in Sponsam propter ipsius divinam sanctitatem, Deus enim sanctitatis et virtutis amantissimus est.

Simile.

5) Ps 45, 5. 6) Lc 1, 38. 7) Ibid. 1, 35. 8) Lc 1, 30. 9) Gn 2, 24; Eph 5, 31.
10) Cf. Mt 25, 1 sqq. 11) Lc 1, 34. 12) Cf. 1 Rg 25, 39 sqq.

Ad altissimum ac divinissimum dignitatis superangelicae gradum evecta est hodie Virgo Beatissima, quoniam facta est Sponsa Dei vera et Mater Christi, ita ut habeat auctoritatem cum Deo et cum Christo omnipotente, quam habet sponsa dilectissima cum amantissimo sponso, quam mater cum filio optimo, quam habuit Esther cum Assuero sponso, Bethsabee cum Salomone filio, de quo optime merita erat.

SERMO OCTAVUS

DE NOBILISSIMO VIRGINIS DEIPARAE MATRIMONIO

Missus est Angelus Gabriel... in civitatem Galilaeae, quae vocatur Nazareth, ad Virginem. [1]

I. Dies occurrit nobis hodie celeberrimus et solemnissimus, dies maximae exultationis et laetitiae, quia dies adventus Dei in mundum: *Exulta satis, filia Sion, iubila, filia Ierusalem: Ecce rex tuus venit tibi iustus et salvator.* [2] Castra Hebraeorum pugnantium contra Philisthaeos magna laetitia et gaudio exsultarunt propter adventum arcae Domini; Philisthaei vero, nimio timore ac terrore concussi, ingemuerunt, dicentes: *Venit Deus in castra..., vae nobis.* [3] Formidabilis est hic dies daemonibus contra quos nobis est bellum, ut Paulus ait: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in coelestibus.* [4] Christus autem Dominus exercituum, Deus omnipotens, venit in favorem nostrum contra daemones, contra principes et potestates tenebrarum.

Generi humano in die Annunciationis laetandum quia Dominus venit in mundum.

Simile.

De Abraham patriarcha inquit Dominus quod *exultavit ut videret diem* hunc, *vidit et gavisus est;* [5] risit in corde suo, cum ei Dominus nativitatem filii divinumque semen promisit. Dies laetissimus est cunctis Christifidelibus, quoniam dies est regalium nuptiarum. Magno gaudio et laetitia, maxima exultatione affecti fuerunt

Laetandum etiam quia matrimonium inter Deum et Virginem celebratum est quintuplici ratione nobilissimum.

1) Lc 1, 26. 2) Zach 9, 9. 3) 1 Rg 4, 7-8. 4) Eph 6, 12.
5) Io 8, 56.

Iudaei omnes, cum noverunt nuptias celebratas factasque inter magnum regem potentissimumque imperatorem Assuerum et Esther iudaeam, scientes matrimonium illud extitisse in causa universalis salutis totius gentis Iudaeorum; nisi enim matrimonium illud intercessisset, in crudeli persecutione impii Aman omnes Iudaei penitus periissent. Propterea, cum matrimonium illud Iudaeis innotuit: *Nova lux oriri visa est, gaudium, honor et tripudium,* [6] idest, maxima et ineffabilis exultatio. Hodie autem factae sunt nuptiae, contractum consummatumque matrimonium inter Deum, Regem regum summumque Imperatorem, et Virginem Beatissimam, mulierem nostri generis, quae caro nostra et sanguis noster extitit.

Ostenditur autem nobilissimum matrimonium: a sponso, a sponsa, a paranympho et pronubo, ac tandem a matrimonii fructu. [7] *Missus est Gabriel Angelus:* hic paranymphus et auspex; *a Deo:* hic sponsus; *ad Virginem:* haec sponsa; *ecce concipies in utero et paries filium:* [8] hic fructus matrimonii huius.

Matrimonium hoc nobilissimum a paranympho summo Archangelorum.

II. Declaratur nobilitas paranymphi et genialis internuncii, quoniam Angelus est, nec de minoribus Angelis, non de intimo ordine aut hierarchia, sed Angelus immediatus Deo, nam missus est immediate a Deo; de suprema igitur hierarchia, de supremo ordine, supremus in ordine hierarchico. Hinc de seipso ad Zachariam patrem Ioannis ait: *Ego sum Gabriel Angelus, qui asto ante* Dominum. [9] Singulariter loquitur tanquam principalis inter assistentes. Hinc *Gabriel* appellatur *fortis Deus,* sive *vir Deus, homo Deus,* ipso suo nomine designans summum omnium divinae Incarnationis mysterium. Ipse, tanquam singularis et intimus Dei a secretis consiliis, revelavit Danieli mysterium septuaginta hebdomadarum, quibus praefinitum ac determinatum erat tempus adventus Domini Salvatoris in mundum. [10] Hic igitur harum nuptiarum divinique huius matrimonii coelestis est hymenaeus.

Matrimonium hoc nobilissimum a Sponso: Deo, rege, omnipotente.

III. Missus est autem a Deo, sicut Eliezer, praepositus totius domus patriarchae Abraham, missus ab eo fuit ad quaerendam Isaaco uxorem. [11] *Missus est Gabriel Angelus a Deo.* Hic est sponsus

6) Est 8, 16. 7) Auctor in divisione huius sermonis membrum extremum, idest, *a loco et tempore,* hic omittit. Evidenter sermonem subcessivis horis texuit.
8) Lc 1, 31. 9) Lc 1, 19. 10) Dn 9, 20 sqq. 11) Gn 24, 1 sqq.

nobilissimus, qui Deus altissimus appellatur: *Filius Altissimi vocabitur... virtus Altissimi obumbrabit tibi.*[12] Sponsus, Rex regum est, Dator regnorum, sicut apud Danielem legimus: *Ipse mutat tempora et aetates, transfert regna atque constituit.*[13] Hinc ait: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius, et regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis.*[14] Sponsus omnipotens: *Quia*, inquit, *non erit impossibile apud Deum omne verbum.*[15] *Omnia quaecumque voluit Dominus fecit in coelo et in terra.*[16] *Ipse dixit et facta sunt... mandavit et creata sunt... Verbo Domini coeli firmati sunt, et spiritu oris eius omnis virtus eorum.*[17] O infinitam Sponsi nobilitatem!

IV. Nec minus nobile matrimonium a fructu. Nam ait: *Ecce concipies in utero et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur..., et regnabit... in aeternum... et quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei.*[18] De quo item Isaias: *Vocabitur nomen eius Emmanuel.*[18a] *Et vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis.*[19] Et Ieremias: *Hoc est nomen quod vocabunt eum: Dominus iustus noster.*[20] Fructus huius matrimonii Christus est, verus Deus omnipotens et verus homo, natura, gratia et gloria perfectissimus, omni plenitudine Divinitatis beatissimus: *Verbum caro factum est... plenum gratiae et veritatis; et vidimus gloriam eius*, etc.[21]

Matrimonium hoc nobilissimum a fructu, Christo: natura, gratia, gloria perfectissimo.

V. A sponsa etiam nobilissimum matrimonium est: *Missus est Gabriel Angelus... ad Virginem.* Sponsa haec nobilissima, quia de stirpe et progenie serenissimi ac sanctissimi regis David; honestissima ac pudicissima, quia virgo mente et corpore; ditissima pro dote, quia: *Benedicta tu inter mulieres;*[21a] *Multae filiae congregaverunt* sibi *divitias, tu supergressa es universas.*[22] Sponsa pulcherrima: *Ave, gratia plena;*[23] Sponsa gratissima, acceptissima, delicatissima: *Dominus tecum... invenisti gratiam apud Deum;* prudentissima: *Cogitabat qualis esset ista salutatio;* modestissima: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.*[24] Haec autem sunt

Matrimonium hoc nobilissimum a Sponsa numeris omnibus absoluta.

12) Lc 1, 32. 35. 13) Dn 2, 21. 14) Lc 1, 32-33. 15) Ibid. 1, 37.
16) Ps 134, 6 et alib. 17) Ps 32, 9. 6. 18) Lc 1, 31-32. 35. 18a) Is 7, 14.
19) Ibid. 9, 6. 20) Jer 33, 16. 21) Io 1, 14. 21a) Lc 1, 42.
22) Prv 31, 29. 23) Lc 1, 28. 24) Ibid. 1, 29. 38.

quae vel maxime in sponsa desiderantur: honestas, nobilitas, pulcritudo, gratia, dos, prudentia et modestia. Quod si his addatur fecunditas et singularis erga virum amor, explet omnes numeros. Talis fuit Beatissima Virgo erga Deum; sponsa igitur numeris omnibus absoluta; hinc ait: *Una est columba mea, una est perfecta mea.* [25]

Perfectum dicitur cui nihil deest; ideo: *Viderunt eam filiae,* contemplatae sunt, miratae sunt, *et beatam dixerunt; reginae et concubinae... laudaverunt eam: Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol?* [26] Hinc quanti fecerit Deus Virginem hanc, ex eo patet quod non solum elegit eam in Sponsam, nec tantum ad exquirendum ab ea consensum, ut legitimum esset divinum hoc matrimonium, Gabrielem Archangelum, summum Angelorum principem et hierarcham misit ad eam; verum etiam misit Spiritum Sanctum, verum Deum: *Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi:* [27] misit etiam ad eam unicum et dilectissimum Filium suum, increatum Verbum, ut in utero ipsius incarnaretur. Quare merito dicere possumus: Sic Deus dilexit Mariam, ut Filium suum Unigenitum daret. [27a]

Matrimonium hoc nobilissimum a tempore et loco.

VI. Honoratur etiam divinum hoc matrimonium a t e m p o r e et l o c o ; nam celebratum est in mense sexto a conceptione Ioannis, qui in autumno conceptus fuit; celebratum est laetissimo veris tempore, sole in arietem ingrediente, quando universa renovatur, reviviscit ac reflorescit natura; tempore [quo] conditus fuit mundus, quo homo creatus, quo populus Dei egressus fuit de Aegypto, quo ingressus fuit in terram promissionis, tempore paschali. Ad celebranda connubia expectantur laetissima tempora, ut ipsa etiam laetitiam augeant: Cum *venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum factum ex muliere.* [28]

Tempus.

Locus.

Deinde celebratum fuit hoc matrimonium in civitate Galilaeae, quae vocatur Nazareth. Quae quidem omnia non vacant mysteriis, divinis plena sunt sacramentis. Non enim sine causa divinus E v a n g e l i s t a tam accurate haec scripsit: *In mense... sexto... missus est Gabriel Angelus a Deo in civitatem Galilaeae, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen... Ioseph.* Mysteriis et sacramentis plena haec sunt.

25) Ct 6, 8. 26) Ibid. 6, 8-9. Vulg. loc.: *Beatam*, etc. habet: *Beatissimam praedicaverunt.*
27) Lc 1, 35. 27a) Io 3, 16. 28) Gal 4, 4.

In c i v i t a t e celebratum est hoc mysterium, non in solitudine, quoniam propter nos hodie et propter nostram salutem Unigenitus Filius Dei descendit de coelo, ut fieret concivis noster, homo factus similis nobis: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo... semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.*[29]

Quid Galilaea.

In G a l i l a e a vero, quae interpretatur *circulus, sphera, rota, revolutio,* quoniam vere hodie factus est circulus perfectus; Deus enim, auctor creationis, principium est, homo autem finis. Cum lineae, quae in seipsam ducitur, coniungitur finis principio, tunc factus est circulus. Hodie coniunctus est homo Deo; imo hodie a Deo inventa factaque est quadratura circuli, mathematicis nondum plene cognita. Deus nanque, ut T r i m e g i s t u s ait, sphera est intellectualis, cuius centrum ubique, sed circumferentia nusquam;[30] homo autem quadrata figura est, quaternario constat. Hodie per hypostaticam, ut aiunt, unionem et idiomatum communicationem, homo factus est aequalis Deo, et Deus homini.

Agit sol circulationem in coelo: *Exultavit... gigas ad currendam viam; a summo coelo egressio eius, et occursus eius usque ad summum eius;*[31] *Oritur sol et occidit, et ad locum suum revertitur, ibi... renascens;*[32] ita Christus hodie exivit a Patre et venit in mundum. Sed tamen: *Iterum relinquo mundum et vado ad Patrem.*[33] In Galilaea factus est homo, qui homo perfectus natura, gratia, gloria, deitate.

Quid Nazareth.

In N a z a r e t h autem, unde dictus est Nazarenus: *Hic est Iesus propheta a Nazareth Galilaeae.*[34] *Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum.*[35] Et Christiani dicebantur *Nazareni, secta Nazarenorum,* sicut in *Actis Apostolorum* legimus.[36] De Christo vero specialiter M a t t h a e u s docet quod descendit in civitatem suam Nazareth, quia scriptum est in prophetis quod *Nazaraeus vocabitur.*[37] Nam Ioseph, dilectissimus filius patriarchae Iacob, singularis figura et imago Christi, *Nazaraeus est appellatus.*[38] Similiter Samson in figuram Christi populi sui salvator, dictus est *Nazaraeus.*[39]

Erat autem sanctissima in Veteri Lege Nazaraeorum religio. Interpretatur autem N a z a r e t h *separatio, sanctitas, consecratio, corona.* Nazaraei qui Domino consecrabantur, separabantur a com-

29) Phil 2, 6-7. 30) Cf. *Pymand.* cp. 2, et cp. 13 circa finem. 31) Ps 18, 6-7.
32) Eccle 1, 5. 33) Io 16, 28. 34) Mt 21, 11. 35) Io 19, 19.
36) Act 24, 5. 37) Mt 2, 33. 38) Gn 49, 26. 39) Idc 13, 5.

muni usu vivendi, a vulgari hominum conversatione;[40] ad quod alludens, P a u l u s ait: *Talis... decebat ut esset nobis Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus et excelsior coelis factus;*[41] sic P a u l u s aperuit mysterium hoc civitatis Nazareth. Propterea vero celebratum est hoc mysterium in Galilaea et in Nazareth, quia ad hoc venit Christus in mundum, ut homines vere converteret ad Deum, ad suum utique principium, vereque sanctificaret, veros Nazaraeos efficeret: *Tradidit semetipsum pro nobis ut... mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.*[42] Celebratum in civitate quia venit *ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum,*[43] essetque sancta Ecclesia, vera Ierusalem, *quae aedificatur ut civitas, cuius participatio,* societas, civium collectio, *in idipsum,* unita in pace et civica caritate.[44]

Nec mysterio vacat quod *Angelus... missus est... ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo David;* sed ut matrimonium humanum imago esset divini, sicut P a u l u s dixit matrimonium Adami et Evae symbolum extitisse matrimonii Christi et Ecclesiae: *Sacramentum hoc magnum est... in Christo et... Ecclesia.*[45]

40) Cf. Nm 6, 1 sqq. 41) Hebr. 7, 26. Vulg. loc.: *Ut esset nobis*, habet: *Ut nobis esset.*
42) Tit 2, 14. 43) Io 11, 52. 44) Ps 121, 3. 45) Eph 5, 32.

SERMO NONUS

DE EXCELLENTI SUPER OMNIA VIRGINIS DEIPARAE MATRIMONIO

Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam, etc. [1]

I. Celebramus hodie divinum sponsalitium contractumque matrimonium, non quod Isaac, patriarcha sanctissimus, contraxit cum Rebecca, virgine pulcherrima atque sanctissima, Eliezer paranymphum agente, nam ad hoc missus in Mesopotamiam fuit, ut ageret paranymphum quaereretque Isaac uxorem; [2] nos celebramus hodie sponsalitium et matrimonium celebratum, mirabile dictu! inter vivum et verum « Deum Patrem omnipotentem, Creatorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium », [3] Deum infinitae maiestatis, et Virginem supersanctissimam Mariam, omnium pulcherrimam et gratiosissimam, Gabriele Archangelo, principe Angelorum, internuncio ac paranympho: *Missus est Angelus Gabriel a Deo... ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo David, et nomen Virginis Maria.* Bone Deus! Qualis sponsus! Qualis paranymphus! Qualis sponsa! Quale matrimonium! Qualis huius matrimonii fructus!

Celebratio matrimonii inter verum Deum et Mariam.

II. Nobile quidem fuit matrimonium celebratum in paradiso inter Adamum et Evam, mundi principes: *Dominamini piscibus maris,* [4] inter Abrahamum et Saram, inter Isaac et Rebeccam, inter Iacob et Rachelem, inter Ioseph et filiam Putipharis, inter Moysem

Matrimonium hoc excedit omnia matrimonia ob sponsum Deum.

1) Lc 1, 26-27. 2) Cf. Gn 24, 10 sqq. 3) Ex Symbol. Nicaeno. 4) Gn 1, 28.

et Sephoram, inter Booz et Ruth, David et Bethsabee, Salomonem et filiam regis Aegypti, Assuerum et Esther; haec nanque sunt celebriora matrimonia, quae in Divinis Litteris legimus; sed hodiernum hoc matrimonium infinitis partibus dignitate et nobilitate excedit omnia, sicut sol omnia astra. Deus nanque, cui hodie desponsatur Virgo Sanctissima, infinitis gradibus partibusque maior est Adamo, Abrahamo, Isaac, Iacob, Ioseph, Moyse, Booz, Davide, Salomone, Assuero, omnibus hominibus, omnibus Angelis, mundo universo, quoniam infinitae magnitudinis est, infinitae potentiae, sapientiae, bonitatis, gloriae, maiestatis.

Hinc in hodierno Evangelio Sponsus Altissimus appellatur: *Filius Altissimi vocabitur..., virtus Altissimi obumbrabit tibi,* [5] iuxta illud: *Quoniam tu Dominus Altissimus super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes deos:* [6] Altissimus sedens super solium excelsum et elevatum apud Isaiam; [7] quem in capite scalae coelestis vidit Iacob; [8] cui ministrabant omnes Angeli, et assistebant apud Danielem. [9] Nec tantum Altissimus, sed etiam Dominus Deus: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius.* [10] Dominus Deus, Dominus absolute, quoniam universorum est Dominus: *Tui sunt coeli et tua est terra;* [11] Dominus: *Rex regum et Dominus dominantium.* [12] Tandem omnipotens: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum:* [13] omnia ei possibilia sunt.

Matrimonium hoc excedit omnia alia ob paranymphum, summum Angelorum.

III. Sed qualis paranymphus? *Missus est Angelus Gabriel.* Angelus nobilissimus, Dei nuntius et legatus, qui Zachariae dixit: *Ego sum Gabriel qui asto ante Deum:* [14] qui Danieli revelavit praefixum tempus adventus Messiae, transactis septuaginta hebdomadibus; [15] nobilissimus Angelorum, qui *fortis Deus,* sive *vir Deus* interpretatur; paranymphus mittitur optimus, sapientissimus, elegantissimus, fidelissimus, princeps Angelorum, unicus Dei veluti cubicularius, secretarius, magister cubiculi: *Qui asto ante* Dominum.

Matrimonium hoc excedit omnia alia ob sponsam, Mariam.

IV. Sed qualis sponsa? *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus...,* [16] *invenisti gratiam apud* [17] Dominum.

5) Lc 1, 32-35. 6) Ps 96, 9. 7) Cf. 6, 1. 8) Cf. Gn 28, 12 sqq. 9) Cf. 7, 10. 10) Lc 1, 32. 11) Ps 88, 12. 12) Apc 19, 16. 13) Lc 1, 37. 14) Lc 1, 19. 15) Cf. Dn 9, 24 sqq. 16) Lc 1, 28. 17) Ibid. 1, 30.

Missus est ad Virginem nazarenam: *Et nomen Virginis Maria;* haec Eva innocens, Sara laudatissima, Rebecca pulcherrima, Rachel gratiosissima, Sponsa in *Canticis* [18] ad miraculum laudatissima, celebratissima, decantatissima. *Missus est ad Virginem* sanctam corpore et spiritu, qualis erat Eva in paradiso, cum Dei manu formata fuit; *ad Virginem* mirabilem, *desponsatam viro,* sicut Eva Adamo, quae quandiu in paradiso permansit, uxor fuit et virgo; *ad Virginem* nazarenam, separatam a mundo mente et spiritu; hinc domi sola reperitur: *Ingressus Angelus ad eam.* Virgo erat pudicissima, puritatis et sanctitatis amantissima. *Ave:* pax tibi; *gratia plena:* Virgo in oculis Dei pulcherrima, quae *invenisti gratiam apud* Dominum, sicut Noe vir iustus atque perfectus, sicut Moyses vir sanctissimus: Virgo gratiosissima, virtutibus et gratiis abunde instructissima et ornatissima. *Dominus tecum:* te Deus super omnia diligit, concupiscit Rex speciem tuam, qui est Dominus Deus tuus: [19] *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.* [20] *Benedicta tu inter mulieres:* [21] quae super omnes mulieres placuisti Deo, super omnes mulieres gratia et virtutibus donisque coelestibus a Deo cumulata, sicut sol super omnes stellas. *Dominus tecum:* te eligit in sponsam super omnes alias mulieres, quoniam super omnes alias gratiam apud Deum invenisti. Sic excellentissima est sponsa, cum qua contractum est hodiernum matrimonium.

Matrimonium hoc excedit omnia alia ob fructum: ira Dei placata, misericordia aedificata, paradisus voluptatis Dei creatus, Filius Dei conceptus.

V. Sed et fructus huius matrimonii divinissimus praedicitur: *Benedicta tu inter mulieres et benedictus fructus ventris tui... ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum, hic erit,* [22] etc. Praedicitur Christi nativitas, sicut nativitas Isaac, [23] Samsonis, [24] Salomonis, [25] et Cyri apud Isaiam, [26] quoniam ipse soluturus erat babylonicam captivitatem; sicut Samson nasci praedictus fuit, ut populum liberaret de manu Philisthinorum, qui populum gravissime vexabant et crudelissima tyrannide premebant et opprimebant. Fructus divini huius matrimonii excellentiam expressit Isaias, dicens: *Ecce Virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel.* Et iterum: *Vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis.* [27] Quis unquam talem vidit partum? Talem filium? Sed: *Sic Deus di-*

18) Cf. praesertim cpp. 4. 6. 7. 19) Alludit ad Ps 44, 12. 20) Ps 86, 2. 21) Lc 1, 42. 22) Lc 1, 42; 31-32. 23) Cf. Gn 17, 19. 24) Cf. Idc 13, 3-5. 25) Cf. 2 Rg 7, 12. 26) Cf. Is 44, 28. 27) 7, 14; 9, 6-7.

lexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret.[28] O infinitam Dei misericordiam et caritatem!

Ira Dei placata.

Proponitur in hodierno Evangelio salutis nostrae exordium, simile utique primis ordimentis perditionis humani generis. A muliere incoepit perditio, a muliere salus; per angelum malum perditio, per Angelum bonum salus. Sicut autem Angelus hic missus fuit a Deo, ita existimo serpentem illum, qui tentavit hominem, missum a satana, daemonum principe supremo, fuisse. Accensa tunc fuit ira Dei in humanum genus, hodie placata est: *Benedixisti, Domine, terram tuam, avertisti captivitatem Iacob; remisisti iniquitatem plebis tuae, operuisti omnia peccata eorum; mitigasti omnem iram tuam, avertisti ab ira indignationis tuae.*[29] Hodie divina misericordia et iustitia veluti conciliatae sunt. Iustitia nanque humani generis damnationem requirebat in poenam peccati, ut executioni daretur sententia contra hominem lata: *Morte morieris;*[30] misericordia autem, tanquam mater dulcissima, salutem hominis expetebat. A divina autem Sapientia hodie conciliatae sunt: *Misericordia et veritas obviaverunt sibi, iustitia et pax osculatae sunt. Veritas de terra orta est, et iustitia de coelo prospexit; etenim Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum.*[31] Decretum, inquit, fuit a divina Sapientia ut Deus fieret homo, qui tum divinae iustitiae pro peccato satisfaceret, tum divinae misericordiae pro salute generis humani. Veritas, quae Deus ipse est, unicus Filius Dei, de terra virgine orta est, coelesti tamen praeditus iustitia et sanctitate; quoniam naturam quidem assumpsit humanam: *Formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo:*[32] sed culpa et peccati maculam non accepit. Hinc: *Secundus homo de coelo coelestis.*[33] *Quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei.*[34]

Misericordia aedificata.

Nec tantum hodiernum mysterium manifestat Deum nobis placatum, sed infinitam eius erga humanum genus misericordiam: *Misericordias Domini in aeternum,* leholam, mundo *cantabo.*[35] Cantabo, inquit, misericordias Domini maximas exhibitas mundo: *Generationi et generationi annuntiabo* etiam *veritatem tuam* in persolvendis promissis. *Quoniam dixisti: Misericordia aedificabitur,* hebr. *mundus misericordia aedificabitur in ipsis coelis, veritatem* sive *fidem tuam firmasti.* Mundus, inquit, misericordia aedificatus fuit:

28) Io 3, 16. 29) Ps 84, 2-4. 30) Gn 2, 17. 31) Ps 84, 11-13. 32) Phil 2, 7. 33) 1 Cor 15, 47. 34) Lc 1, 35. 35) Ps 88, 2. Sequitur vr. 3.

Qui fecit coelos in intellectu, quoniam in aeternum misericordia eius; qui fundavit terram super aquas, quoniam in aeternum misericordia eius; qui fecit luminaria magna, quoniam in aeternum misericordia,[36] sive *mundo*, idest, humano generi, misericordia eius, bonitas, pietas, caritas eius. Sic ait quoniam misericordia mundus aedificabitur, reparabitur a ruina. In ipsis coelis firmasti veritatem tuam, ut promissiones tuas impleres: *Disposui testamentum electis meis, iuravi David servo meo,*[37] ecce promissiones, *usque in aeternum praeparabo semen tuum:* Christum, semen, filium Abraham et David; *et aedificabo in generationem et generationem sedem tuam:* solium regni. Et iterum: *Ponam in saeculum saeculi semen eius, et thronum eius sicut dies coeli;* ac tertio: *Semel iuravi in sancto meo,* per sanctitatem meam, *si David mentiar, semen eius in aeternum manebit, et thronus eius sicut sol in conspectu meo et sicut luna perfecta in aeternum et testis in coelo fidelis.* Sic hodie Angelus: *Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David, patris eius, et regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis.*[38]

Quod autem hic Angelus Deum altissimum appellat, unicum Dominum et omnipotentem, in psalmo declaratur et exponitur. Altitudo quidem: *Quoniam quis in nubibus aequabitur Domino? Similis erit Deo in filiis Dei?* Idest, principibus et Angelis. *Deus qui glorificatur in concilio sanctorum, magnus et terribilis super omnes qui in circuitu eius sunt.*[39] Potentia: *Domine Deus virtutum,* idest, exercituum, omnipotens, *quis similis* tui? *Potens es, Domine, et veritas... in circuitu tuo.*[40] Dominus: *Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas. Tui sunt coeli, et tua est terra; orbem* terrarum *et plenitudinem eius tu fundasti, aquilonem et mare tu creasti.*[41] Haec autem dicit ad declarandum quod Deus potens ad omnia servanda promissa, et manifestandam bonitatem Dei, qua praestare vult quaecumque Patriarchis unquam promisit, et quaecumque eius nomine Prophetae mundo promisere. Fidelissimus Deus est ac veracissimus in promissionibus suis. Promiserat mundo Messiam, unicum Filium suum se missurum humani generis redemptorem salvatoremque. Hodie divina hac promissa complevit, quod incomprehensibile videtur et ineffabile; unde ait: *Nunquid Sioni*

36) Ps 135, 5-7. Vulg. loc.: *Fundavit super.* etc., habet: *Firmavit.* etc. 37) Ps 88, 4. Sequuntur vrr. 5. 30. 36-38. 38) Lc 1, 32-33. 39) Ps 88, 7-8. 40) Ibid. vr. 9. 41) Ibid. vrr. 10. 12-13.

dicet homo: Homo natus est in ea, ipse qui *fundavit eam Altissimus?* [42] Num, inquit, tantum Verbi Incarnati mysterium verbis assequi poterit homo? *Dominus narrabit in scripturis populorum:* Deus ipse veritatem hanc hominibus persuadebit, maxime Electis, quos in libro suo describet, tanquam imperator exercitus milites describens. Narrabit, inquam, quod hic Deus et homo natus est ibi. Sic enim est in hebr.: *Zeh iulad scam.* Nec tantum Deus praedicavit mundo per Spiritum Sanctum Christi mirabilem nativitatem, sed etiam Angeli. Hinc ait: *Vescarim cheholelim, principes quasi choros ducentes,* ut patuit in Christi nativitate; quoniam alioquin credere non potuisset mundus tale tantumque mysterium, quod in homine omnis plenitudo Divinitatis inhabitaret. Et tamen, inquit, *omnes fontes mei in te:* omnes thesauri Divinitatis in Christo in Virginis utero hodie fuerunt repositi.

Paradisus voluptatis Dei creatus.

Inspiciendus est autem nobis finis hodierni huius sponsalitii et matrimonii, quam ob causam Deus Virginem sibi desponsavit. Angelus duas videtur assignare causas, dum ait ad Virginem: *Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum, ecce concipies et paries filium.* Duplici ex causa Deus, cum posuisset hominem in paradiso, sponsam ei formavit: ut mulier esset homini singularis hortus deliciarum, et ut filios generaret et procrearet. Sic hodie Deus Virginem Sanctissimam desponsavit, sibique matrimonio copulavit, quoniam eius veluti amore captus fuit, quoniam Virginis pulcritudo summopere ei placuit: *Ave, gratia plena... invenisti gratiam apud* Dominum; ut esset hortus deliciarum, paradisus voluptatis Dei, sicut in *Canticis* legimus: *Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus; emissiones tuae paradisus.* [43] Altera vero ut prolem ex ea susciperet; non est enim princeps qui non magno prolis desiderio teneatur, quem regni heredem instituat et relinquat; amor et desiderium prolis cogunt urgentque ad uxorem ducendam. Sic ait: *Invenisti... gratiam apud Deum, ecce concipies in utero et paries filium.*

Filius Dei conceptus.

Alludit Angelus ad vaticinium Isaiae: *Ecce Virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel.* Sed prius dixerat: *Ecce Dominus ipse dabit vobis signum,* idest, *miraculum;* [44] nam: *Novum creavit Dominus super terram, femina circumdabit virum.* [45] Miraculum! Nam vehementer obstupuit patriarcha Iacob,

42) Ps 86, 5. Vulg. habet: *Nunquid Sion dicet: Homo et homo,* etc. Sequuntur vrr. 6-7 partim ex textu hebr. 43) 4, 12-13. 44) 7, 14. 45) Jer 31, 22.

cum ei revelatum fuit mysterium Incarnationis: *Vere Dominus est in loco isto... Pavensque: Quam terribilis est, inquit, locus iste; non est hic aliud nisi domus Dei et porta coeli.*[46] *Dabit Dominus ipse vobis miraculum,* magnum utique, nam Paulus ait: *Sacramentum hoc magnum est;*[47] et alibi: *Certe magnum est pietatis sacramentum.*[48] Magnum respectu Dei, magnum respectu Christi, magnum respectu Virginis: *Ecce Virgo concipiet et pariet filium et vocabitur nomen eius Emmanuel;* ideo magnum quia Emmanuel, quia concipitur homo Deus, quo maius excogitari non potest, nec esse. Declaravit postea idem Vates quidnam sit Emmanuel, dicens: *Vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis; super solium David et super regnum eius..., ut confirmet illud... usque in aeternum; zelus Domini exercituum faciet hoc.* Vere zelus, nam: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret.* Ad vaticinium hoc alludens, Angelus dixit: *Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius, et regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis.*

46) Gn 28, 16-17. 47) Eph 5, 32. 48) 1 Tim 3, 16.

SERMO DECIMUS

DE MAGNITUDINE MYSTERII IN VIRGINIS DEIPARAE MATRIMONIO

Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam. [1]

Ab Angelo ostenditur mysterii magnitudo in matrimonio Virginis.

I. Sapiens, prudens, gratiosus, plane mirabilis paranymphus de coelo venit ad tractandum matrimonium inter Deum, Summum Regem coeli, et adolescentulam virginem ex clarissima stirpe serenissimi et sanctissimi regis David. Ad pertractandum tale tantumque negotium non homo, sed Angelus, imo summus princeps Angelorum mittitur; nam *magnum est pietatis sacramentum.* [2] Et quidem Angelus ipse ostendit hodie magnitudinem huius mysterii; nam loquitur de magnitudine Dei, qui harum nuptiarum sponsus est; de magnitudine Christi, qui fructus est; de magnitudine Mariae, quae sponsa est.

Ostenditur magnitudo sponsi.

II. De m a g n i t u d i n e, inquam, D e i qui Altissimus dicitur semel et iterum: *Filius Altissimi vocabitur... virtus Altissimi obumbrabit tibi.* [3] Virtus: potentia infinita: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum,* [4] qui non sine mysterio in hoc Evangelio per Ioseph, cui Virgo desponsata erat, designatur, nam Ioseph hebraice *excedens* sive *excessus interpretatur.* Si enim Deus cum magnitudine terrae comparetur, excedit; cum magnitudine maris, excedit; cum magnitudine coeli, excedit; cum magnitudine paradisi, excedit; cum

1) Lc 1, 26-27. 2) 1 Tim 3, 16. 3) Lc 1, 32. 35. 4) Ibid. 1, 37.

magnitudine hominum et Angelorum, excedit; cum magnitudine totius universi, excedit in infinitum: *Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes deos.*[5]

Ostenditur magnitudo fructus.

III. Loquitur de magnitudine Christi: *Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen... Iesum. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David, patris eius, et regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni... non erit finis;* itemque: *Quod... nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.*[6] Magnus quia Filius Dei, magnus quia Rex, sed aeternus summique valoris, quem Isaias appellavit Principem pacis, *ad multiplicandum imperium, et pacis non erit finis;* cum dixisset prius quod *factus est principatus super humerum eius,*[7] idest, natus est princeps, nascetur rex, imperator, sed augebit imperium suamque dominationem. Parva enim tunc erat Ecclesia, quae intra fines Iudaeae tantummodo angusto continebatur loco; per Christum autem regnum et imperium hoc longe lateque universum per orbem miraculo propagatum est. Sic ait: *Princeps pacis, ad multiplicandum imperium, et pacis non erit finis... super solium David... et super regnum eius.*[7]

Ostenditur magnitudo sponsae a generatione, honestate, virtute, nomine et dote.

IV. Ostendit etiam Angelus magnitudinem Mariae: *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu* inter mulieres,[7a] quia *concipies in utero et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum.* O mulierem vere magnam! *Beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen eius.*[8] Magna ostenditur ex generatione, quia ex stirpe regia David; magna ex honestate, quia virgo; magna ex virtute, quia gratia plena. Ipsum nomen Maria ostendit magnitudinem ipsius: *Nomen Virginis Maria;* quae quidem hebraice *myrrhae,* sive *odoris mare* interpretatur[9] ex phrasi qua Ieremias dixit: *Magna est velut mare contritio tua;*[10] et qua magnum illud vas aquarum in templo appellatum fuit mare a Salomone.[10a] Maria igitur mare est, sed myrrhae incorruptionis, sed odoris virtutis et sanctitatis angelicae, divinae. Sic per mare designatur magnitudo Mariae: *Omnia flumina intrant in mare, et mare non redundat,*[11] sic omnis gratia in Maria, et ipsa

Stirps, honestas virtus et nomen Deiparae.

5) Ps 96, 9. 6) Lc 1, 31-33. 35. 7) 9, 6-7. *Ad multiplicandum imperium,* ex hebr. 7a) Lc 1, 28. 31. 8) Ibid. 1, 48-49. 9) Ex verb. hebraicis: *Mór, myrrha* et *yâm, mare.* 10) Thren 2, 13. 10a) 2 Par 4, 2, in quibus locis in tex. hebr. est: *yâm.* 11) Eccle 1, 7.

humillima: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.*[12] Imo Maria mundus quidam magnus est, maior mundo hoc magno; hinc forte *halmah* dicitur quasi *mundus* « quia quem coeli capere non poterant tuo gremio contulisti ».[13] Templum Spiritus Sancti hodie ostenditur: *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Quis autem nescit quod Spiritus Sanctus verus est Deus?

Deiparae dos.

Dum tractantur sponsalia agitur de dote; magna nanque requiritur dos, ut sponsa magno principi desponsetur. Assuerus sine dote accepit Esther;[14] Iacob etiam sine dote accepit Rachelem, imo ipse potius eam quodammodo emit sibi in uxorem;[15] Abraham mittens Eliezer, procuratorem domus suae, ad quaerendam uxorem filio suo in Mesopotamiam, nolebat eam sine dote esse, sed ipse eam ditissime dotabat; hinc dicitur quod omnia bona domini sui erant in manu Eliezer.[16] O magnam dotem! Omnia bona sua obtulit Abraham in dotem sponsae unici filii sui. Sic hodie, dum Gabriel ait: *Spiritus Sanctus superveniet..., et virtus Altissimi obumbrabit tibi,* Spiritus Sanctus cum omni plenitudine gratiarum atque donorum datur Mariae in dotem, ut digna esset Sponsa Altissimi Dei omnipotentis. Poetis luna dicta est sponsa solis, sed ipse eam dotavit.

Gratiarum plenitudo in Maria.

Ave, gratia plena. De Rebecca, cum accepta fuit in uxorem magni patriarchae Isaac, nihil aliud legimus nisi quod *virgo* erat *pulcherrima et incognita viro;*[17] dotem nanque Abraham ipse dedit. Sic hodie de hac Sponsa Dei, ipsa divinitus dotatur atque ornatur: *Spiritus Sanctus superveniet in te;* hoc tantum legimus. Quod etiam de Esther, cum ab Assuero accepta in uxorem fuit, quod erat virgo pulcherrima;[18] sic: *Missus est Angelus Gabriel... ad Virginem,* sed pulcherrimam: *Ave, gratia plena... invenisti gratiam apud Deum.* Deus ipse, inquit, amore captus est gratiae et pulcritudinis tuae; gratia nanque pulcritudo et ornamentum est animae in oculis Dei: *Ave, gratia plena.* Sed pulcritudo vera in oculis Dei in virtute et sanctitate consistit: *Fallax gratia et vana est pulcritudo, mulier timens Dominum, ipsa laudabitur;*[19] *Ave, gratia plena..., benedicta tu in mulieribus;* plena gratia inter omnes sanctas animas sicut sol inter omnes stellas coeli, imo gratia plena super omnes Angelos. Sicut enim Maria sedens nunc ad dexteram Unigeniti Filii sui exaltata est

12) Lc 1, 38. 13) *Brev. Rom.* Com. Fest. B. M. V. 1 Resp. ad Mat.
14) Cf. Est 2, 15-18. 15) Cf. Gn 29, 15-20. 16) Cf. Gn 24, 10. 17) Gn 24, 16.
18) Cf. Est 2, 7. 19) Prv 31, 30.

super omnes Angelorum choros; sic gratia et sanctitate omnes excelluit, nam gratiae in via respondet gloria in patria. Quod si gratia pulcritudo est animi, qualis fuit pulcritudo Mariae, quae omnem Angelorum pulcritudinem superavit? *Invenisti gratiam apud* Dominum, sicut Esther apud Assuerum super omnes pulcras mulieres totius imperii sui: *Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te. Quam pulcra es et quam decora, carissima! Facies tua decora. Pulcherrima inter mulieres.*[20] Multis modis describitur in *Cantico Canticorum* pulcritudo Mariae super omnem pulcritudinem sanctarum animarum. Sic ait: *Ave, gratia plena..., benedicta* inter mulieres, supra omnes mulieres, supra Evam, Saram, Rebeccam, Rachelem, Liam, Mariam sororem Moysi, omnesque alias quas Scriptura commendat.

Omnes virtutes et Sp. S. dona in Virgine.

Ave, gratia plena. Gratia includit omnes virtutes, omnia bona Spiritus Sancti, excludit omne vitium, sicut perfecta lux omnes tenebras; sic *gratia plena,* numeris omnibus absoluta, virtutibus omnibus ornata. Sponsa hodie proponitur: *Ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph,* imo sponsa desponsata Deo. Si Assuerus copiosissime dedit Esther quaecumque ad ornatum pertinebant, ut ornari posset quemadmodum decebat reginam tanti regis, unicam et dilectissimam sponsam; quid existimandum est fecisse Deum cum Virgine Beatissima? Si tanta gratiae plenitudine donavit Ieremiam, ut dignus esset propheta Christi, Ioannem Baptistam, ut dignus esset praecursor Christi, Apostolos omnes, ut digni essent ministri Christi; quid existimandum est egisse in Virgine, ut digna esset Sponsa Dei, digna Mater Christi?

Angelus stupet altitudinem Deiparae.

Ave, gratia plena, Dominus tecum. Angelus, imo Archangelus Gabriel, princeps paradisi, haec dicens, miratur et stupet talem tantamque gratiae in Virgine plenitudinem, talem tantamque pulcritudinem spiritus. *Gratia plena, Dominus tecum.* Tecum Dominus magis quam nobiscum, te magis diligit quam nos: *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob,*[21] hoc est, civitatem Sion et Ierusalem magis dilexit Deus quam omnes alias civitates terrae promissionis ac mundi totius, quoniam in ea habitare voluit, eam ad inhabitandum elegit. Maria autem in *Canticis pulcra* dicitur et *decora sicut Ierusalem.*[22] Templum aedificari sibi voluit [Deus] in Ierusalem, in monte Moria.[23] Quis non videt hic Mariam, in cuius

20) Ct 4, 7; 7, 6; 2, 14; 1, 7. 21) Ps 86, 2. 22) 6, 3. 23) Cf. 2 Par 3, 1.

utero aedificatum est augustissimum Divinitatis templum? Hoc *autem* dixit *de templo corporis sui.*[24] *Erit... praeparatus mons domus Domini in vertice montium.*[25] *Fundamenta eius in montibus sanctis.*[26] O divinam altitudinem dignitatis Mariae super omnem electam creaturam!

Invenisti gratiam apud Dominum. *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob,* quoniam: *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.*[27] Obiectum amoris est bonitas et pulcritudo; quod pulcrius est, magis placet oculis, suavior harmonia aures magis delectat, sapor delicatior gustum magis afficit. *Ave, gratia plena, Dominus tecum.* Si crystallino vase clarissimo Deus solem circumdaret, sicut coelestis substantia circa solem purissima et clarissima est instar crystalli, vas illud plenum esset luce, sed omni luce solari; sic ait: *Gratia plena, Dominus tecum. Vere Dominus est in loco isto... hic... domus Dei est*[28] in qua inhabitavit hodie omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.[29] Statim ut erectum fuit tabernaculum Domini, sicut in *Exodo* legimus *capite ultimo,* impletum fuit gloria Domini;[30] cum etiam templum Salomonis dedicatum Deo fuit, statim descendit maiestas Domini, totumque implevit.[31] Maria autem verum tabernaculum Domini est verumque Dei templum, ideo *gratia plena, Dominus tecum.* Ipsa vero est novum vas sale plenum ad sanandas aquas Iericho;[32] vas plenum manna repositum in sanctuario Domini;[33] luna plena lumine: *Pulcra ut luna, electa ut sol;*[34] vellus Gedeonis plenum rore;[35] anima Salomonis divinitus plena coelesti sapientia,[36] nam Christus Dei virtus est Deique sapientia.[37]

Simile.

Ave, gratia plena, Dominus tecum. A fine sumitur ratio eorum quae sunt ad finem; sic vult Angelus ut ab hoc fine: *Dominus tecum,* intelligamus gratiae plenitudinem, sicut a fine sumitur ratio aedificiorum, civitatum, turrium, arcium, palatiorum, templorum. Ioannes in *Apocalypsi* ostendit nobis plenitudinem huius gratiae, dicens: *Signum magnum apparuit in coelo, mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim; et in utero habebat:*[38] ecce finis. Sed quidnam habebat in utero? *Peperit filium masculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea; et raptus*

Causa tantae altitudinis: Mater Dei.

24) Io 2, 21. 25) Is 2, 2. 26) Ps 86, 1. 27) Ps 86, 2-3.
28) Gn 28, 16-17. 29) Cf. Col 2, 9. 30) Cf. vr. 32. 31) Cf. 2 Par 7, 1-3.
32) Cf. 4 Rg 2, 19-22. 33) Cf. Ex 16, 32-34. 34) Ct 6, 9. 35) Cf. Idc 6, 37-38.
36) Cf. 2 Par 1, 12. 37) Cf. 1 Cor 1, 24. 38) 12, 1-2. Vulg. loc.: *Et in utero habebat,* habet: *Et in utero habens.*

est filius eius ad Deum et ad thronum eius.[38a] Hanc ob causam talibus tantisque splendoribus ornata, tali tantaque luce plena apparuit, quoniam talem tantumque filium *in utero habebat.* Sic apparuit Maria in mundo archetypo divinae praedestinationis; sic in mundo hoc omni nobilitatis genere ornata; sic in mundo ter sancto Ecclesiae; sic in mundo ter quaterque beato paradisi: *Mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim,* tanquam digna Mater Dei, quoniam *in utero habebat.* Sic *gratia plena, Dominus tecum,* sicut cum sol in nostro est hemisphaerio, luce totum replet; *Dominus tecum,* sicut in rubo qui ardebat et non comburebatur:[39] mater et virgo. *Ave, gratia plena.* Dicere videtur Angelus quod Virgo sit imago naturalis, viva, perfecta divinae sanctitatis et bonitatis, nam *Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae;*[40] sic: *Gratia plena: Macula non est in te.*[41]

38a) Ibid. 12, 5. 39) Cf. Ex 3, 1-6. 40) 1 Io 1, 5. 41) Ct 4, 7.

SERMO UNDECIMUS

DE INSIGNIBUS DEIPARAE DOTIBUS PRAESERTIM QUA VIRGINIS

Ingressus Angelus ad eam dixit: Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, etc. [1]

Archangeli legatio exordium reparationis nostrae.

I. Proponitur nobis in hodierno Evangelio principium ac veluti exordium reparationis et salutis nostrae, quod admussim respondet principio ruinae nostrae. A muliere per angelum malum, initium ruinae, et forte a diabolo ex inferno missus fuit pessimus daemon ad procurandam ruinam et perditionem nostram; a muliere sapientissima et sanctissima, initium salutis nostrae, sed per Angelum bonum missum a Deo e coelesti paradiso. Malus ille angelus venit in forma serpentis, quia venit ad nocendum; bonus iste Angelus venit in forma hominis, quia venit ad salutem hominis procurandam.

Magna legatio.

Missus est Angelus Gabriel a Deo... ad Virginem. O magnam legationem! In ea reperitur et cernitur omnis natura intellectu praedita: Deus, Angelus, homo: *Manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, vivificatum est in spiritu.* [2] Magnum mysterium, quia Deus, de quo legimus: *Magnus Dominus et laudabilis nimis,* [3] mittit Angelum, sed magnum, Gabrielem, principem Angelorum, magnum sanctissimae Trinitatis secretarium, qui Danieli secreta divini consilii revelavit, [4] mittit ad

1) Lc 1, 28. 2) 1 Tim 3, 16. Vulg. loc.: *Vivificatum*, habet: *Iustificatum*. 3) Ps 47, 2.
4) Cf. Dn 9. 20 sqq.

Virginem, sed magnam: *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.*

II. Multas magnas mulieres multis ex causis laudatas legimus in Sacris Litteris: aliquas ob pulcritudinem et gratiam, ut Sara,[5] Rebecca,[6] Rachel,[7] Bethsabee,[8] Esther;[9] alias ob prudentiam et sapientiam, ut Abigail, quae iram placavit Davidis,[10] mulier Thecuitis, quae Absalomum ab exilio revocavit,[11] sapiens mulier in civitate Abela, quae Sebam interficiendum curavit ob salutem civitatis;[12] aliae ob animi fortitudinem, ut Iahel[13] et Iudith;[14] aliae ob vitae sanctitatem et spiritum prophetiae, ut Debora prophetis,[15] Anna, mater Samuelis,[16] Olda prophetis, 4 Reg. 22[17] et 2 Paral. 34.[18] Sed haec mulier est omnibus numeris absoluta: *Gratia plena,* absque ullo vitio mentis et corporis; *benedicta tu in mulieribus,* Virgo purissima, qualis manu Domini formata fuit Eva in paradiso, sed nunquam a serpente decepta.

Mulieres in Scriptura celebratae, sed non ut Maria, virgo omnibus numeris absoluta.

III. Ante Mariam nulla legitur in Sacris Litteris virgo, nisi filia Iephthe, sed virgo tantum corpore, non mente; hinc multis diebus luxit virginitatem suam.[19] Sola Maria virgo integerrima mente et corpore, porta clausa apud Ezechielem: *Porta haec clausa erit, et non aperietur... quoniam, Dominus Deus ingressus est per eam; eritque clausa.*[20] *Hortus conclusus, fons signatus;*[21] sed bis dicitur *hortus conclusus,* ad designandam virginitatem carnis et spiritus. Hinc hebraice dicitur, *hahalmah, abscondita, occulta, minime revelata: Ecce Virgo concipiet et pariet filium;* sive, ut ex hebraico interpretari possumus: *Ecce Virgo concipiens et pariens filium.* O magnum miraculum! Virgo concipit, virgo parit: *Dabit Dominus ipse vobis signum,* idest, miraculum.[22] *Novum creavit Dominus super terram, femina circumdabit virum.*[23] O vere magnam, imo ter maximam mulierem!

Maria, virgo integerrima corpore et spiritu.

5) Cf. Gn 12, 10-12. 6) Ibid. 24, 16. 7) Ibid. 29, 17.
8) Cf. 2 Rg 11, 2. 9) Cf. Est 2, 7. 10) Cf. 1 Rg 25, 23 sqq. 11) Cf. 2 Rg 14, 1-22.
12) Cf. 2 Rg 20, 16-22. 13) Cf. Idc 4, 17-22. 14) Cf. Jdt 13, 1-2. 15) Cf. Idc 4, 1 sqq.
16) Cf. 1 Rg 2, 1 sqq. 17) Cf. vrr. 14-20. 18) Cf. vrr. 22-28. 19) Cf. Idc 11, 32-40.
20) 44, 2. 21) Ct 4, 12. 22) Is 7, 14. 23) Jer 31, 22.

Maria, virgo sine maledictione,

IV. *Gratia plena..., benedicta tu in mulieribus*, absque ulla penitus maledictione. In Divinis Litteris tum sterilis,[24] tum fecunda[25] in conceptu et in partu, maledicto erat obnoxia. Haec autem non potest esse maledicta ut sterilis, quia filium peperit, nec ut fecunda in conceptu vel partu, quia virgo est: sine peccato concepit, et sine dolore peperit.

omni laude donata,

Benedicta tu in mulieribus. Tu sola benedicta, tu sola omni laude digna: laude pulcritudinis, quia: *Invenisti gratiam apud* Dominum;[26] laude prudentiae: *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* laude sapientiae: *Cogitabat qualis esset ista salutatio;*[27] laude fidei: *Beata quae credidisti, quoniam perficientur in te, quae dicta sunt tibi a Domino;*[28] laude humilitatis: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum; Respexit humilitatem ancillae suae;*[29] laude perfectae sanctitatis: *Ave, gratia plena..., benedicta tu in mulieribus.*

ab omnibus

Benedicta tu in mulieribus. Benedicta a Deo, benedicta ab Angelis, benedicta ab hominibus: *Beatam me dicent omnes generationes.*[30] Benedicta et supra modum laudata in Sacris Litteris a Spiritu Sancto: *Multae filiae congregaverunt divitias, tu supergressa es universas. Fallax gratia et vana est pulcritudo, mulier timens Dominum, ipsa laudabitur.*[31] *Sexaginta sunt reginae...*, sed *una est columba mea,... Viderunt eam filiae et beatam dixerunt, reginae et concubinae... laudaverunt eam*, dicentes: *Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens, pulcra ut luna*, etc.[32] *Filiae regum in honore tuo; astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate. Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum et domum patris tui; et concupiscet rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabis eum. Omnis gloria eius filiae regis ab intus in fimbriis aureis circumamicta varietate. Adducentur regi virgines post eam,*[33] sicut innumerae virgines Assuero, sed omnes post Esther, quoniam ipsa prae omnibus placuit regi.[34]

et quoad omnia.

Admiratur Regius Vates d i g n i t a t e m, o r n a t u m, p u l c r i t u d i n e m et d e c o r e m Virginis divinissimae: d i g n i t a t e m, quoniam filiam regis et reginam eam appellat, cui multae regum filiae veniunt, eamque sequuntur; o r n a t u m: *In vestitu*

24) Cf. Lc 1, 25; Is 4, 1. 25) Cf. Gn 3, 16. 26) Lc 1, 30. sq. 34. 27) Ibid. 1, 29. 28) Ibid. 1, 45. 29) Ibid. 1, 38. 48. 30) Ibid. 1, 28. 31) Prv 31, 29-30. 32) Ct 6, 7-9. Vulg. loc.: *Beatum dixerunt*, habet: *Beatissimam praedicaverunt.* 33) Ps 44, 10-15. Vulg. loc.: *Adorabis* (hebr.). et: *Varietate.* habet: *Adorabunt* et: *Varietatibus.* 34) Cf. Est 2, 17.

deaurato, circumdata varietate..., in fimbriis aureis circumamicta varietate; pulcritudinem: *Concupiscet rex decorem tuum. Invenisti gratiam apud Dominum.* Hinc hortatur eam ut divino paranympho fidem adhibeat, Deoque praebeat assensum, oblita populi sui ac domus patris sui, quoniam divinum hoc matrimonium consummandum erat sine virginitatis detrimento, sed Spiritus Sancti opera, sicut Angelus ait: *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideo... quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.*[35] Obliviscere ergo populi tui et domus patris tui; ne dicas: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?*[36] Erit enim generatio haec supernaturalis et divina.

V. Mirabile mysterium celebratur hodie: contractus matrimonii inter Deum et Mariam Virginem per internuncium ac paranymphum Archangelum Gabrielem. Iacob patriarcha captus fuit amore Rachelis, eamque petiit in uxorem.[37] Hodie autem Deus amore captus est Virginis: *Concupiscet rex decorem tuum. Invenisti gratiam apud* Dominum, quia *gratia plena.* Sicut Esther invenit gratiam in oculis regis Assueri, ita tu in oculis Domini: *Ave, gratia plena.* Nec tantum contraxit hodie Deus matrimonium cum Maria, sed etiam consummavit, et Spiritus Sancti opera fecundam reddidit, hodieque Christus, Unigenitus Filius Dei in utero Virginis conceptus est, Deus verus humanatus, et homo vere deificatus, Deus humilis et homo sublimis, super omnes Angelos factus.

Maria, virgo a Deo concupita.

In hodierno Evangelio de Virgine Sanctissima quatuor demonstrantur: magnus erga ipsam Dei amor, magnus honor, magnus favor et magna laus. Magnus amor qualis fuit Iacobi erga Rachelem, Assueri erga Esther; Deus enim Virginis huius captus amore, eam hodie requirit in sponsam, paranympho usus et pronubo Gabriele. Magnus honor, quia honestissimam ad ipsam legationem mittit de coelo, maximum summumque Angelorum, Gabrielem Archangelum. Magnus favor, quia divinitus evecta est hodie Maria ad summum altissimumque dignitatis gradum, effecta Mater Dei. Tandem magna laus: *Ave, gratia plena. Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.*

Dei amor, honor, favor, laus erga Virginem.

35) Lc 1, 35. 36) Ibid. 1, 34. 37) Cf. Gn 29, 17-20.

SERMO DUODECIMUS

DE INSIGNIBUS DEIPARAE DOTIBUS PRAESERTIM QUA SPONSAE

Missus est Angelus Gabriel a Deo.[1]

Cum laetitia celebrandum festum annunciationis, quia causa salutis aeternae.

I. Sicut missus fuit Eliezer a patriarcha Abrahamo, ut tanquam paranymphus tractaret coniugium inter Isaac filium dilectissimum et Rebeccam virginem pulcherrimam, sic enim de ea legitur, quod *virgo* erat *pulcherrima et incognita viro;*[2] ita plane hodie. Magnum festum celebramus hodie, omni exultatione dignissimum, ita ut possimus dicere: *Haec dies quam fecit Dominus, exultemus et laetemur in ea.*[3] Sicut infaustissimus et funestissimus fuit[3a] humano generi dies ille quo daemon a principe daemonum missus ad Evam primam mulierem, omnium matrem, et cum ea colloquia miscens, eam seduxit et persuasit ut contra Dei iussa lignum vetitum adiret, et de fructibus eius aspectu pulcherrimis gustaret,[4] quae causa perditionis humano generi fuit; ita faustissimus et felicissimus censendus hic dies est quo Gabriel Angelus missus a Deo, Angelorum Rege, ad Virginem Sanctissimam, suasit ei ut lignum vitae acceptaret; causa enim fuit salutis aeternae universo mundo. Sic communibus votis celebrandum hoc festum est, in quo pro salute omnium celebratum est divinae Incarnationis sacramentum.

Hoc est festum Dei Patris, Christi et Mariae.

II. Singulariter tamen hodiernum hoc festum Dei Patris est, quia factus est sponsus; Christi est, quia conceptus est opera Spiritus

1) Lc 1, 26. 2) Cf. Gn 24, 1 sqq. 3) Ps 117, 24. 3a) Ms.: *Fui.* 4) Cf. Gn 3, 1 sqq.

Sancti; Mariae Virginis est, quia facta est sponsa et mater, Sponsa Dei et Mater Christi; hinc Evangelium hoc plenum laudibus Dei, laudibus Christi, laudibus Mariae. Laudibus Dei, quod sit Dominus Angelorum: *Missus est Gabriel Angelus a Deo;* quod sit Dominus absolutus rerum omnium: *Dominus tecum;* quod sit altissimae dignitatis: *Hic erit magnus et filius Altissimi vocabitur..., virtus Altissimi obumbrabit tibi;* quod sit Dator regnorum: *Dabit illi Dominus Deus sedem David, patris eius, et regnabit in domo Iacob in aeternum;* quod sit infinitae virtutis: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* [5]

De qualitatibus Sponsae, praesertim de gratiae plenitudine.

III. Sed singulariter agitur de laudibus Virginis, quae in sponsam requiritur. Assignantur autem Sponsi qualitates, ut inde dignoscatur ad quem honoris et dignitatis gradum sublimata sit Virgo. Sponsae igitur hic multae assignantur qualitates: nomen ipsius: *Nomen Virginis Maria;* [6] familia, generis nobilitas, quia de domo David erat sicut et Ioseph, cui desponsata erat; patria: *Missus... in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth.*

Singulariter autem tria sunt, quae vel maxime desiderantur in sponsa: honoris integritas, pulcritudo et magna dos. Omnia hic reperiuntur: *Missus est Angelus... ad Virginem. Ecce Virgo concipiet et pariet filium.* [7] Virgo abscondita, omnino incognita viro; virgo non solum aetate, verum etiam integritate; virgo *sancta corpore et spiritu;* [8] virgo quae hebraice dicitur *hahalmah,* unde *holam mundus:* nam ipsa alter est mundus, non quidem parvus, sed mundus capiens M u n d u m t e r m a x i m u m: « Quem coeli coelorum capere non poterant, tuo gremio contulisti ». [9] Quod autem spectat ad pulcritudinem et dotem, ait: *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Gratia plena... invenisti gratiam apud Deum,* [10] Deo summopere placuisti, Deo nil pulcrius visum est in coelo ed in terra. *Gratia plena, Dominus tecum,* Deus gratia et pulcritudine tua captus est. Sicut magnes ferrum trahit, ita gratia et pulcritudo tua Deum traxit ad te de paradiso. Sicut Iacob captus fuit amore Rachelis, [11] David Bethsabee, [12] Assuerus Esther, [13] Adam Evae, [14] ita Deus tui amore captus est.

Sententia Divi Athanasii.

Gratia plena, graece *checharitomeni, gratiosa.* A t h a n a s i u s *De Sanctissima Deipara,* ait quod « Spiritus Sanctus descendit in Vir-

5) Lc 1, 28. 32. 35. 37. 6) Ibid. 1, 27. 7) Is 7, 14. 8) 1 Cor 7, 34.
9) *Brev. Rom.* Com. Fest. B. M. V. 1 Resp. ad Mat. 10) Lc 1, 30. 11) Cf. Gn 29, 15 sqq.
12) Cf. 2 Rg 11, 2 sqq. 13) Cf. Est 2, 16 sqq. 14) Cf. Gn 2, 21.

ginem cum omnibus virtutibus suis essentialibus, imbuens Virginem gratia, ut in omnibus gratiosa esset; et idcirco *gratia plena* cognominata est, eo quod adimpletione Spiritus Sancti omnibus gratiis abundaret, et per omnia tempora ».[15] Spiritus itaque Sanctus Virginem Sanctissimam amavit, ditavit atque dotavit omni plenitudine gratiarum, ut digna esset Sponsa Dei. Sic ornatam atque ditatam legimus in *Apocalypsi: Signum magnum apparuit in coelo, mulier amicta sole,*[16] hoc est, *gratia plena; Pulcra ut luna, electa ut sol,*[17] gratia ipsius lux solaris est infinitis pene gradibus excedens aliorum siderum lumina. Sic: *Benedicta tu in mulieribus*, idest, super omnes mulieres divinis gratiis ditata: *Multae filiae congregaverunt divitias, tu supergressa es universas. Fallax gratia*, etc.[18]

Ut digna esset Sponsa Dei omnipotentis, Regis infinitae maiestatis, magna et inaestimabili dote opus erat. Spiritus autem Sanctus, cum eam dotandam susceperit, infinitis coelestium gratiarum thesauris eam dotavit, sicut Abraham omnibus bonis suis Rebeccam dotavit,[19] ut digna esset sponsa Isaac, quem maxime diligebat. Hinc sole, luna et stellis ornatam eam legimus, omnibus plane coelestibus divitiis ditatam.

15) Orat. *In Annunc. Deip.* n. 9. (P. G. 28, 339). Ad sensum. Spuria. 16) Apc 12, 1.
17) Ct 6, 9. 18) Prv 31, 29. 19) Cf. Gn 24, 53.

SERMO DECIMUS TERTIUS

DE INSIGNIBUS DEIPARAE DOTIBUS QUA VIRGINIS SPONSAE ET MATRIS

Missus est Angelus Gabriel a Deo. etc. [1]

I. Cum multa sint hodierni Evangelii, nec possimus omnia prosequi, attingemus nonnulla, praecipue vero quae ad Virginem Deiparam spectant; de qua tria ostenduntur: primum, quod virgo sit: *Missus est Angelus Gabriel a Deo ... ad Virginem;* secundum, quod sponsa: *Desponsatam viro;* hodie vero facta est et legitima sponsa Dei; tertium, quod mater Unigeniti Filii Dei: *Quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei.* [2]

In Evangelio Annunciationis Deipara ostenditur virgo, sponsa, mater.

II. Primum, inquam, virgo proponitur, qualis a Deo prima mulier condita fuit, mente et corpore. Sed virginem hanc hodie non daemon alloquitur ad seducendam eam in perniciem et ruinam totius humani generis, sed coelestis Angelus pro reparatione et salute mundi totius. Virgo in oculis mundi pauper et humilis, sed in oculis Dei dives et sublimis. Virgo in primis ostenditur natura et virtute, corpore et spiritu, qualem ante ipsam nullam legimus in Scripturis, sed tantum de Maria sorore Moysi opinio est. [3] Virgo spiritu et animo, quoniam in matrimonio virginitatem servabat. Mirabilis plane virginitas! Hinc ait ipsa ad Angelum: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* [4] Hoc est: Non possum cognoscere virum, veluti si abstemius dicat: Non bibo vinum.

Deipara proponitur virgo purissima corpore et spiritu.

1) Lc 1, 26. 2) Ibid. 1, 35. 3) Cf. Ioseph Perin in *Onomastico* sub *Mariae* verbo.
4) Lc 1, 34.

Impotentia ex natura, ex praecepto, ex voluntate.

Nec loquitur de naturali impotentia, qualis est in puellis in praematura aetate ante pubertatem, sed de morali, qua dicimus non posse facere quod non licet; nam quod spectat ad naturalem potentiam, iam erat nubilis, imo iam nupta, iam desponsata viro. Nec loquitur de morali impotentia ex praecepto legis, secundum quam dicitur quod Iudaeus non poterat adorare idola,[5] ducere uxorem gentilem,[6] manducare carnes porcinas[7] et alia id genus, nam in lege nullum reperitur servandae virginitatis praeceptum; sed impotentia haec voto. Sicut Nazaraeus, emisso voto, non poterat bibere vinum,[8] sicut nunc Cartusianus dicit non posse comedere[8a] carnes,[9] Franciscanus non posse percipere et contrectare pecuniam,[10] quod monachus non potest ducere uxorem, utique propter solemne castitatis votum; ita Virgo ait se non posse cognoscere virum. Sic manifeste ostendit se virginem esse sanctam corpore et spiritu.

Simile.

Calvini blasphemia.

Calvinus ait « Virginem nupsisse more aliarum puellarum, alioquin lusisset maritum, et sanctum matrimonii foedus, non sine Dei ludibrio, sprevisset, fuissetque magna perfidia reprehensione digna »[11] Magnus zelator sancti coniugii Calvinus, sed ut sacrum coelibatum evertat, ut virginitatis cultum radicitus evellat. Sed, si nupserat more aliarum puellarum ut viri frueretur amplexibus et mater fieret, quid est quod nuncianti Angelo quod conceptura ac paritura filium erat, respondit: *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?*[12] Quomodo miratur, audiens se concepturam et parituram? Quomodo respondet Angelus ipsam absque virginitatis iactura concepturam parituramque: *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; quod* enim *ex te nascetur*, sive ut graece est, *generabitur sanctum*, idest, summa cum puritate, *vocabitur Filius Dei?*[12a]

Sententia Patrum.

Sic Sancti Patres uno ore affirmant Virginem Deiparam virginitatis votum emisisse, suamque perpetuam virginitatem Deo consecrasse; ita Anselmus,[13] ita Bernardus,[14] ita Augustinus, *De Sancta Virginitate*,[15] ita Gregorius Nazianzenus,[16] ita omnes theologi. Sed Centuriatores dicunt ineptire Augustinum, dum asserit votum virginitatis in Deipa-

Impietas Centuriatorum et Calvini.

5) Dt 6, 14 et alibi. 6) Cf. Dt 7, 3; 1 Esr 9, 12 et alibi. 7) Cf. Nm 11, 7. 8) Cf. Nm 6, 3. 8a) Ms.: *Comede*. 9) Cf. Dionys. Cartus. Tom. 38, pag. 415, lit. A. 10) Cf. Regul. Franc. cpp. 4 et 6. 11) *Harmon. Evang.* Lc 1, 34, vol. 6. 12) Lc 1, 34. 12a) Ibid. 1, 35. 13) *De Humanitate Christi*, circa principium. (P. L. 158, 217). 14) *Homil. 4. super Missus est* n. 3. (P. L. 183. 750). 15) Cp. 4. (P. L. 40, 398). 16) Orat. *In Theophania*, n. 13. (P. G. 36, 671) et alibi, in quibus tamen locis nisi implicite de voto loquitur.

ra; [17] cum tamen ipsi impie et perquam inerudite Deiparam summa iniuria virginitate privent, sicut et gratiae plenitudine et innocentiae puritate. Nam cum alibi Calvinus, tum etiam hic docet peccasse Virginem, dum ait: *Quomodo fiet istud?* Sicut peccavit Zacharias, cum ait: *Unde hoc sciam?* [18]

Responsio.

Et tamen cum ille ab Angelo manifeste coargutus sit incredulitatis, imo etiam punitus privatione loquelae, [19] Virgo adeo non fuit ab Angelo correpta, quin etiam paulo post a Spiritu Sancto per Elisabetham laudata: *Beata quae credidisti, quoniam perficientur in te quae*, etc. [20] Quomodo ergo vera dicit Calvinus si, ut manifestum est, Spiritui veritatis contradicit? Ipse enim Virginem incredulitatis accusat, cum tamen Spiritus Sanctus fidem eius celebret et laudet. Primus ergo titulus Deiparae in hodierno Evangelio est titulus verae virginitatis.

Deipara proponitur virgo singulari honore singularique laude et amore aucta.

III. Virgo proponitur sed singularis, virgo honestissima atque purissima, quae virginitatem veluti maternitati Dei praetulit, virgo a Deo honoratissima et laudatissima. Honoratissima, ut patet ex legatione: *Missus est Angelus Gabriel a Deo... ad Virginem.* Summus Princeps, *Rex regum et Dominus dominantium,* [21] Deus, qui universae creaturae Dominus est absolutissimus, quemadmodum ipsa etiam Virgo agnovit hodie, cum ait: *Ecce ancilla Domini* [22] et postea in suo Cantico: *Magnificat anima mea Dominum,* [23] mittit ad eam legatum Angelum, non qualemcumque, sed summum Angelorum principem, Gabrielem; sic Virgo Deipara et nobilissima ostenditur et a Deo honoratissima. Itemque laudatissima: *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* [24] Ac tandem dilectissima: *Invenisti gratiam apud Dominum.* [25]

Gratia plena, idest, Spiritu Sancto plena, virtutibus omnibus et donis ac charismatibus Sancti Spiritus plena, sicut Christus dicitur gratia plenus; [26] sed Christus ut sol, Maria ut luna, Christus ut fons, Maria ut fluvius a fonte, ceteri Sancti ut rivuli. Sic fluvius egrediebatur a fonte paradisi, et inde in plura capita dividebatur. [27]

Dominus tecum, qui in mundo est omnia implens, qui in Ecclesia, qui in paradiso: in Ecclesia cum Sanctis, in paradiso cum An-

17) Cf. Lib. 1, ep. 11. 18) Cf. *Harmon. Evang.* Lc 1, 18, vol. 6. 19) Cf. Lc 1, 20.
20) Ibid. 1, 45. 21) 1 Tim 6, 15. et Apc 19, 16. 22) Lc 1, 38. 23) Ibid. 1, 46.
24) Ibid. 1, 28. 25) Ibid. 1, 30. 26) Cf. Io 1, 14. 27) Cf. Gn 2, 10.

gelis; *tecum* singulariter est, et esse vult, quoniam: *Benedicta tu inter mulieres*, idest, super omnes mulieres, sicut in *Canticis pulcherrima mulierum* appellatur, facta comparatione cum reginis, etc.,[28] dilecta a Deo, grataque es Deo super omnes creaturas. Sicut Christus dicitur *speciosus forma prae filiis hominum*,[29] et tamen etiam Angelis pulcrior intelligitur: *In quem desiderant Angeli prospicere;*[30] ita Virgo, ad servandum sermonis et comparationis decorem, mulier cum mulieribus comparatur, mulier enim pulcherrima, sapientissima, honestissima mulierum dicitur, non virorum.

Simile.

Invenisti gratiam apud Deum, te maxime omnium diligit Deus; maximum erga Virginem Deus amorem ostendit. Veluti princeps dum pulcherrimam aliquam puellam adoptat in filiam, deinde tanquam dilectissimam filiam satagit principi honestissimo optimoque in matrimonium dare, ac tandem filium ipsius pro sua virili honorare et magnificare; sic hodie Maria, summi Dei filia, facta est Spiritus Sancti sponsa: *Spiritus Sanctus superveniet in te*, fungetur tecum viri officio, ipse vir tuus erit; et tandem filium parit, quem Deus[30a] summopere magnifacit: *Hic erit magnus*, etc.

Deipara proponitur sponsa et mater, singulari exaltatione, virtute fortunaque admiranda.

IV. Hinc intelliguntur duo alii illustres tituli Virginis huius Sacratissimae, cum sponsa dicitur et mater. Sponsa cuius? Dei. Mater cuius? Dei. Vera Sponsa et vera Mater Dei. Videmus autem in Virgine hodie praeter summam dignitatem, qua maior in pura creatura reperiri non potest, praeterquam summam auctoritatem; summam etiam modestiam et humilitatem, nam nonnisi ancilla Dei se agnoscit, et confitetur: *Ecce ancilla Domini*, etc.

Ingressus Angelus ad eam, dixit: Ave, gratia plena, Dominus tecum. Mittitur hodie a Deo ad Virginem legatus e coelo divinusque orator Gabriel, qui in sua oratione tres cum primis personas laudat:

Laudes Dei.

personam Virginis: *Ave, gratia plena:* personam Dei Patris: *Dominus tecum.* Quis est iste Dominus? Altissimus Deus: *Invenisti gratiam apud Deum... virtus Altissimi obumbrabit tibi;* Summus Imperator: *Rex regum et Dominus dominantium;* qui dat regna: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris sui, et regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis;*[31] Deus verus, cui omnia possibilia sunt: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum;*[32]

28) Cf. 5, 17 et 6, 7 sqq. 29) Ps 44, 3. 30) 1 Petr 1, 12. 30*a*) Ms.: *Deum*.
31) Lc 1, 32-33. 32) Ibid. 1, 37.

qui potest miracula operari, qui potest virgini, sicut et sterili potuit, dare fecunditatem: *Ecce Elisabeth cognata tua et ipsa concepit filium in senectute sua;* [33] Deus qui totus sanctus est: *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi.* Laudatur etiam persona Filii: *Concipies... et paries Filium; Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur;* itemque: *Regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis.* **Laudes Christi.**

Laudes Virginis. Sed quidquid dicitur in laudem Dei et in laudem Christi, totum resultat in laudem Virginis, quoniam hodie facta est Sponsa tanti Dei, tanti Regis, et Mater naturalis et vera tanti Principis. Ostendit autem hodiernum mysterium quod Beatissima Virgo a Deo sit supra modum amata: « Concupivit Rex speciem tuam »; [34] honorata, quia misit ad eam honestissimam legationem: *Missus est Angelus Gabriel a Deo:* laudata: *Ave, gratia plena;* et tandem honore et dignitate summa exaltata, quia Dei Sponsa et Mater facta.

Virtutes Deiparae. De virgine nubili in sponsalitio duo praedicari solent: virtus et fortuna. Virtus quidem cum primis honestas, prudentia, modestia atque devotio pietasque; beatus praedicari potest vir ille cui talem contigit Dei dono accipere uxorem. De Virgine Beatissima haec omnia in hodierno Evangelio dicuntur: honestas: *Missus est Angelus... ad virginem; Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* voverat Deo virginitatem suam, et pluris fecit virginitatem; prudentia, nam: *Cogitabat qualis esset ista salutatio;* et: *Quomodo fiet istud?* modestia: *Ecce ancilla Domini;* electa in Sponsam Matremque, ipsa se dicit ancillam, sicut Abigail se dixit ancillam David, cum ab eo requireretur in uxorem; tandem devotio: *Ecce,* inquit, *ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum:* promptissimam se exhibet ad obsequendum et morem gerendum divinae voluntati.

Fortuna Deiparae. Praedicari solet fortuna, si contingat puellae desponsari viro optimo, nobilissimo, ditissimo et bonis omnibus fortunae locupletissimo, sicut Esther nupta fuit regi Assuero, cum esset loco valde humili nata. [35] Sed fortuna Beatissimae Virginis tanto excedit omnem aliam fortunam, quanto Deus omnes homines. In speciali autem laude Virginis tria dicuntur ab Angelo: quod sit *gratia plena,* hoc est, sanctissima et ob spiritualem pulcritudinem Deo gratissima, acceptissima: *Invenisti enim gratiam apud Deum,* itemque: *Dominus tecum;* quod sit a Deo amatissima, dilectissima; quod *benedicta*

33) Ibid. 1, 36. 34) *Brev. Rom.* in Offic. Com. Virg. ad Mat. 1 Resp. 35) Cf. Est 2, 1-18.

inter mulieres, hoc est, divinis favoribus et donis cumulatissima: *Ave, gratia plena.* Sicut Christus pro se et pro nobis plenus gratia fuit: *De plenitudine eius nos omnes accepimus;*[36] ita Virgo Beatissima plena gratia divina pro se et pro nobis, sicut luna plena, sicut sol ad illuminandum universum mundum.

Simile.

Ipsa nanque fons ille est qui ascendebat de terra ad irrigandam universam superficiem terrae, fons perennis et inexsiccabilis et longe copiosissimus;[37] magnus ille fons in templo Domini apud Ezechielem, ex quo fluvius adeo magnus scaturiebat et adeo latus, ut transvadari nullo modo posset;[38] magnus fluvius aquarum fluxit e petra in deserto; tam magna scatebat, ut sufficeret infinitae prope hominum et iumentorum multitudini;[39] sed hic fons tam copiosus est, ut possit irrigare universam superficiem terrae, sicut sol fons luminis est, potens universum mundum illuminare.

Deipara sol, luna, stella.

Est autem res mirabilis quod Virgo Beatissima non tantum sol, verum etiam luna et stella in Sacris Litteris est nuncupata: *Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol?*[40] *Thronus eius sicut sol in conspectu meo, et luna perfecta in aeternum, et testis in coelo fidelis;*[41] sic apparuit Ioanni *amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim,*[42] ut possit mundum gratiae suae splendoribus perpetuo ditare. Sol enim illuminat quidem mundum totum, sed non simul eodem tempore, illuminat enim per diem, non per noctem; luna similiter illuminat totum mundum, sed per noctem, non per diem. Maria est et sol et luna et stella, quae in crepuscolo diei et noctis splendet, quia nos omnes et omni tempore ac loco potest illuminare.

Deipara proponitur sponsa et mater simillima Deo.

V. *Ave, gratia plena.* Est autem gratia, quae hominem Deo similem facit,[43] sicut lux lunam reddit similem soli. Est autem magna res similitudo Dei, hominem esse similem Deo; Deus enim infinita maiestas est, infinita dignitas cum infinita auctoritate et potentia, infinita item sapientia cum infinita bonitate, clementia et liberalitate; nihilque est quod in mundo magis desideret homo quam divinam hanc similitudinem. Hinc tantopere, natura ipsa impellente, summas maximasque desideramus dignitates divitiasque cum summa vo-

36) Io 1, 16. 37) Cf. Gn 2, 6. 38) Cf. 47, 1-5. 39) Cf. Ex 17, 1-6. 40) Ct 6, 9. 41) Ps 88, 38. 42) Apc 12, 1. 43) Cf. D. Basil. *De Spirit. S.* cp. 9., n. 23. (P. G. 32, 20) et Cyrill. Alex. *Thes. Ass.* 32. (P. G. 75, 330-331).

luptate. Creatus quidem fuit homo Deo similis in summa dignitate auctoritateque, mundi princeps constitutus, scientia, sapientiaque cum naturalium, tum etiam supernaturalium, praeditus, innocentia, sanctitate et puritate refertus; sed concupivit Deo longe similior esse: *Eritis sicut dii scientes bonum et malum.*[44]

Omnes creaturae aliquam referunt Dei similitudinem vel umbram; quae autem maiores et digniores sunt, multo maiorem; hinc homo princeps creaturarum visibilium dictus, est factus ad similitudinem Dei.[45] Sic principes regesque Deum repraesentant, maxime vero supremus omnium politicorum principum imperator. Sic in Ecclesia omnes Episcopi, sed cum primis Summus Pontifex Christum Deum et Dominum nostrum repraesentat. **De variis similitudinis cum Deo gradibus.**

In Sacris Litteris legimus aliquas particulares Dei imagines post Adamum in statu innocentiae, qualis fuit Moyses, qui dictus fuit deus: *Constitui te deum Pharaonis,*[46] nam a Deo constitutus fuit princeps populi non modo politicus, verum etiam ecclesiasticus, summus sacerdos, hierarcha atque monarcha;[47] et praeterquam quod princeps fuit tam magnus, utraque auctoritate praeditus et summa etiam sapientia,[48] sanctitate et pietate instructus, ita ut cum Deo tanquam amicus cum amico conversaretur;[49] habuit etiam insuper divinam potestatem faciendi miracula, quae solus Deus posset;[50] sic factus fuit Deo simillimus. Petrus etiam singularis quaedam Dei imago fuit, plenus Spiritu Sancto,[51] factus summus hierarcha Ecclesiae[52] cum divina potestate faciendi miracula, ita ut umbra eius curaret morbos incurabiles.[53] Ita nonnulli alii, speciali Dei gratia pleni, facti sunt Dei imagines singulares ceteris multo excellentiores similioresque. Sed Virgo Beatissima dicitur singulariter *gratia plena,* omnibus Dei donis referta, veluti coelestis quaedam verissimaque Pandora,[54] Deo similis, qui est omne bonum. Omnes illi viri Deo tam similes non fuerunt nisi servi Dei, Angeli ipsi omnes nonnisi ministri Dei sunt; haec autem Sponsa Dei, Socia Dei, vera Mater Dei, tanto melior Angelis effecta, quanto differentius prae illis nomen hereditavit.[55] **Simile: Moyses et Petrus.**

44) Gn 3, 5. 45) Cf. Gn 1, 27. 46) Ex 7, 1. 47) Cf. Ex 3, 10.
48) Cf. Act 7, 22. 49) Cf. Ex 33, 11. 50) Cf. Ex cpp. 9, 10, 11 et alibi.
51) Cf. Act 4, 8. Ms.: *Spiritus Sancto.* 52) Cf. Mt 16, 18-19. 53) Cf. Act 5, 15.
54) Secundum mythol. prima mulier a singulis diis proprio particulari dono donata. Cf. Ioseph Perin in *Onomastico* sub hoc verbo. 55) Cf. Hebr. 1, 4.

Deipara proponitur sponsa et mater simillima Deo in dignitate, potentia, sapientia, bonitate.

VI. De Deo, praeter summam maiestatem et dignitatem, tria in Sacris Litteris praedicantur: potentia, qua cuncta creavit, sapientia, qua omnia summa providentia gubernat, et bonitas, qua omnia replevit, et suipsius res omnes participes effecit, tanquam divinus sol effundens lucem radiosque bonitatis suae in mundum universum perpetuo tempore. Beatissima Virgo gratia plena est, Deo simillima facta in summa altissimaque dignitate, qua maior excogitari non potest, cum facta sit vera Sponsa et Mater Dei.

Dignitas Virginis.

Est ipsa veluti arca Testamenti, quae divino propitiatorio similis erat. Erat propitiatorium totum aureum; arca non aurea quidem, sed deaurata, lignea erat, sed auro purissimo intrinsecus extrinsecusque vestita ac propterea aureo propitiatorio longe simillima, imo longitudine et latitudine aequalis, non autem profunditate, quae quanta fuerit ipsius propitiatorii non explicatur.[56] Dei dignitas excedit omnem creatam dignitatem. Semper perpetuitas longitudo est, universitas creaturarum amplitudo; ita et dignitas Virginis Deiparae omnem excedit omnium creaturarum in perpetuum dignitatem.

Potentia, sapientia, bonitas Virginis.

Continebat arca illa tria: virgam operatricem miraculorum, tabulas legis, quae erant veluti thesaurus divinae sapientiae, et vas aureum manna plenum.[57] Mysteria ista sunt, quod Virgo Beatissima gratia plena facta sit Deo simillima in potentia, sapientia et bonitate, et quidem super omnes alias creaturas, sicut luna plena similior soli est super omnes alias stellas. Tanta est auctoritas, tanta potestas Beatissimae Virginis in coelo, ut Deo super omnes Angelos simillima, plus ipsa possit quam omnes Angeli, omnes Spiritus beati, omnes coelestes creaturae. Quanta est autem unius tantum Angeli potestas! Plus potest unus Angelus quam innumerabiles homines in hoc mundo. Quanta igitur erit potestas Virginis in coelo, quae plus potest quam omnes Angeli, sicut luna plena in coelo plus potest in mundo quam omnes aliae stellae!

Deipara omni laude dignissima, quia ipsa imago Dei omnium praestantissima.

VII. Non est autem minor in Deipara Virgine caritas bonitasque quam dignitas atque potestas, sicut in luna, in sole non minor est liberalitas quam illuminandi potestas; totam enim lucem effundunt luminaria coeli, et quam divites sunt omnes stellae, tam sunt etiam liberales: *Ave, gratia plena.* Voluit Deus multis maximisque gratiis

56) Cf. Ex 37, 1 sqq. 57) Cf. 3 Rg 8, 9 et Hebr 9, 4.

Virginem Deiparam replere, ut esset omni honore et omni laude dignissima. Paulus ait quod *soli Deo* debetur *honor et gloria,* [58] ita sane, summus honor summaque adoratio et reverentia; alioquin honor nonnisi Deo tribuitur et imaginibus Dei: viris principibus, viris sapientibus et viris praestanti sanctitate praeditis. Principes autem veluti imagines et umbrae sunt Summi Regis Dei, divinaeque dignitatis et auctoritatis; viri sapientes imagines sunt divinae sapientiae; et viri sancti imagines divinae bonitatis et sanctitatis.

Maiori dignitati maior honor.

Quo maior autem est in homine sive auctoritas dignitasque, sive sapientia et scientia, sive bonitas et sanctitas, eo pulcrior est imago Dei eoque spectabilior; et ita quo maioris dignitatis et auctoritatis sunt principes, eo magis honorantur. Ita, et qui sapientiae et scientiae titulo honorantur, quo maiori et praestantiori sunt sapientia, eo sunt maiori honore digniores. Ita etiam de sanctitate et virtute censendum, qui in virtutum ornamentis praestantiores et maioris sunt meriti, iis maiores debentur honores.

Differunt dignitates.

Et hae quidem res, quibus debetur honor, aliquando separatae sunt in hominibus, ut in Assuero quidem fuit tantum auctoritas et dignitas regia; in Achitophele sapientia atque prudentia; [59] in Elia, in Ieremia, in Ioanne Baptista sanctitas. Aliquando simul iunctae, ut in Salomone dignitas regia et sapientia; in David [59a] auctoritas regis, sapientia per spiritum prophetiae et sanctitas vitae. Omnes autem simul iunctae cum excellenti praestantia conspicuae fuerunt in Moyse, in quo fuit triplex potestas: regia, pontificia et divina ad miracula facienda, multiplex scientia et sapientia tum humanitus acquisita tum divinitus infusa, et praestantissima sanctitas. Sed maxime omnium in Christo summa dignitas, infinita sapientia, immensa bonitas. Post Christum autem maxime omnium in Virgine Maria; sic igitur ipsa, tanquam imago Dei omnium in universo post Christum praestantissima, est omni honore et omni laude dignissima.

Deipara omni fiducia dignissima, quia singulari Dei potentia praedita.

VIII. *Ave, gratia plena.* Est autem gratia donum Dei et supernaturalis virtus per Spiritum Sanctum homini data, qua possit bene operari, omnium virtutum maxime vero theologicarum opera exercere, Deo rem gratam facere, et sibi aeternam in coelo gloriam promereri; et qua etiam preces et orationes nostrae a Deo exaudiri me-

58) 1 Tim 1, 17. 59) Cf. 2 Rg 16, 20-23; 17, 1 sqq. 59*a*) Ms. bis habet: *David.*

reantur, sive pro nobis sive pro aliis ex affectu caritatis oremus, sicut orationes Sanctorum etiam pro aliis apud Deum fusas legimus exauditas.[60] Aliquando autem Deus tam copiosum munus gratiae homini tribuit, ut possit etiam aliis magna beneficia praestare; sic legimus a Paulo dictum: *Divisiones gratiarum sunt*, itemque: *Alii... datur... gratia sanitatum.*[61]

Sancti gratia miraculorum aucti,

Sic multi Sancti habuerunt gratiam miraculorum ut Moyses, Elias, Eliseus; in Novo Testamento post Christum maxime omnium Petrus, et post ipsum Paulus, ut sudariola ipsius eiicerent daemones, et sanitates conferrent.[62] Hac gratia potuerunt etiam post mortem magna beneficia praestare; nam Eliseus mortuus suscitavit a mortuis hominem occisum;[63] per hanc gratiam Moyses magna et sane divina in salutem universi populi miracula operatus fuit;[64] propter hanc gratiam Elias dictus fuit *currus* et *auriga*, sive *equites* Israel,[65] quasi ipse esset tanquam potentissimus exercitus in salutem populi Israel; Eliseus similiter dictus fuit *currus* et *equites* Israel, et hoc a rege illius populi, propter divinam gratiam quam in ipso expertus fuerat.[66] Idem est autem currus et equites ac potentia Israel; consistit autem regni alicuius potentia in exercitu militum peditum equitumque numeroso validoque.

magis Maria.

Maria autem Virgo Beatissima est *gratia plena*, omnem accepit gratiam, qua apud Deum pro nobis omnia potest. Accepit etiam gratiam miraculorum, qua possit cunctis benefacere. Maxime vero potens est ad protegendum sicut arca foederis Domini, de qua dixerunt Hebraei contra Philisthaeos inimicos potentissimos pugnaturi: *Afferamus ad nos... arcam foederis Domini et veniat inter nos, et salvet nos de manibus inimicorum nostrorum;*[67] hinc dicebatur *arca potentiae Domini.*[68] Virgo autem Beatissima vera est arca Domini, *terribilis* enim est *ut castrorum acies ordinata.*[69] Ipsa revera est *currus* et *equites* exercitus Ecclesiae Dei, ipsa *arca fortitudinis Dei.* In arca enim illa reposita fuit virga divinae virtutis, quae ad gloriam Dei et in salutem populi divina operabatur miracula.[70] Huic Virgini divinam Deus tribuit auctoritatem et potentiam in salutem populi sui, sicut Moysi, cui dixit: *Constitui te deum Pharaonis,*

Simile.

Simile.

60) Cf. Ex 32, 1 sqq. 61) 1 Cor 12, 4. 9. 62) Cf. Act 19, 12. 63) Cf. 4 Rg 13, 20-21. 64) Cf. Ex 14, 24-31 et alibi. 65) Cf. 4 Rg 2, 12. 66) Ibid. 13, 14. 67) 1 Rg 4, 3. 68) Cf. 2 Par 6, 41. Vulg. loc.: *Potentiae* etc. habet: *Fortitudinis.* 69) Ct 6, 3. 9. 70) Cf. Nm 17, 10 et Ex cpp. 9. 10. 11.

ut super Pharaonem et regnum ipsius posset divina auctoritate facere quaecumque voluisset. Sed multo maiorem auctoritatem tribuit Deus Matri quam servo, contra satanam et regnum eius in salutem Christianorum.

Exhortatio: Christiani fiduciam habeant ad Deiparam.

Utinam haberet populus christianus eam fidem et fiduciam ad Beatissimam Virginem Matrem Dei, quam habuit olim populus hebraeus ad arcam Dei, cuius praesentia confidebat salvum se fore a manibus omnium inimicorum suorum: *Deducamus ad nos de Silo arcam foederis Domini,* et *salvet nos de manibus inimicorum nostrorum.*[71] Nec tamen propterea idololatriae arguit eum Deus, sicut haeretici idololatriae nos accusant propter fiduciam quam reponimus in Virgine Matre Dei. Num maiorem potentiam habere potuit arca Dei quam Mater Dei? Illa, 2. *Paralip.* 6,[72] et *Psal.* 131,[73] dicta est *arca potentiae Domini,* sive *fortitudinis Dei* propter divina miracula, quae praesertim operata fuit in terra Philisthaeorum contra eos et Dagon deum ipsorum; Mater Dei divina potentia est contra diabolum et regnum ipsius in salutem Ecclesiae Dei piorumque Christianorum.

71) Vulg. loc.: *Deducamus,* habet: *Afferamus.* 72) Vr. 41. 73) Vr. 8. Ms.: 132. Vulg. loc.: *Potentiae,* etc. habet: *Sanctificationis tuae.*

SERMO DECIMUS QUARTUS

DE DIVINAE INCARNATIONIS ANIMATA DOMO

Gaudendum nobis, quia quae hodie Sponsa fit et Mater Dei, ex nostra stirpe est.

I. Celebrantur sponsalitia et nuptiae ubique terrarum apud omnes nationes magna cum festivitate, laetitia et exultatione, maxime vero nuptiae principum. Cum rex ducit uxorem, ineffabilis est totius civitatis, in qua celebrantur, festivitas et exultatio; rident omnia, omnia gaudent, ubique tripudia summa cum laetitia et exultatione fiunt. Hodie autem celebrantur sponsalitia et nuptiae Summi Regis Dei, qui in sponsam accipit Sanctam et Beatam Virginem Mariam; quarum nuptiarum paranymphus est Angelus Gabriel: *Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae..., ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph.* [1] Simulque et celebrantur nuptiae et concipitur filius, filius primogenitus, princeps regni, heres totius hereditatis paternae, qui futurus est rex et dominus omnium. Gaudendum igitur nobis est, quoniam Virgo haec, quae hodie Sponsa fit Dei et Mater Unigeniti Filii Dei, ex nostro genere et nostra stirpe et progenie est; hic summus est honor et gloria nostra.

Scala Iacob est Christus, locus scalae Virgo, quia in ea Deus inhabitat per hypostaticam unionem.

II. *Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam,* etc. Altum et ineffabile mysterium, mirabile, stupendum et incomprehensibile sacramentum est dominicae Incarnationis, quod hodie celebramus. Sanctus patriarcha Iacob, cum in somnis, revelante Deo, mysterium istud co-

1) Lc 1, 26-27.

gnovisset in scala illa coelesti, cui Deus innitebatur, plenus admiratione et stupore ait: *Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam. Pavensque: Quam terribilis est, inquit, locus iste; non est hic aliud nisi domus Dei et porta coeli.*[2] Christus de seipso interpretatus fuit mysterium illud dicens: *Videbitis coelum apertum et Angelos Dei ascendentes et descendentes supra Filium hominis.*[3] Scala Christus est, cuius postes sunt duae substantiae humanae naturae; gradus vero esse, vivere, sentire, intelligere, natura, gratia, gloria, tandem Divinitas ipsa Verbi, quod vere est Deus: *Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam.* Quantum penitus ignoro! *Quam terribilis est locus iste,* quam mirabilis!

Sed quisnam, quaeso, locus est iste, nisi Sanctissima Virgo, cui hodie Angelus ait: *Ave, gratia plena, Dominus tecum?*[4] *Dominus in loco isto: Dominus tecum.* Sed quidnam, quaeso, novi est, ut Dominus sit in loco aliquo, qui ait: *Coelum et terram ego adimpleo:*[5] *Coelum mihi sedes est et terra... scabellum pedum meorum:*[6] *Si ascendero in coelum, tu illic es, si descendero in infernum, ades:*[7] quem coeli *et coeli coelorum capere non possunt?*[8] Est utique Deus ubique in mundo per naturam, per personam, praesentiam et essentiam, quoniam infinitus est et ubique totus, quoniam simplicissimus est. Est in Ecclesia per gratiam, per fidem, spem et caritatem; est in paradiso per gloriam, per claram visionem, beatam fruitionem et aeternam possessionem; sed hic est per hypostaticam unionem, per totius Divinitatis suae plenissimam communicationem: *Inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.*[9] Quam mirabilis est locus iste! *Hic domus Dei est et porta coeli:* domus Dei per specialem inhabitationem. Habitat lux in universo coelo, sed specialius in planetis, multo specialius in astris inerrantibus, sed specialissime in sole; sic modo specialissimo *Dominus est in loco isto.*

Ubique Deus est, sed non eodem modo.

III. Domus Dei, domus orationis,[10] in qua Summus Sacerdos Christus oravit ad Patrem. Divus Ioannes loquens de mysterio Incarnationis ait: *Verbum caro factum est... plenum gratiae et veritatis,*[11] idest, plenum caritate et scientia.

B. Virgo domus Dei, domus orationis, quia in ea Christus oravit ad Patrem.

2) Gn 28, 16-17. 3) Io 1, 51. 4) Lc 1, 28. 5) Jer 23, 24. Vulg.: *Impleo.* 6) Act 7, 49, et Is 66, 1. 7) Ps 138, 8. 8) 3 Rg 8, 27. 9) Col 2, 9. 10) Cf. Lc 19, 46 11) Io 1, 14.

Accepto beneficio, homo tenetur benefactori gratias agere, et eo maiores quo maius est beneficium. Sed Christus in primo instanti suae conceptionis accepit maximum infinitumque beneficium a Deo, omnem plenitudinem Divinitatis, et in eodem instanti cognovit beneficii huius infinitam magnitudinem. Ergo infinitas tunc Deo Patri gratias egit; obtulit odoratissimum incensum Summus iste Sacerdos in sancta sanctorum. Incensum orationis eo est odoratius, quo maiori offertur cum caritate et gratia; sed Christi summa infinitaque gratia et caritas ex tunc fuit; igitur infinitae suavitatis Deo fuit odor huius incensi, nunquam suavioris odoris incensum Angeli in paradiso obtulerunt Deo. Oratio haec infiniti fuit meriti; meruit nobis omnem tum gratiam tum gloriam.

B. Virgo domus Dei, domus sacrificii, quia in ea se Christus obtulit Patri.

IV. Domus Dei, d o m u s s a c r i f i c i i.[12] In domo Dei offerebantur sacrificia pro peccatis, hostiae pacificae et holocausta cum oblationibus;[13] summus sacerdos in Sancta Sanctorum non tantum incensum, sed etiam sanguinem sacrificii deferebat.[14] Christus in primo instanti suae conceptionis, non tantum cognovit beneficium sibi collatum, sed etiam voluntatem Dei de redemptione et salute generis humani per crucis passionem et mortem; hinc ex tunc Patri se obtulit ad passionem et mortem crucis pro salute mundi. Quod quidem sacrificium fuit infiniti meriti et valoris, adeo ut sacrificium crucis non fuerit maioris meriti. Nam meritum non consistit in opere, sed in caritate et gratia; non fuit autem maior Christi caritas in passione quam in conceptione. Tunc se obtulit Christus totum Deo igne caritatis cremandum tanquam holocaustum, pro salute et integritate nostra tanquam hostiam pacificam, et pro remissione peccatorum nostrorum tanquam hostiam et sacrificium pro peccatis, quod sine oleo et incenso offerebatur, quia absque ulla consolatione passus fuit Christus.

B. Virgo domus Dei, domus sanctitatis, quia in ea omnis gratia et virtus, imo Auctor gratiae.

V. *Hic domus Dei est.* Domus Dei, d o m u s s a n c t i t a t i s:[15] *Gratia plena.* Hic semper ardebat aureum candelabrum cum septem lucernis,[16] gratia cum septem donis Spiritus Sancti septemque virtutibus, quae omnes in Sanctissima Virgine perfectissime fuerunt; hic mensa panum propositionis,[17] iugis meditatio omnium articulorum fidei et observantia mandatorum utriusque legis; hic altare incensi[18] perpetuae orationis.

12) Cf. 2 Par 7, 12. 13) Cf. Lv cpp. 4. 3. 1. 2. 14) Cf. Ex 30, 7-10.
15) Vocabatur enim: *Sanctum, et sancta sanctorum.* Cf. Ex 26, 33-34. 16) Cf. Ex 25, 31-37.
17) Ibid. 25, 23-30. 18) Cf. Ibid. 30, 1-10.

Domus Dei, domus sanctitatis: *Gratia plena.* Facta fuit Maria thesaurus omnis gratiae hodie; nam in hac sancta domo hodie reposita fuit arca foederis Domini cum divino propitiatorio et Cherubim gloriae, arca cum tabulis legis, virga virtutis divinae et vase coelestis manna,[19] quae divinam potentiam, sapientiam et bonitatem designabant. Ecce arca cum divino propitiatorio: *Verbum caro factum est... plenum gratiae et veritatis... Et de plenitudine eius nos omnes accepimus... gratiam pro gratia. Quia... gratia et veritas per Iesum Christum facta est.* [20] Gratia reposita fuit hodie in Maria maior gratia omnium Sanctorum Ecclesiae, maior gratia et gloria omnium Angelorum paradisi; gratia et caritas aequalis caritati et sanctitati Dei, quoniam repositum in ea est Verbum caro factum, plenum gratia et veritate; gratia sanctificans omnem Ecclesiam et omnem paradisum, quoniam *gratia et veritas per Iesum Christum facta est.*

B. Virgo porta coeli, imo paradisus, quia in ea Christus habuit visionem beatificam.

VI. *Hic domus Dei est:* domus gratiae, domus omnis sanctitatis et porta coeli, porta paradisi, principium paradisi. Fuit Maria verus paradisus; siquidem paradisus est locus ubi videtur Deus; in utero Sanctissimae Virginis anima Christi vere vidit Deum, ergo vere paradisus fuit. Nec tantum paradisus, sed porta paradisi, principium paradisi; hic enim homo Deum primo beatifica visione facialiter vidit. Paradisus plenus maiori gloria quam paradisus coelestis; quoniam solius Christi gloria maior est omni gloria Angelorum Sanctorumque omnium; hinc: *Resplenduit facies eius sicut sol;* [21] lux enim solius solis maior est splendoribus omnium astrorum. Paradisus plenus gloria aequali gloriae Dei; quoniam gloria Christi aequalis erat gloriae Dei; Incarnatum enim Verbum vere Deus erat, Deo Patri per omnia coaequalis, coaeternus et consubstantialis.

Quatuor mysteria in Christo, sublimius omnium incarnatio, in theophaniis V. T. praefigurata.

VII. *Quam terribilis* igitur *est locus iste! Hic domus Dei est et porta coeli. Quam terribilis,* idest, quam admirabilis *est locus iste,* in quo *inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter!* [22] *Et ego nesciebam. Tria mihi difficilia,* mirabilia, *sunt, et quartum penitus ignoro: Viam aquilae in coelo, viam colubri super petram, viam navis in medio mari et viam viri in adolescentula,* in virgine. [23] Qua-

19) Alludit ad arcae translationem in tabernaculum Moysis (Ex 40, 18-21) et templum Salomonis (2 Par 5, 7-10). De iis quae in arca inveniebantur cf. Hebr 9, 4-5. 20) Io 1, 14. 16-17. 21) Mt 17, 2. 22) Col 2, 9. 23) Prv 30, 18-19. Vox: *Adolescentula*, ex hebr.: Vulg. habet: *Adolescentia*.

tuor mysteria Christi mirabilia sunt, quae designantur in quadriformi animali Ezechielis: [24] mysterium Incarnationis, Passionis, Resurrectionis et Ascensionis, quae admirabatur Regius Vates: *Quid est homo quod memor es eius, aut filius hominis quia visitas eum?* [25] Descendit in domum ipsius ad visitandum eum: mysterium Incarnationis. *Minuisti eum paulo minus ab Angelis, propter passionem* carnis, inquit Paulus: [26] mysterium Passionis. *Gloria et honore coronasti eum:* mysterium Resurrectionis. *Et constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subiecisti sub pedibus eius:* [26a] mysterium Ascensionis. Omnia haec mysteria mirabilia sunt; sed *quartum penitus ignoro.*

Visio Ezechielis.

Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam. Deus factus est homo, et homo factus est Deus; hominem enim igneum vidit Ezechiel supra coelestem hierarchiam. [27] Saepe Deus in humana figura visus est Patriarchis et Prophetis; sed hodie vere factus est homo, nam hoc mysterium praefigurabant omnes illae apparitiones et theophaniae. Hodie adimpletum est illud quod Moysi Deus dixit: *Sum qui sum:* [28] *Ehieh ascer ehieh, ero qui ero, sum qui ero.* Quidnam futurus erat Deus? Homo. *Sum qui ero:* sum Deus, ero homo; sum Verbum, ero caro. Hodie *Verbum caro factum est,* nam Deus Verbum Moysi apparuit. Hinc dicitur quod apparuit ei Dominus et Angelus Domini; [29] nam Christus Dominus est et Angelus Domini: *Statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeritis, et Angelus Testamenti, quem vos vultis; ipse quasi ignis conflans;* [30] quare ad mysterium ardentis rubi inspexisse visus est Malachias haec vaticinans. Hodie adimpletum est vaticinium Isaiae: *Ecce Virgo concipiet et pariet filium,* etc.; *Filius datus est nobis... et vocabitur nomen eius Admirabilis, Deus, Fortis;* [31] hodie visio illa qua Deum in humana figura vidit in medio duorum Seraphim. [32] Cur tamen in medio duorum? Ubi erant omnes exercitus coeli? Ubi Angeli ministrantes et assistentes? Sed mysterium est, quoniam tres sunt Divinae Personae, tres Angeli qui Abrahae apparuerunt, [33] tres Seraphim, quoniam Deus ignis est, Deus caritas est. [34] Sed unus horum visus est in humana forma; media in Trinitate Persona humanam assumpsit naturam. Hoc est quod ex tribus Angelis, qui Abrahae apparuerunt, unus remansit cum eo, et alii duo in Penta-

Visio Moysis.

Visio Isaiae.

Visio Abrahae et Danielis.

24) Cf. Ez 1, 1 sqq. 25) Ps 8, 5. 26) Hebr 2, 9. 26a) Ps 8, 7-8. 27) Cf. Ez 1, 26-27. 28) Ex 3, 14. Sequitur idem versus ex hebr. 29) Cf. Ex 3, 2 et Act 7, 10. 30) Mal 3, 1-2. 31) 7, 14; 9, 6. 32) Cf. Is 6, 1 sqq. 33) Cf. Gn 18, 1 sqq. 34) Cf. 1 Io 4, 8. 16.

polim abierunt.[35] Hoc est quod Daniel tres vidit Angelos, sed unum in medio fluminis, alios autem duos unum hinc et alterum inde ex alia parte et ripa fluminis.[36] Hodie pluit manna de coelo; hodie venit Deus in castra Hebraeorum, et Philisthaei vehementer conturbati sunt, dicentes: *Vae nobis... vae nobis... venit Deus in castra.*[37] Venit enim hodie Deus in mundum ad salvandos homines et perdendos daemones.

35) Cf. Gn loc. cit. 36) Cf. 12, 1-8. 37) 1 Rg 4, 8. 7. Vulg. habet: *Venit Deus in castra...: Vae nobis.*

SERMO DECIMUS QUINTUS

DE EFFECTU MATRIMONII VIRGINIS DEIPARAE

Mysterium Incarnationis est sacramentum caritatis.

I. Magnum celebramus hodie mysterium, magnum sacramentum divinae erga nos caritatis: *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum Unigenitum daret.* [1] *Apparuit... gratia Dei Salvatoris nostri. Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei.* [2] Deus *qui dives est in misericordia propter nimiam caritatem suam.* [3] *Manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne.* [4] Magnum est quia hodie factus est homo non ad imaginem Dei sed verus Deus; non per ironiam dicitur: *Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis,* [5] sed vere factus est: *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est Deus super omnia benedictus.* [6]

Vidit Iacob patriarcha scalam coeli, per quam Angeli ascendebant et descendebant, [7] ministrantes Deo in salutem hominum electorum Dei; sed hodie in salutem mundi verus Deus descendit de coelo. Maria autem, quae, carne quidem et corpore in terra constituta, mente et spiritu semper erat in coelo, facta est scala coeli, per quam Deus ad nos venit.

Deus fons gratiarum, Christus fluvius, Maria aquaeductus.

II. Est Deus fons aquarum viventium, [7a] Christus autem Unigenitus Dei fluvius rivusque est ex perenni fonte perpetuo manans;

1) Io 3, 16. 2) Tit 2, 11; et 3, 4. Vulg. loc.: *Apparuit*, etc. habet: *Benignitas et humanitas apparuit*. etc. 3) Eph 2, 4. 4) 1 Tim 3, 16. 5) Gn 3, 22. 6) Rom 9, 5. 7) Cf. Gn 28, 10 sqq. 7a) Cf. Jer 17, 13.

Maria autem fontis huius et rivi divinus est aquaeductus, ut Bernardus ait.[8] Hinc sacratissimum hoc mysterium divinae Incarnationis revelavit Deus Isaiae iuxta aquaeductum piscinae superioris in Ierusalem; ibi nanque vaticinatus fuit Isaias: *Ecce Dominus ipse dabit vobis signum: Ecce Virgo concipiet et pariet filium et vocabitur nomen eius Emmanuel.*[9]

Sed quid est aquaeductus piscinae superioris? Est quaedam piscina aquarum congregatio; *aquae* autem multae, ut Ioannes ait, *populi* multi.[9a] Est piscina superior Angelorum in coelo, et piscina inferior hominum in terra. At vero Deus fons aquarum viventium dicitur, non solum quia creator hominum et Angelorum, sed quia auctor et origo omnium bonorum. Sunt autem bonorum genera duo, sicut duo magna luminaria in coelo et duo magna corpora in mundo; sunt bona creata, sunt et increata aeternaque; haec superiora sunt sicut coelum, sicut sol; illa inferiora sicut luna, sicut terra. Quid piscina.

III. In sacra theologia manifestus est duplex divinae bonitatis effluxus: ad intra, ut loquuntur theologi,[10] et ad extra. Communicat Deus infinitos bonitatis suae thesauros universamque naturam suam aeterna emanatione ad intra Filio et Spiritui Sancto; nam Filius procedit a Patre, ut radius a sole; Spiritus autem Sanctus a Patre et Filio emanat, sicut calor a luce solari et radio; haec est piscina superior. Bonorum autem effluxus per creationem piscina est inferior. Revelatio huius mysterii hodierni facta est iuxta aquaeductum piscinae superioris, quia non creata sed increata bona communicata sunt nobis per divinam Unigeniti Filii Dei incarnationem. Duplex effluxus divinae bonitatis; minor per creationem, maior per incarnationem.

Magnum Dei donum fuit, cum homini mundum universum dono dedit; sed hodiernum hoc infinitis partibus maius est. Multo enim maior est Deus, mundus ter maximus, hoc macrocosmo a summo coeli convexo usque ad terrae centrum, quam sit magnus hic mundus, etiamsi millies milliesque maior esset, quam sit, inquam, homine microcosmo mole corporea maior.

Christus autem, qui datus est nobis hodie, verus est Deus, aeterno Patri consubstantialis, coaeternus et coaequalis. Hinc Ioannes, priusquam mysterium hoc aperiret et diceret: *Verbum caro factum est,*[10a] ostendit Verbi huius, quod caro factum est, naturam et qualitatem, dicens: *In principio erat Verbum:* haec est aeternitas, quae Per Mariam Christus et cum eo omnia.

8) Cf. *Serm. De Aquaeductu* n. 4. (P. L. 83, 1013). 9) Is 7, 14. 9a) Apc 17, 15.
10) Cf. inter alios D. Bonav. 1 *Sent.* d. 19, p. 1, art. unic. q. 2, n. 3 (1, 345); Scotus 2 *Sent.*, dist. 1, report. 1. 10a) Io 1, 14.

ante omnia creata fuit; *Et Verbum est apud Deum:* [11] haec est coaequalitas; *Qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo;* [12] *Et Deus erat Verbum:* haec est *omousion*, consubstantialitas; *Hoc erat in principio apud Deum..., omnia per ipsum facta sunt:* haec est omnipotentia; *In ipso vita erat:* haec infinita bonitas, sufficiens ad beandum hominem; *Et vita erat lux hominum:* [13] divina Sapientia. Sic verus ostenditur et perfectus Deus, maximus fluvius qui egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum. [14] Sed si talis tantusque fluvius Christus, qualis quantusque aquaeductus Maria est!

11) Io 1, 1. Vulg. loc.: *Est*, habet: *Erat*. 12) Phil 2, 6. 13) Io 1, 1-4.
14) Cf. Gn 2, 10.

SERMO DECIMUS SEXTUS

DE ANNUNCIATIONIS MYSTERIO VITAE CHRISTIANAE TYPO

Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam. [1]

Praenunciata est nativitas Christi quia ipse Salvator, Redemptor, Glorificator noster.

I. Angeli illi, qui Abrahae conceptum et natalem Isaac nunciaverunt, statim Sodomam versus direxerunt iter, ut ab incendio Loth liberarent; [2] Samsonis praenuntiata nativitas est, quia futurus erat populi a Philistinorum captivitate liberator; [3] et Salomonis, quia futurus erat rex; [4] ita, carissimi, praenuntiatur hodie Christi nativitas, quia futurus erat noster Salvator, Redemptor, et Glorificator. Salvator quidem a morte aeterna et poenis inferni, quod est incendium Sodomae; Redemptor a captivitate diaboli per fidem et gratiam suam; ac tandem Rex et Glorificator in coelo. Hoc enim est quod Christus dictus est: *Iesus Nazarenus rex Iudaeorum;* [5] *Vocabis nomen eius Iesus;* [5a] Nazaraeus, quia: *Missus est Angelus... in civitatem Nazareth;* quia *Nazaraeus vocabitur;* [6] et rex Iudaeorum: *Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur,* etc. [7] Salvator a morte per mortem suam, ideo Isaac; Redemptor per gratiam suam, ideo Samson, nazaraeus fortissimus, cuius fortitudo erat in septem capillis; [8] Christus, sol iustitiae, totus sanctus, fortissimus virtute divina contra diabolum per septem Spiritus Sancti dona; [9] Rex tandem pacificus in gloriosa Ierusalem per gloriam.

1) Lc 1, 26. 2) Cf. Gn 18, 1 sqq. 3) Cf. Idc 13, 1-5. 4) Cf. 1 Par 22, 9. 5) Io 19, 19. 5a) Lc 1, 31. 6) Mt 2, 23. 7) Lc 1, 32. 8) Cf. Idc 16, 18-19. 9) Cf. Is 11, 2.

Periisset procul dubio Loth in incendio, nisi misisset Deus Angelos ad illum liberandum; ita et nos nisi Angelum hunc magni consilii misisset in mundum. Stetisset in perpetua captivitate populus, nisi Deus misisset Samsonem. Non habuissent bonum regem nec pace perpetua frui potuissent Iudaei, nisi Deus nasci fecisset Salomonem. Ita, carissimi, nos neque gloria unquam Dei, neque gratia potiti fuissemus, sed semper sub diaboli potestate et mortis aeternae cum eo rei fuissemus; hinc Deus, summo salutis nostrae desiderio flagrans, Filium suum hodie misit in mundum: *Sic enim Deus dilexit mundum*, etc. [10]

Ad salutem necessariae sunt fides et opera.

II. Id tamen sciendum est quod, nisi Loth Angelis credidisset, periisset utique cum ceteris incredulis; quibus cum diceret ipse: *Egredimini de loco isto, quia delebit Dominus civitatem hanc, visus est... tanquam ludens...* [11] Sic enim multi peccatores scelesti, dati in reprobum sensum, [11a] praedicatores verbi Dei irrident. Sed perierunt illi omnes incendio, et Loth cum eis, nisi credidisset; sic ait Dominus: *Ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* [12]

Fides tamen non sufficit, quia: *Fides sine operibus mortua est.* [13] Opera ergo ad salutem necessaria sunt. Dicam brevi; si salvari volumus, similes nos esse oportet Beatae Virgini; siquidem voluit Deus ut esset virgo pura ab omni peccato ut Filium Dei conciperet.

Animae necessariae virtutes, ut Spiritus Sanctus in ipsam veniat.

III. Sed, Christiani, Spiritus Sanctus non est minor Filio, sed aequalis, consubstantialis, coaeternus et coaequalis. Hinc non reponet Deus Spiritum Sanctum nisi in vase mundo; siquidem: *In malevolam animam non introibit sapientia, neque habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus enim Sanctus disciplinae effugiet fictum, et aufert se a cogitationibus, quae sunt sine intellectu.* [14] Vitae ergo innocentiam requirit a nobis Deus, si volumus salvari, ut vivamus absque omni peccato, sicque sit anima nostra virgo, pura ab omni carnali amore, et virgo desponsata Ioseph viro, augmento virtutis; [14a] ut velit anima ire semper de virtute in virtutem, bonam semper habere voluntatem proficiendi in vita spirituali. Ne ambiamus humanas laudes mundanamque gloriam; hinc - Beata Virgo *turbata est;* - sed Deum timeamus. Ut simus prudentes: *Quomodo fiet istud quoniam virum non*

10) Io 3, 10. 11) Gn 19, 14. 11a) Cf. Rom 1, 28. 12) Io 3, 16. 12a) Ms.: *Animam* bis habet. 13) Iac 2, 20. 14) Sap 1, 4-5. 14a) Ex significatione verborum *Ioseph*, idest, *augmentum* ex hebr., et *vir* ex quo *virtus*. Cf. Cic. 2. *Tusc.* 18, 43.

cognosco?[15] Satanas enim saepe *transfigurat se in angelum lucis.*[16] Simus humiles corde: *Ecce Ancilla Domini, fiat,* etc.;[17] quia *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam;*[18] hinc Beata Virgo summam adepta est gratiam, quia summa fuit humilitate praedita. Velle semper super omnia facere voluntatem Dei; ait enim: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi;* ancillam se vocat, promptam ostendens voluntatem Domino morem gerendi.

Ingressus Angelus ad eam, dixit. Domi clausa manebat, solitariamque vitam ducebat Beata Virgo; sic domi manere oportet, sibi attendere, et sensuum custodia solitariam ducere vitam, quia solam animam requiret Deus: *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor eius.*[19] Sic Beata Virgo orationi vacabat, cum ad eam ingressus est Angelus. Oportet item non resistere divinis inspirationibus; non enim Beata Virgo restitit Angelo, sed prudenter se gessit, probando an vere esset Angelus Domini, timens ne erraret, aut deciperetur; sic enim ait: *Nolite credere omni spiritui, sed probate utrum ex Deo sint.*[20]

Quomodo perfectio acquiratur.

IV. *Quomodo fiet istud quoniam virum non,* etc. Quomodo fiet istud! Quomodo, inquit, potest esse, ut ego mater Dei evadam? Sic multi dicunt: Quomodo potest homo ad summam perfectionem sanctitatis pervenire? Sed audiant Angeli responsionem: *Spiritus Sanctus superveniet in te,* etc.;[21] audiant et exemplum: *Et ecce Elisabeth cognata tua.*[22] Si multi alii ad sanctitatis perfectionem devenerunt, etiam in Veteri Testamento, cum homines essent similes nobis, nec tantam sacramentorum gratiam haberent, erit impossibile nobis, qui tantam Spiritus Sancti gratiam habemus? *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.*[23] Deus est et Spiritus Sancti virtus, qui mirabilia in nobis sanctitatis opera vult operari.

Archangeli Gabrielis magna legatio.

Missus est Angelus Gabriel a Deo, etc. Nunquam in mundo facta est tanti momenti ac tam digna legatio, si consideretur excellentia m i t t e n t i s, quia est Deus; m i s s i, quia princeps Angelorum, Archangelus Gabriel, quod interpretatur *vir Deus,* sive *fortis Deus;* a d q u a m m i t t i t u r, quia Beata Virgo Regina mundi; c a u s a p r o p t e r q u a m m i t t i t u r, quia est divinum sponsalitium ac matrimonium unde pendet mundi totius salus et vita aeterna.

15) Lc 1, 34. 16) 2 Cor 11, 14. 17) Lc 1, 38. 18) Iac 4, 6 et 1 Petr 5, 5. 19) Os 2, 14. 20) 1 Io 4, 1. Vulg. habet: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint.* 21) Lc 1, 35. 22) Ibid. 1, 36. 23) Ibid. 1, 37.

3.

IN SALUTATIONEM ANGELICAM

SERMONES DECEM

Ave, Maria, *gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus... et benedictus fructus ventris tui* Iesus. (Lc 1. 28, 42).

Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc et in hora mortis nostrae. Amen. (Ecclesia).

SERMO PRIMUS

DE SALUTATIONE ANGELICA IN GENERE

Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, et benedictus, etc. [1]

I. Laudavit Deus omnia opera sua, quae viribus omnipotentiae suae ex nihilo creaverat, atque ex profundissima tenebrarum abysso [1a] in lucem ediderat, nam: *Vidit cuncta quae fecerat, et erant valde bona,* [2] tanquam optimi, sapientissimi et excellentissimi artificis opera sapientissime optimeque elaborata. Sed in primis lucem, quam ante alia omnia de tenebris fecit splendescere, [3] singulariter commendavit: *Dixit Deus: Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quod esset bona.* [4] Deo enim, qui suapte natura summe bonus est, imo summa et infinita bonitas, non possunt non placere bona, non ipsa bonitas commendari.

In mundo lux a Deo praecipue laudata, symbolum bonitatis; in Ecclesia Maria, symbolum bonitatis.

Est autem lux bonitatis virtutisque symbolum. Sicut autem Deus omnia opera sua, sed cum primis lucem laudavit; ita in Ecclesia sua, quae veluti alter sed augustissimus et sacratissimus mundus est, idem ipse Deus Sanctos omnes collaudat, magnoque honore dignos praedicat ob virtutem. Praecipue tamen in Sacris Litteris Virgo Beatissima divinitus est multis encomiis et eulogiis illustrata, quoniam ipsa instar primigeniae illius lucis tota lux splendidissima est, unde inter Sanctos fulget in coelo sicut sol inter stellas, nam propterea sole amicta Ioanni visa fuit. [4a]

Multi in Sacris Litteris a Deo laudati,

1) Lc 1, 28. 1a) Ms.: *Abyssu.* 2) Gn 1, 31. 3) Cf. 2 Cor 4, 6.
4) Gn 1, 3. 4a) Apc 12, 1.

Multos legimus in Sacris Litteris a Deo insigniter laudatos; multa Sanctorum encomia ob praestantem virtutem sunt aeternitati consignata. Laudatur Abel, sanctusque, innocens, iustus piusque Dei cultor ostenditur;[5] Enoch illustri encomio nobilitatur quod cum Deo ambulavit, idest, Dei partes, non satanae, semper secutus fuit, ideo raptus in coelum fuit;[6] Noe ampliori adhuc multoque illustriori decoratur: *Noe, vir iustus atque perfectus... cum Deo ambulavit, et invenit gratiam coram Domino;*[7] Abraham quod *credidit... Deo, et reputatum est illi ad iustitiam;*[8] Iob quod *vir erat... simplex... et rectus ac timens Deum et recedens a malo;*[9] Moyses quod vir mitissimus erat[10] et in tota domo Dei fidelissimus;[11] David quod homo fuit iuxta cor Dei.[12] Christus Dominus Ioannem laudavit ac plus quam prophetam praedicavit: *Inter natos mulierum non surrexit propheta maior Ioanne Baptista;*[13] *hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto angelum meum qui praeparabit viam ante faciem tuam.*[14] Sic Petrum commendavit: *Beatus es, Simon Bar-Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in coelis est.*[15] Mulieres etiam multas reperimus in Sacris Litteris multis laudibus decoratas: Saram,[16] Rebeccam,[17] Rachelem,[18] Mariam sororem Moysis,[19] Deboram prophetissam,[20] Annam Samuelis matrem,[21] reginam Esther[22] aliasque quam plures.

praecipue tamen Virgo Deipara per Prophetas.

In Virgine autem Deipara, licet Divina Scriptura sobria admodum et parca videatur, saepe tamen honestissimis laudum praeconiis eam nobis commendatam reddit. Eam Moyses ostendit quod futura erat serpentis antiqui capitalis inimica, victrix ac superatrix: *Inimicitias ponam inter te et mulierem... ipsa conteret caput tuum,*[23] utique Christum pariendo satana fortiorem et inferni triumphatorem. Hanc Regius Vates indicavit, dicens: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate,*[24] cum de Christi gloria verba faceret. Salomon, divina sapientia imbutus coelestique Spiritu afflatus, in hoc argumento copiosus est. Nunc totam pulcram et immaculatam praedicat: *Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te;*[25] nunc auroram consurgentem, pul-

5) Cf. Gn 4, 4. 6) Cf. ibid. 5, 22-24. 7) Ibid. 6, 9. 8. 8) Rom 4, 3. 9) Job 1, 1. 10) Nm 12, 3. 11) Ibid. 12, 7. 12) Cf. 1 Rg 13, 14. 13) Mt 11, 11. Vulg. habet: *Non surrexit inter natos*, etc. 14) Ibid. 11, 10. Vulg. habet: *Ante te*, loc.: *Ante faciem tuam.* 15) Mt 16, 17. 16) Cf. Gn 17, 19 et Hebr 11, 11. 17) Cf. Gn 24, 15-16. 18) Cf. ibid. 29, 17. 19) Cf. Ex 15. 20. 20) Cf. Idc cpp. 4. 5. 21) Cf. 1 Rg cpp. 1. 2. 22) Cf. Est 2, 7. 15. 23) Gn 3, 15. 24) Ps 44, 10. 25) Ct 4, 7.

criorem luna et sole splendidiorem: *Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol?* [26] nunc mille aliis laudibus ornat cum in *Canticis* tum etiam in extremo capite *Proverbiorum* in elegantissima illa imagine ac veluti idea mulieris fortis, idest, mulieris ingenio, virtute et sanctitate praestantissimae. Quis autem ignorat Mariam fuisse perfectissimam imaginem divinamque virtutum ideam? Quare per mulierem illam virtutis nonnisi Virgo Deipara intelligenda venit. Isaias perpetuam virginem ac mirabilem Dei genitricem appellat: *Ecce Dominus dabit ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet et pariet Filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel.* [27] Ieremias novam mulierem: *Novum creavit Dominus super terram, femina circumdabit virum.* [28]

Angelicum autem hoc in Virginem encomium omnium est illustrissimum, sicut sol inter astra coeli; quod Spiritus Sanctus per os Elisabeth, Praecursoris matris, divina quadam paraphrasi illustravit: nam cum vocem Mariae audisset, repleta Spiritu Sancto, ait: *Benedicta tu inter mulieres et benedictus fructus ventris tui; et unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me?... Et beata quae credidisti, quoniam perficientur* in te... *quae dicta sunt tibi a Domino.* [29] Vere Salomon ait: *Fallax gratia et vana est pulcritudo, mulier timens Dominum ipsa laudabitur;* [30] nam et: *Beatam*, inquit, *me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est.* [31]

maxime per Angelum Gabrielem.

II. Sed inspiciamus ac sedulo contemplemur divinum hoc Mariae encomium per sapientissimum architectum Gabrielem, imo a Deo per ipsum fabricatum, nam Gabriel hic Dei nuncius et legatus est: *Missus est*, inquit, *Gabriel Angelus a Deo... ad Virginem;* quare Dei utique nomine loquitur, imo Deus per ipsum loquitur. Sed ab ipso internuncio sumamus exordium.

Angelicum in Virginem encomium omnium illustrissimum ex laudatore, Angelorum principe.

Ingressus ad Virginem Angelus dixit ei: *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* [32] Non quilibet Angelorum est qui Virginem sic alloquitur et collaudat, sed Gabriel, Angelorum clarissimus et illustrissimus princeps, omnium Dei ministrorum nobilissimus: *Ego*, inquit ad Zachariam patrem Ioannis, *sum Gabriel, qui asto ante Dominum;* [33] hinc singulariter Angelus Domini appellatur. Hunc Magnus Gregorius summum Angelorum dixit

26) Ibid. 6, 9. 27) Is 7, 14. 28) Ier 31, 22. 29) Lc 1, 42-45.
30) Prv 31, 30. 31) Lc 1, 48-49. 32) Ibid. 1, 26-28. 33) Lc 1, 19.

summa nunciantem;[34] et Damasceno teste, *De Virginis Assumptione*, inter Angelos primum locum tenet.[35] Divinissimus ergo Angelus et Angelorum princeps serenissimus Mariam sic laudat; quem Divus Bernardus per Eliezer procuratorem domus Abrahae servorumque illius principem, qui missus fuit ad quaerendam uxorem filio suo, figurari docet;[36] Gabriel, qui *fortitudo Dei*, sive *fortis Deus*, vel etiam *homo Deus* interpretatur, suaque nomenclatura divinae Incarnationis mysterium et miraculum designabat; Gabriel, secretissimorum Dei consiliorum conscius et internuncius, qui Danieli mysterium septuaginta hebdomadarum revelavit,[37] qui pro salute Electorum Dei contra Persarum principem pugnavit,[38] qui Danieli gloriosa apparitione visus fuit, indutus lineis toto corpore instar chrysolithi, accinctus renibus auro obrizo, facie instar fulguris, ardentibus oculis more lampadarum, brachiis cruribusque ex candenti aere, voce terribili instar magni exercitus.[39] Mirandum plane spectaculum!

Sed per haec mysteria nobilissimi huius Angelorum principis magnitudo designatur; in lineis vestibus divina sanctitas, nam: *Byssinum... iustificationes sanctorum sunt*,[40] divina etiam beatitudo; sicut in auro optimo caritas: *Suadeo tibi emere aurum ignitum, ut locuples fias, et vestimentis albis induaris*,[41] nam: *Qui vicerit induetur vestimentis albis;*[42] in chrysolito vel tharsio coelestis natura et virtus; in faciei splendore gloria; in ardentibus oculis sapientia et intelligentia; in brachiis aereis divina et insuperabilis potentia, qua terribilis est ut potens et numerosus exercitus; hoc est enim vox eius sicut multitudinis, stentorea voce tonans.

Hic igitur talis ac tantus Angelus, divini Numinis pronubus et paranymphus, ad Virginem veniens, eam sic affatur et laudat: *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*. O magnum pelagus et abyssum immensam laudum Mariae, quae paucis his verbis continentur! Hic veluti infinitus thesaurus est praeconiorum Deiparae Virginis. Pauca sunt verba, quoniam divina sunt. Paucissimis autem verbis Deus mundum immensa luce decoravit, coelum innumeris aeternisque luminibus, terram plantis et animalibus mi-

34) Cf. *Homil. 34 in Evang.* lib. 2. (P. L. 76, 1604). 35) Cf. *Homil. 2 in Dormit. Deiparae* n. 16. (P. G. 96, 878). 36) Potius D. Bonavent. *Serm. 2 de Annunc. V. M.* (9, 660) D. Bernardus obscure tantum ad hoc alludit. Cf. *Homil. 2 super Missus est.* (P. L. 183, 737). 37) Cf. Dn 9, 20-27. 38) Ibid. 10, 13. 39) Ibid. 10, 5 sqq. 40) Apc 19, 8. 41) Ibid. 3, 18. 42) Ibid. 3, 5.

rabili stupendoque ornamento. Pauca sunt verba, sed plenissima, sed non humano ore, sed angelica lingua pronunciata.

Vix angelica lingua digna est Deiparam collaudare.

Non enim homo aliquis licet sanctissimus, patriarcha vel propheta, Abraham, Moyses, Elias, Isaias seraphico ministerio purgatus, Ieremias sanctificatus in utero, aut quis alius licet sanctissimus ad Virginem missus est; sed Angelorum dux praeclarissimus. Quis enim hominum eam pro dignitate laudare potuisset, quam Deus Angelis ipsis praetulit, suoque matrimonio dignam existimavit, sponsamque elegit et per nobilissimum internuncium requisivit? Vix alia quam angelica lingua eruditissima, sapientissima, purissima Deiparam Virginem digna est aptaque collaudare. Quid igitur faciemus nos labiis cordeque polluti? Ipsa tamen pro sua infinita modestia et benignitate, ut mitissima cordeque humillima, humanas laudes, licet exiles et meritis longissime impares, non aspernatur, non respuit. Et sicut Deus respexit ad Abel et ad munera eius;[43] ita respicit ipsa ad corda, ad vota, ad laudes fidelium, qui puro corde eam, si non pro dignitate, saltem pro virili laudare satagunt et celebrare ut possunt. Ecce ait ipsa: *Beatam me dicent omnes generationes.*[44] *Viderunt eam filiae,* adolescentulae, *et beatam dixerunt,* et *reginae et concubinae... laudaverunt eam,*[45] idest, omnes fideles piaeque animae. Sic a muliere illa evangelica, licet de plebe, ex afflatu tamen Spiritus Sancti laudata fuit: *Extollens vocem quaedam mulier de turba dixit...: Beatus venter qui te portavit, et ubera quae suxisti.*[46]

Ipsa tamen non respuit laudes humanas.

Encomium illustrissimum ex eo quod affirmat.

III. Sed ut ad salutationem angelicam revertamur, novus Dei nuncius novam mulierem novo salutavit modo pro novo et inaudito mysterio, novo et inaudito sacramento: *Ave, gratia plena, Dominus tecum.* Nova haec salutandi forma alias nunquam audita, nusquam comperta; hinc audiens Maria turbata mirataque fuit, quoniam plane omni admiratione digna est.

Salutavit aliquando Angelus Domini Gedeonem, quem pro salute populi sui Deus elegerat, dixitque ei: *Dominus tecum, virorum fortissime,*[47] sive, ut in hebr. est, *isc hashaiil, vir fortitudinis:* nec insigniorem reperimus salutationem in toto Veteri Instrumento. Sed quid praeclari habet illa cum hac salutatione collata: *Ave, gratia plena*?

43) Cf. Gn 4, 4. 44) Lc 1, 48. 45) Ct 6, 8. Vulg. habet: *Viderunt eam filiae, et beatissimam praedicaverunt,* etc. 46) Lc 11, 27. 47) Idc 6, 12.

Ave pacem et felicitatem significat,

Mos erat apud Hebraeos, sicut omnes fere gentes consuevere, ut in primo occursu invicem salutent pacemque et felicitatem sibi precentur et exoptent. Sed et osculum adhibere etiam in more positum habebant Hebraei; sic Ioab, cum salutasset Amasam, osculari eum voluit, sed cum dolo, ut occideret;[48] sic Iudas Christum.[49] Hinc monet Paulus: *Salutate invicem in osculo sancto.*[50] Sic Dominus mandavit Apostolis, ut hospitibus suis pacem nunciarent ac precarentur, ingrediente domum.[51] Nam quod Latini dicunt, salutantes, *salve* aut *ave*, Graeci autem χαιρε, Hebraei שלום, dicunt, quod est *pax* sive *felicitas*. Hebraeo igitur more Angelus hebraeam salutavit mulierem.

imo et affirmat.

Sed tamen sensu multo altiore; non enim pacem ei exoptat et precatur, ut moris est salutantium, sed affirmat; sicut Dominus Gedeoni, sibi valde timenti, eo quod Angelum Domini viderat, ait: *Pax tibi, noli timere, non morieris,*[52] idest, *pax mihi tecum est;* pax inter nos intercedit, nullo metu aut opinione mortis afficiare. Et cum iidem Angelus Domini dixit: *Dominus tecum, vir fortissime,* non optans sed affirmans dixit. Quod cum intellexisset Gedeon, ait: *Obsecro, mi Domine, si Dominus nobiscum est, quomodo apprehenderunt nos omnia haec mala?*[53] Ita nunc coelestis paranymphus non exoptat, non precatur Virgini pacem, sed nunciat, sed affirmat.

Significat etiam salutem, integritatem et perfectionem,

Salom autem Hebraeis, ut periti quique eius linguae norunt, non tantum *pacem* et *concordiam* significat, verum etiam *integritatem, salutem, perfectionem, felicitatem* omnem. Hinc enim coelestis patria *Ierusalem* appellatur, quod est *visio pacis,* quoniam ibi summa reperitur perfectio, summa felicitas, perfectissima salus et aeterna nunquam finem habitura quies. Sic Christus *Princeps pacis* est appellatus, cuius *pacis non erit finis.*[54] Hoc igitur significat hoc loco *ave: Pax tibi,* pax utique Dei *quae exsuperat omnem sensum;*[55] idem igitur est *ave,* sive *pax, salom,* ac: Felix et beata es, o plena gratia. Nam quia pax perfectam Hebraeis beatitudinem denotat, propterea Deus pacem inhabitare dicitur,[56] sicut et lucem inaccessibilem;[57] propterea etiam Deus pacis appellatur,[58] quia perfectam beatitudinem habet: *Beatus,* ut Paulus ait, *et solus potens.*[59] Hanc etiam ob causam Sponsa, in *Canticis, Sulamitis* dicitur,[60] idest, *felix, beata.*

48) Cf. 2 Rg 20, 8-10. 49) Cf. Mt 26, 48-49. 50) Rom 16, 16. 51) Cf. Lc 10, 5.
52) Idc 6, 23. 53) Idc 6, 13 sqq. 54) Is 9, 7. 55) Phil 4, 7.
56) Cf. Ps 75, 3. 57) Cf. 1 Tim 6, 16. 58) Cf. Rom 15, 33. 59) 1 Tim 6, 15.
60) Cf. Ct 6, 12.

Quoniam vero non est felicitas sine voluptate, sine laetitia et gaudio; hinc pax etiam gaudium laetitiamque significat. Hinc offerebantur hostiae pacificae pro publica salute et consolatione populi.[61] Hinc ait quod *non est pax impiis,*[62] idest, verum gaudium; hinc quod *iustitia et pax osculatae sunt,*[63] quia virtutem concomitatur et sequitur vera animi hilaritas. Quare Angelus Virginem hoc modo salutans, indicavit quod summo gaudio et exultatione perfundi deberet; sicut divinus vates Zacharias ad Ecclesiam ait: *Exulta satis* valde, *filia Sion, iubila, filia Ierusalem; ecce rex tuus venit tibi;*[64] summa tibi est, inquit, causa laetitiae et exultationis, quoniam rex tuus, Deus bonorum omnium auctor, venit ad te summa felicitate donandum.

gaudium et laetitiam.

IV. Quare excludit Angelus a Maria hac sua salutatione omnem causam moeroris; a maledictione omni, quae Evae peccati causa inflicta fuit, liberam immunemque facit, omnemque veterem abiicit luctum, antiquum excludit infelicitatis elogium. Declarat quod pristinae maledictionis nihil omnino retineat, quod, cum vere sit ab omni peccato immunis, nullas habeat moeroris et tristitiae causas, quae nonnisi ex peccato emanant; nulla enim mundo nocuisset adversitas, si nulla per hominem invecta fuisset iniquitas.[65]

Encomium hoc illustrissimum ex eo quod excludit.

Angelus igitur Virgini felicitatem nunciat, summaeque laetitiae et exultationis causam; affirmantis vox ista est non optantis aut precantis. Quid enim Angelus Virgini optaret aut precaretur, quam noverat apud Deum summam gratiam invenisse supra omnem etiam angelicam creaturam? Si igitur vox ista veterem omnem a Maria maledictionem excludit, omnemque miseriarum et infelicitatis rationem; non aliene omnino istud *ave* interpretati nonnulli sunt *sine vae,*[66] quod Eva incurrit, divinum transgressa mandatum. Nam per Evae peccatum triplex, ut ita dicam, *vae* in genus humanum transfusum est: vae culpae, cum originis, tum actionis; vae temporalium calamitatum et miseriarum, quas in praesenti saeculo patimur inviti; ac tandem vae aeternorum cruciatuum in inferno; multi enim ob peccatum poenas dabunt in gehenna et supplicia nunquam finitura.

Triplex peccati effectus exclusus a Maria.

61) Cf. Lv 7, 11 sqq. 62) Is 48, 22. 63) Ps 84, 11. 64) Zach 9, 9.
65) Cf. *Missale Rom.* Oratio super populum in Sabat. 1 post Cineres. 66) Cf. Petr. Cellens. *Serm. 24 in Annunc. B. M. V.* circa medium (P. L. 202, 713), et Opuscul. *Speculum B. M. V.* D. Bonavent, sed perperam, attributum, lect. 2.

Maria autem nec peccati Evae particeps aut heres fuit, nec maledictioni illius subiacuit; nam non in dolore sed in gaudio peperit Salvatorem. Nec poenas inferni aliquas sensit in purgatorii igne[66a] cum nullum unquam vel minimum vel levissimum peccatum admiserit, semper ipsa etiam cogitatione purissima sanctissimaque, ut ipsos etiam Angelos puritate vicerit, sanctitate superarit; haec erat in ea summa maximaque causa laetitiae. Hinc ei dicitur: *Ave;* pax ei perfectaque laetitia nunciatur.

Hac autem salutatione visus est Gabriel non solum amice Virginem salutasse ac reverentiam exhibuisse, verum etiam laetum et gaudentem congratulatum illi fuisse. Uberrima nanque ei inerat laetitiae et gaudii causa, qui laetissima ac Deo simul Angelis et hominibus iucundissima nunciabat, ita ut ex hac angelica nunciatione visum sit Novum Testamentum Evangelii nomen accepisse, bonumque nuncium appellatum esse, quod hominibus laetissima ipsius praedicatione nunciantur: Dei gratia et misericordia, peccatorum remissio, divitiarum coelestium copiosa benedictio, ipsaque tandem vita, gloria et felicitas sempiterna. Haec autem omnia in divina hac salutatione virtute continentur, sicut fructus arboris in radice.

Salutemus Mariam, quia cultus Virginis gratiarum copia.

V. O felices ac beatos, qui Divino Spiritu afflati ac sincero cordis affectu moti, veluti a Deo una cum Gabriele missi, ad Virginem pergunt, eamque cum Angelo salutant, reverentur, adorant et congratulantur ei vivo spiritu, pioque internae devotionis affectu! Non enim poterunt ab ipsa non resalutari. Laetus et voti compos discessit ab ea Angelus: sic et omnes qui cum Angelo Mariam salutant et laudant, non sine uberrima spiritus consolatione et donorum coelestium copiosis muneribus ab ea discedunt. Neque enim aut f a c u l t a s ei deest aut v o l u n t a s divinas gratias impertiendi, cum ipsa thesaurus effecta sit et fons gratiarum Dei inexhaustus. An non ipsa gratia plena et superveniente Spiritu Sancto multo plenior effecta, coelestes has divitias divinumque thesaurum Elisabeth et Ioanni impertita fuit? *Ut audivit salutationem Mariae Elisabeth, exultavit infans in utero eius: et repleta est Spiritu Sancto Elisabeth.*[67]

O felices, qui sic Mariam in cordis domum pia devotione recipiunt, nam ad vocem ipsius coelestium gratiarum copia procul dubio replebuntur. Sic propter arcam testamenti mirum in modum bene-

66a) Ms.: *Ignem.* 67) Lc 1, 41-44.

dixit Dominus domum Obededon;[68] divinis benedictionibus ditabitur quisquis Divinitatis vivam hanc arcam in cordis sui hospitio honorifice collocatam tenebit.

Salutemus, fratres carissimi, cum Gabriele Virginem Beatissimam, et multo copiosius ipsa nos pro sua humanitate resalutabit. Nam apud omnes etiam barbaras nationes in more positum est, ut salutantibus resalutantes copiosiora precentur; si felicem diem susceperint, felicem reddant diem et annum. Quis hoc ignorat? Quomodo ergo Virgo Sanctissima, quae item humillima et humanissima est, salutantes non resalutabit? Dicamus nos ei *ave*, demus ac nunciemus ei pacem, praedicemus beatam, congratulemur ei, et pacem nobis multo copiosiorem reddet. Laudemus nos eam, perpetuam ipsius pacem cum Deo perfectamque amicitiam, caritatem sanctitatemque celebrantes. Nam de ea vere ac unice dici potest quod perfectum fuit cor eius cum Deo, quod David Salomoni filio suo precatus fuit a Deo, *1 Paralip. 29;*[69] et ipse Salomon in suo publica oratione in templi dedicatione postulavit sibi et universo populo, *3 Reg. 8;*[70] hebr. autem *pacificum cor* est. Ipsa autem Maria pacem nobis reddet gratiae et consolationis, de qua dicitur: *Opus iustitiae, pax.*[71] *Pax multa diligentibus nomen tuum.*[72] *Loquetur pacem in plebem suam et super sanctos suos.*[73]

Salutemus et veneremur Virginem cum Gabriele Dei nuncio. Nam audeo dicere quod ex pia devotione et cultu in Virginem vel maxime Electi a reprobis internoscuntur, filii Dei a filiis diaboli, Ecclesia Christi a synagoga satanae. Honoravit semper Deus Optimus Maximus Sacratissimam Virginem tanquam Sponsam suam dilectissimam unicique Filii sui dignissimam Matrem; satana vero singulari studio acerrimoque odio eam est persecutus, sicut in *Apocalypsi* legimus, quia mundo edidit Salvatorem.[74] Hinc semper fideles Christi, tanquam veri filii Dei, Virginem Deiparam summo studio, singulari devotione, piissimo cultu semper sunt venerati. Templis, altaribus, sacris imaginibus, festis diebus ac maxime solemnibus concionibus in laudem ipsius sacrisque precibus eam pro viribus cohonestavit semper in Christi Ecclesia veneranda Deoque cara Antiquitas. tessera Electorum,

Satanae autem filii, infideles omnes multis blasphemiis et calumniis eam proscindunt, traducunt, pro virili deturpant; hinc vel maxime hodie veri Catholici ab haereticis hac veluti tessera dignoscuntur. Nam haeretici sacras Deiparae Virginis imagines de templis et Catholicorum,

68) Cf. 2 Rg 6, 11. 69) Cf. vr. 19. 70) Cf. vr. 61. 71) Is 32, 17. 72) Ps 118, 165 73) Ps 84, 9. 74) Apc 12, 1-18.

exturbant, festos dies in ipsius honorem dicatos cum ethnicis et Iudaeis contemnunt, ac impiae superstitionis, imo idololatriae Virginis cultores accusant et damnant. Et impius Calvinus, satanae primogenitus filius, Angelicam Salutationem in Ecclesia magicum exorcismum, impudentissime blasphemans, virulenta lingua appellavit.[75] Sed nil mirum. Nam haeretici, satanae spiritu imbuti, blasphemiae spiritu quam maxime turgent, sicut in *Apocalypsi* de Antichristo legimus quod *datum est ei os loquens magna et blasphemias... et aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen eius, et tabernaculum eius, et eos qui in coelo habitant.*[76] Sic divinum hoc tabernaculum de quo legimus: *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus,*[77] impie blasphematum fuit cum ab antiquis haereticis Antidicomarianitis,[78] tum a novatoribus sectariis Mariomastigis.[79]

Sed relinquamus impios in impietate sua, cum tenebris excaecatum habeant cor, et tradiderit eos Deus in reprobum sensum.[80] Nos cum Gabriele Dei nuncio Virginem salutemus ac veneremur. Hunc enim ducem sequentes, coelestem hanc columnam in deserto mundi huius cum fideli populo Dei[81] errare nequaquam poterimus. Ducem enim hunc secuti sunt sancti Dei homines in Virgine salutanda et honoranda: Athanasius in oratione *de Sanctissima Deipara,*[82] Gregorius Nazianzenus in tragoedia *Christus passus,*[83] Chrysostomus in *Liturgia,*[84] Ephraem diaconus *De Laudibus Virginis;*[85] Ambrosius,[86] Augustinus,[87] Fulgentius,[88] Damascenus,[89] Anselmus,[90] Bernardus,[91] pii omnes, universa tandem Ecclesia *columna et firmamentum veritatis.*[92]

sanctorum Patrum et Ecclesiae mos.

Mariam honoremus maxime cum salutatione angelica,

VI. Cum igitur praecipua et singularis in Virginem Christi Matrem devotio insigne sit verorum fidelium, tessera militum Christi, ne nos, quaeso, in hac piissima Deoque gratissima devotione frigidi

75) Cf. *Harm. Evang.* Lc 1, 28. Vol. 6. Ed. a. 1667, Amsterdam. 76) Apc 13, 5-6. 77) Ps 45, 5. 78) Haeretici saec. II et III qui Mariae virginitati usque adeo contradixerunt ut eam affirmaverint post Christum natum viro suo fuisse commixtam. 79) Mariomastigi, idest, calumniatores Mariae ex graec. μαστιξ *flagellum*, fig. *calumniator*. Sic indiscriminatim haeretici a D. Laurentio vocantur. 80) Cf. Rom 1, 28. 81) Cf. Ex 13, 21. 82) P. G. 28, 334 sqq. Apocriph. 83) P. G. 38, 1206 sqq. 84) P. G. 63, 902 sqq. 85) Tom. 1, pag. 569 sqq. 86) Cf. *Exposit. Evang. Lucae,* lib. 2. (P. L. 15, 1281 sqq.). *De Virginibus*, cp. 2. (P. L. 16, 164) et alibi. 87) Cf. *De Doctrina Christ.*, lib. 4. cp. 21. (P. L. 34, 113); *De Natura et Gratia*, cp. 36. (P. L. 44, 267) et alibi. 88) Cf. lib. *De Fide ad Petrum*, n. 17. (P. L. 65, 508); *Serm. in Purificationem Mariae.* (P. L. 65, 668). 89) Cf. *Homil. in Festos Deiparae.* (P. G. 96, 834-886). 90) Cf. *Orationes ad B. Virginem* (P. L. 158, 276-286). 91) Cf. *Serm. super Missus est* (P. L. 183, 733 sqq.) et *in Festos B. M. V.* (P. L. 183, 995 sqq.). 92) 1 Tim 3, 15.

aut tepentes simus; nam calidos ardentesque requirit Deus, qui ad hoc venit in mundum, ut ignem accendat, nec vult nisi ut ardeat.[93] Ardeat perpetuo coram Domino super altari cordis nostri coelestis hic ignis, et beati erimus. Ab omni enim malo nos Maria liberabit, votisque nostris pro materna sua caritate annuens, clientes suos patrona potentissima ac fidelissima proteget, servabit incolumes, multis ditabit et cumulabit bonis.

Salutemus, fratres, Deiparam Virginem attentissimis et religiosissimis animis angelica hac salutatione, qua eam Gabriel multis laudibus exornavit, et meditemur eam, quoniam haec totius Evangelii compendium est, et Redemptionis nostrae mysterium, nostraeque salutis exordium in ea continetur. Meditemur eam ad renovandam iugiter memoriam maximi ac divinissimi mysterii, quo Deus homo factus est, et: *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum Unigenitum daret.*[94] Meditemur eam, quia in ea divinorum promissorum confirmatur fides; nam quod Patriarchis olim Deus promiserat de Messia salvatore mittendo Filioque suo Unigenito dando, nunc implet. Meditemur eam, quia in ea continentur coelestia dona, quibus a Deo Maria super omnem creaturam ditata est. Meditemur eam, ut in hac meditatione talium tantorumque beneficiorum accendatur in nobis divini amoris ignis, animusque noster excitetur ad gratias Deo digne agendas.

quia ipsa est redemptionis nostrae compendium,

Ex corde tandem salutemus Virginem angelica hac et evangelica salutatione, ut per nos et in nobis Virginis ipsius vaticinium impleatur: *Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est.*[95] *Cogitabat* Virgo Divinissima *qualis esset ista salutatio,*[96] cogitemus et nos intensissimis mentibus. Maria conferebat conservabatque in corde suo verba divinus audita,[97] sicut Regius Vates agebat: *In corde meo abscondi eloquia tua,*[98] utique tanquam inaestimabilem thesaurum; faciamus et nos. *Cogitabat qualis esset ista salutatio,* quantis mysteriorum et sacramentorum ponderibus gravida!

et fiet praemium.

93) Cf. Lc 12, 49. 94) Io 3 16. 95) Lc 1, 48-49. 96) Ibid. 1, 29.
97) Cf. ibid. 2, 19. 51. 98) Ps 118. 11.

SERMO SECUNDUS

DE SALUTATIONE ANGELICA IN GENERE

Ave, gratia plena, etc. [1]

De prima muliere quatuor dicuntur similis primo homini, et coniuncta, cum eo benedicta, mater omnium.

I. Sicut de prima muliere in Sacris Litteris legimus quod manu Dei aedificata fuit in mulierem, et quatuor de ea specialiter describuntur, quasi fuerit, ut solent esse aedificia domorum, quadrangulare aedificium: primum est quod fuerit facta divinitus similis primo homini: *Non est bonum hominem esse solum; faciamus ei adiutorium simile sibi* [2] *quasi coram ipso;* alterum est coniugium, coniunctio, consortium ipsius cum primo homine: *Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea; haec vocabitur Virago,* quia *de viro sumpta est,* propter hoc *relinquet,* etc.; [3] tertium est benedictio cum primo homine: *Masculum et feminam creavit eos; et benedixit eis, dicens: Crescite, et multiplicamini, et replete terram... et dominamini piscibus maris et volatilibus coeli et bestiis universaeque terrae;* [4] et quartum est maternitas ipsius: *Vocavit... eam Evam, eo quod mater esset cunctorum viventium;* [5] ita sane de prima muliere Ecclesiae Dei, Maria, quae prima omnium in Christum credidit, Christumque adoravit, aedificataque fuit in templum Dei et habitaculum Spiritus Sancti, sicut arca testamenti, sicut tabernaculum Moysis, sicut templum Salomonis, quadrangulari figura aedificata fuit.

De Maria item quatuor: similis Christo, et coniuncta, benedicta, mater omnium.

1) Lc 1, 28. 2) Gn 2, 18. Vulg. habet: *Esse hominem solum.* Verba: *Quasi coram ipso* ex hebr. 3) Ibid. 2, 23. 4) Ibid. 1, 27-28. Vulg. habet: *Benedixitque illis Deus et ait.* Et loc.: *Bestiis* etc. habet: *Universis animantibus quae moventur super terram.* 5) Ibid. 3, 20.

II. Et quatuor de ipsa dicuntur. Primum, quod sit *gratia plena;* per gratiam autem similes Deo efficimur, sicut luna soli per lumen; Maria simillima Christo, primo homini, sicut luna plena soli: Christus plenus gratia, [6] Maria *gratia plena.* Alterum est coniunctio cum Deo: *Dominus tecum.* Tertium, benedictio: *Benedicta tu in mulieribus,* sicut: *Benedictus fructus ventris tui.* [6a] Quartum est maternitas divina: *Benedictus fructus ventris tui.* Quis autem fructus est? *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* [7] Mater Christi, Maria. Et sicut Eva mater dicta est cunctorum viventium; ita Maria mater omnium Christianorum, qui membra sunt Christi; [8] unde Ecclesia dicta est corpus Christi; [9] et cum Saulus Christianos persequeretur, audivit a Domino: *Saule, Saule,* cur *me persequeris?* [10] Et a Christo in cruce facta fuit in Ioanne mater cuiuscumque Christiani. [11]

6) Cf. Io 1, 14. 6a) Lc 1, 42. 7) Ibid. 1, 43. 8) Cf. 1 Cor 6, 15; 12. 1. 27. 9) Cf. Col 1, 24. 10) Act 9, 4. 11) Cf. Io 19. 25-27.

SERMO TERTIUS

DE SACROSANCTO MARIAE NOMINE

Ave, gratia plena. Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus,[1] *et benedictus fructus ventris tui.*[2]

Gabriel Angelus reverentia silet Mariae nomen. Maria soror Moysis typus Deiparae.

I. Mirum videtur, fratres, cum Gabriel, Dei nuncius, ad Virginem pronubus et paranymphus destinatus, salutans eam, proprio nomine expresso non salutavit; non enim dixit Angelus: *Ave, Maria,* sed: *Ave, gratia plena.* Neque ab Angelo Virginis didicimus nomen, sed ab Evangelista: *Et nomen,* inquit, *Virginis, Maria.*[3]

Salutant et laudant Seraphim apud Isaiam divini Numinis maiestatem, nec tamen divinum nomen silent, sed exprimunt: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus exercituum: plena est omnis terra gloria eius.*[4] Dominus enim exercituum proprium Dei nomen est, quod Graeci *tetragrammaton;* dicunt, et Hebraei *scem hamephoras nomen expositum.* Non enim nominare audent, nec licere sibi arbitrantur, imo nemini licuisse existimant, nisi tantum summo pontifici semel in anno cum in sanctum sanctorum ingrediebatur, populumque benedicebat in die expiationis.[5] Sic Isaias pollutum labiis se dicebat, indignumque arbitrabatur divinum nomen immundo ore assumere.[6] Nam Deus ipse tanti fecit nomen suum, ut nec sanctissimis Patriarchis illud manifestarit, sicut Moysi dixit: *Ego* sum Deus *qui apparui Abraham, Isaac et Iacob in Deo omnipotente, et nomen meum Adonai, tetragrammaton, non indicavi*

Reverentia Hebraeorum erga divinum nomen.

1) Lc 1, 28. 42. 2) Ibid. 1, 42. 3) Ibid. 1, 27. 4) Is 6, 3.
5) Cf. Ex 30, 10. 6) Cf. Is 6, 5.

eis.[7] Manifestavit autem Moysi, sed prius nudare illum pedes voluit, ut, summa cum reverentia ad Deum accedens, illud audiret.[8] Nam in signum reverentiae nonnisi nudis ac etiam lotis pedibus sacerdotes in sanctuarium Domini ingrediebantur.[9] Iosue etiam coram Angelo Domini pedes nudavit.[10] Sic Deus Moysem summa cum reverentia voluit, ut divinum nomen sacratissimum et secretissimum audiret.

Hac forte de causa Angelus, ob summam, inquam, reverentiam, sacratissimum Mariae nomen ausus non est nominare. Existimo enim quod post Christi Mariae nomen sit super omne nomen, ipsis etiam Angelis reverendum et adorandum. Neque existimandum est gloriosum hoc Mariae nomen non abundare mysteriis, aut illi non esse divinitus impositum sicut Christo[11] et Ioanni Baptistae.[12] Nam si in nominibus mysteria nulla laterent, non mutasset Deus nomina Abrahamo,[13] Sarae,[14] et Iacob,[15] nec Christus Apostolorum principem novo nomine Petrum appellasset.[16]

Reverentia Angeli erga Mariae nomen.

Non est autem gloriosum hoc nomen in Sacrarum Litterarum arcanis ignotum omnino et inauditum. Nam soror Moysi, prophetis sanctissima ac omnium israelitidum mulierum nobilissima princeps, hoc nomine appellata fuit,[17] ut ipso etiam nomine illustris typus et clara esset figura Deiparae Virginis. Nam et illam quidem virginem legimus,[17a] viro autem copulatam aut matrem filiorum non legimus; quare imago quaedam divinae huius Virginis in ea praeluxit. Clara fuit illa et illustris nobilitate generationis ex semine Abrahae, ex tribu Levi, a Deo singulariter electa divinoque cultui dedicata; filia Amram et Iochabed, germana soror et unica summorum Synagogae principum Moysis et Aaronis;[18] clara virginali praeconio, clara spiritu prophetico et vaticinio, clara singulari in Deum religione et pietate. Nam ex Aegypto egressa, marique Rubro siccis pedibus magno miraculo transmisso, ac Pharaone cum omnibus suis copiis divina ultione submerso, ut pro tali tantoque beneficio gratias Deo dignas exolveret: *Sumpsit,* inquit Sacrum Eloquium, *Maria prophetissa, soror Aaron, tympanum in manu sua, egressaeque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis, quibus praecinebat, dicens: Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem*

Soror Moysis Maria nominata, quia typus Virginis Deiparae.

7) Ex 6, 3. 8) Cf. Ibid. 3, 5. 9) Cf. ibid. 30, 19. 10) Cf. Jos 5, 16. 11) Cf. Lc 1, 31. 12) Ibid. 1, 13. 13) Cf. Gn 17, 5. 14) Cf. Ibid. 17, 15. 15) Cf. Ibid. 32, 28. 16) Cf. Mc 3, 14. 17) Cf. Ex 15, 20. 17a) Cf. Ex 2, 8. Ubi hebr. est *almah virgo.* 18) Cf. Nm 26, 59.

proiecit *in mare.*[19] Sic ad laudandum Deum, principem ducemque se praestitit ac veluti piarum mulierum antesignanam, sicut Moyses et Aaron virorum erant coryphaei et archimandritae.

Quis autem nescit quod *omnia in figura contingebant illis?*[20] Fuit illa divinae huius Mariae delineata quaedam imago, adumbrata figura. Illa luna fuit in tenebris lucens, haec autem mulier est *amicta sole,*[21] nullis maculis respersa sicut illa, quae divinitus lepra infecta fuit, quia in sanctissimum fratrem Moysem murmurando in Deum ipsum peccavit.[22] Maria haec *pulcra ut luna* est, *electa ut sol,*[22a] supra omnem sub Deo creaturam purissima, sacratissima et corpore et spiritu nobilissima.

Mariae nomen syriace *domina* significat, ob principatum super omnes creaturas.

II. Quod autem spectat ad divinum hoc nomen *Mariae,* scio Hebraeis מרים, *Miriam* appellari; scio a Luca scriptum esse: *Et nomen Virginis* Μαριάμ, *Mariam,*[23] desinens sicut Adam, sicut Abraham, sicut Ioram; sed scio etiam ab aliis Evangelistis dictam esse *Maria,*[23a] hebraica asperitate nonnihil emollita, sicut etiam a Septuaginta Interpretibus factum fuit in nomine Mariae, sororis Moysi.[24] Neque enim opus est hebraea nomina hebraeo spiritu et modo pronunciare, sicut nec latina quidem, vulgari sermone dum loquimur, latine pronunciamus: nam omnes linguae suo iure et certa pronunciatione utuntur.

Verum enimvero cum origine hebraicum vel syriacum nomen sit, inde iuxta etymon sumenda eius nominis interpretatio est, in quo divina existimamus, nec pauca quidem, latere mysteria. Et syriace quidem, qua lingua tunc temporis post babylonicam servitutem vulgo quam plurimum utebantur Hebraei, nomen hoc *dominam* significat *maris; Mar* enim Syris *Dominus* dicitur, unde *Maranatha, Dominus noster venit;* sic *Danielis* 2, 4, 5 cap. legitur.[24a] Et iure optimo Deiparae Virgini haec interpretatio competit. Ipsa nanque ut Summi Dei Sponsa et Christi Mater vere creaturis omnibus praefecta est, omniumque creaturarum dominio et principatu donata, sicut Ioanni in coelo visa fuit stellis coronata. Hinc dilectissima summi patriarchae Abrahami uxor appellata est *Sarah,* idest, *princeps, domina;*[25] Maria autem vera Summi Dei Sponsa est, qui

Maria creaturis omnibus praefecta.

19) Ex 15, 20 sqq. 20) 1 Cor 10, 11. 21) Apc 12, 1. 22) Cf. Nm 12, 1-15. 22a) Ct 6, 9. 23) Lc 1, 27. 23a) Cf. Mt 1, 16, 18; 2, 11; Mc 6, 3. 24) Ita habet semel (Num 12, 1) cod. Ambr. 24a) Cp. 2, 47; cp. 4, 14; et alibi; cp. 5, 23. 25) Cf. Gn 17, 15.

verus est *Abraham, Pater excelsus, ex quo omnis paternitas in coelo et in terra nominatur.* [26] Sic in Ecclesia Dei Virgo Sanctissima saepe nunc Regina coelorum, nunc Domina Angelorum in sacris precationibus et divinis laudibus appellatur.

III. Hebraice autem sacratissimum hoc nomen multiiuga interpretatione ditissimum est. Nam a radice מרה *marah*, est *amaritudo maris*, sive *amaritudinis mare;* a radice מור est *myrrha maris*, sive *odor maris*, aut *odoris mare;* vel a מארה, quod significat *visionem*, ut sit *visio maris;* vel etiam a מורה, quod significat *doctrinam* et *pluviam temporaneam*. Deduci etiam potest a *marom exaltatione*, nam in voce, מרים integrum est Mariae nomen sine punctorum notis; est autem *merim* idem ac *exaltans;* item a *maor*, quod est *luminare*, ut sit *luminare maris*. Potest etiam esse a מר, quod est *gutta, stilla aquae, Isaiae 40,* [27] et *Ecclesiastici 18.* [28] Quantas divitias, quales thesauros intra se reconditos tenet hoc Mariae ineffabile et, ut ita dicam, incomprehensibile nomen!

Mariae nomine hebraice significatur: *visio maris, mare amaritudinis, mare myrrhae, pluvia maris, mare doctrinae, gutta maris.*

Certum autem est quod per mare, aquarum immensam abyssum et vastissimum pelagus magnitudo designatur; unde ait: *Magna est velut mare contritio tua.* [29] Sic Deus apud Iob dicitur: *Excelsior coelo et latior mari.* [30] Sic maximum illud vas aquarum in templo Salomonis, a magnitudine appellatum *mare* fuit. [31] Et hanc ob causam mundus hic in Sacris Litteris mare magnum nuncupatur. [32]

Mariae igitur nomen a *mari* sumptum videtur, ut vel *visio maris*, vel *luminare maris*, aut *mare odoris*, sive *mare amaritudinis*, aut *amarum mare* dicatur ob immensam divinamque ipsius magnitudinem.

Mariae nomen a *mari* sumptum ob divinam ipsius magnitudinem, ob coelestis vitae rationem.

Visio maris, nam et rotae divini currus, apud Ezechielem, [33] erant sicut *visio maris;* et corpus Angeli, apud Danielem, [34] *sicut chrysolitus* sive *tharsis* ut est in hebraeo, idest, sicut *mare*, unde *naves Tharsis.* [35] Mare enim, a longe, caerulei ac coelestis coloris apparet; sic igitur appellata Virgo est ob coelestis vitae rationem. Nam sicut Paulus ait quod *primus homo de terra terrenus, secundus homo de coelo coelestis;* [36] ita dicere possumus quod prima mulier de terra terrena, secunda mulier de coelo coelestis: fuit tota Christo simillima.

26) Eph 3, 15. 27) Vr. 15. 28) Vr. 2.
29) Thren 2, 13. 30) Job 11, 8-9. 31) Cf. 2 Par 4, 2. 32) Potius apud Patres, e quibus cf. D. August. *De Civitate Dei*, lib. 20, cp. 16. (P. L. 41, 682); D. Bernard. *Serm. De Aquaeductu*, n. 6. (P. L. 183, 1014). 33) Cf. 1, 16.
34) Cf. 10, 6. 35) Cf. Ps 47, 8, sive *naves maris*, ut aliquando Vulg. scribit (Is 23. 14; Ez 27. 9. 25); ut indicet earum magnitudinem mari traiciendo idoneam. 36) 1 Cor 15, 47.

ob spirituale martyrium.

Mare etiam *amaritudinis* dicitur, ob spirituale martyrium in Filii passione: *Ecce positus est hic in signum cui contradicetur, et tuam ipsius animam pertransibit gladius.*[37] Vere magnus sicut mare fuit dolor ipsius, sicut maxima[37a] supra quam dici potest caritas ipsius erat erga Christum.

ob abundantiam gratiarum.

Adhuc autem *mare myrrhae* sive *odoris*, ob divinarum gratiarum copiam et, ut dicam, infinitam abundantiam; unde *gratia plena* salutatur; *mare odoris, mare virtutis: Christi bonus odor sumus in omni loco.*[38] Et: *Domus* plena est *ex odore unguenti.*[39] *In odorem unguentorum tuorum currimus.*[40]

Sic etiam dicitur *pluvia maris*, idest, adeo copiosa coelestium aquarum abundantia in eam descendit, ut mare ac veluti noeticum[40a] diluvium effecerint.

Sic etiam *doctrinae mare*, sicut scriptum est: *Replebitur terra scientia Domini,* sicut *aquae maris operientes,*[41] et quod *dedit... Deus sapientiam Salomoni et latitudinem cordis* velut *arenam quae est in littore maris.*[42]

Maria *gutta maris* ob humilitatem.

Sed mirabile est quod etiam *stilla* sive *gutta maris* interpretatur divinum hoc nomen. Quomodo *mare* Maria, *si gutta maris?* Utrumque verum est. Magna erat velut mare, et parva sicut gutta maris; magna in oculis Dei, sicut de Ioanne Baptista legimus: *Erit enim magnus coram Domino:*[43] sed parva in oculis suis: *Quia,* inquit, *respexit humilitatem ancillae suae.*[44] Christo enim simillima erat, qui exinanivit semetipsum;[45] unde et aiebat: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.*[46] Videtis quanta in nomine Mariae mysteria!

Nomen Mariae significat etiam *rebellio eorum*, h. e. Angelorum; et *exaltans*.

IV. Sed adhuc aliud in eo videre mihi videor; nam *miriam* hebr. est, iuxta linguae proprietatem, *rebellio eorum;* integrum enim legimus, Nehemiae 9, *bemiriam, propter rebellionem eorum.*[47] Sed quidnam est *rebellio eorum?* Consideremus quod nomen est Matris Dei; Dei, inquam, humanati: *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit.*[48] Est autem Deus summus rex; Angeli autem, licet natura nobilissimi, servi tantum Dei sunt: *Omnes sunt ministratorii spiritus.*[49] *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei.*[50] Sic in ministerium Dei per scalam coelestem ascendebant et descendebant Angeli.[51]

37) Lc 2, 34-35. 37a) Ms.: *Maximus.* 38) 2 Cor 2, 15. 39) Io 12, 3.
40) Ct 1, 3. 40a) Ms.: *Noaticum.* 41) Is 11, 9. 42) 3 Rg 4, 29.
43) Lc 1, 15. 44) Ibid. 1, 48. 45) Phil 2, 7. 46) Mt 11, 29.
47) 9, 17. 48) Hebr 2, 16. 49) Ibid. 1, 14. Vulg.: *Administratorii.*
50) Dn 7, 10. 51) Gn 28, 12.

Iussit autem Angelis Deus, ut Unigenitum Filium suum hominem etiam factum adorarent: *Et cum iterum,* inquit, *introducit Primogenitum suum in orbem terrae, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.*[52] Sic, nato Domino, Angeli de coelo sancti descenderunt ad adorandum eum: *Facta est cum Angelo multitudo... coelestis* exercitus *laudantium Deum et dicentium: Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis.*[53] Sic in deserto, superata omni tentatione, accesserunt Angeli et ministrabant ei,[54] quoniam sic iussum imperatumque illis erat a Deo.

Iussit Deus Angelis ut Filium suum hominem factum adorarent.

Satanas autem cum angelis suis apostaticis, audito[54a] divino hoc mandato, in superbiam elatus, parere noluit, indignumque existimavit, ut Angelus, natura nobilissimus, hominem adoraret, atque seipsum Deitate dignum arbitratus, dixit: *Ascendam in coelum: super astra Dei exaltabo solium..., similis ero Altissimo.*[55] Sic magnam movit seditionem in coelo, turbasque et tragoedias excitavit; sic multi Angelorum adhaerentes ei eiusque partes suscipientes, defecerunt a Deo, factique sunt Principi et Creatori suo rebelles. Causa autem vel occasio rebellionis huius, Unigeniti Filii Dei incarnatio in Maria fuit, quia Deus Christum hominem et Mariam super Angelos omnes exaltare constituit.

Satanas et angeli sui rebelles.

Hinc etiam Mariae nomen, ut diximus, *exaltans* interpretatur, sicut in *Psalmo 3: Umerim rosci, exaltans caput meum,*[56] ubi Deus ipse dicitur *exaltans.* Mariam enim Deus non solum super omnes terrenas et coelestes, humanas et angelicas creaturas exaltavit; sed si adhuc Deus innumeros alios Angelos supra Cherubim et Seraphim, divinissimos spiritus crearet, iuxta numerorum infinitam seriem, Maria Virgo, ut Sponsa Dei et vera Christi Mater, omnibus semper multo superior esset. Nam si omnes crearentur Angeli, quos Deus infinita sua potestate creare posset, semper nonnisi ministri Dei essent, et Maria mater; tanto igitur melior Angelis effecta est, quanto differentius prae illis nomen hereditavit.[57]

Maria super Angelos exaltata.

Quoniam igitur haec talis et tanta humanae naturae in Virgine et Christo filio eius exaltatio in causa extitit seditionis ac rebellionis Angelorum in coelo, propterea Virgo Deipara hoc nomen accepit *rebellio eorum,* sive etiam *mutatio eorum.* Nam, eam ob causam, seditiosi spiritus in teterrimos daemones mutati coeloque expulsi, in

52) Hebr 1, 6. 53) Lc 2, 13-14. 54) Cf. Mt 4, 11. 54a) Ms.: *Auditi.* 55) Is 14, 13-14. Vulg. habet: *In coelum conscendam.* 56) Vr. 4. 57) Allud. ad Hebr. 1, 4.

tartarea regna coniecti sunt in aeternum, ut rebellionis suae dignas poenas perpetuo cum suo principe Lucifero luant.

Quare mysteria, quae in suo nomine continentur, aperuisse ac reserasse visa est Deipara Virgo, cum in suo Cantico, Spiritu Sancto afflata, dixit: *Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui, deposuit potentes de sede et exaltavit humiles;* [58] sicut etiam per Ezechielem Dominus ait: *Ego Dominus humiliavi lignum sublime, et exaltavi lignum humile.* [59] Duo enim haec continentur in Mariae nomine: humiliatio ac deturbatio superbientium Angelorum de sublimi coelorum habitaculo, et humilium super astra exaltatio, maxime Christi et Genitricis eius Sanctissimae, quae una cum ipso vere humillimo spiritu et corde fuit; ideo maxime exaltata altissimoque coelestis gloriae gradu divinitus donata.

Maria ex ipso suo nomine daemonibus terribilis.

Existimo autem, fratres, quod, vel hoc ipso suo nomine, Maria sit cacodaemonibus terribilis et formidabilis; recordantur enim unde exciderint, ac deturbati sint in poenam rebellionis suae. Hinc ipsa daemonibus vere est mare amarum, sicut mare Rubrum Hebraeis iucundissimum et optatissimae salutis ac libertatis causa, Pharaoni et universis Aegyptiorum copiis vade amarum fuit, cum in ipso perierint, et in profundum inferni demersi fuerint. Sic Maria Electis Dei *mare* est *odoris suavissimi*, daemonibus autem *mare amaritudinis*.

Maria significat etiam *luminare maris*, quia mundi, Ecclesiae, paradisi lux et gaudium.

V. Tandem adest nobis illa nominis huius interpretatio: *luminare maris* aut *luminare eorum.* [59a] Dedit Deus divinum quoddam lumen Hebraeis in deserto ad fugandas tenebras noctis, unde Regius Vates: *Deduxit eos in nube diei, et tota nocte in illuminatione ignis;* [60] et alibi: *Expandit nubem in protectionem eorum, et ignem ut luceret eis per noctem.* [61] Maria vere luminare mundi est, luminare Ecclesiae, luminare paradisi, quoniam *mulier amicta sole est,* [62] et lumen mundo peperit infinitum.

Luminare eorum.

Luminare Hebraeis dicitur *maor*, quod est *ex lumine*, idest, lucida constans natura, lucida substantia. Hinc etiam *foramen*, per quod lumen in locum aliquem ingreditur, sive *fenestra* dicitur *meurah.* Nam forte fortuna luminaria coeli huius nihil aliud sunt quam foramina quaedam et fenestrae, per quas a superiori coelo, quod nobis est invisibile, in mundum hunc nostrum lumen transmit-

58) Lc 1, 51-52. 59) 17, 24. 59a) Cf. Ex 14, 19 sqq. 60) Ps 77, 14.
61) Ps 104, 39. 62) Apc 12, 1.

titur, universi ornamentum et gaudium. Sic Maria luminare mundi est, aureum candelabrum, quod multis gratiarum luminibus sacrosanctum Dei habitaculum illuminat et illustrat. Sic ipsa nobis facta est coeli fenestra, per quam aeternum coeli Lumen in mundum advenit: *Ego sum lux mundi;* [63] *Erat lux vera quae illuminat omnem hominem* v e n i e n s *in hunc mundum;* [64] nam sic ex graeco interpretari potest. Ipsa Maria unica fenestra est arcae Noe, in qua humani generis reliquiae ac semina servata a magno diluvio fuerunt. *Luminare mundi* causa omnis consolationis et gaudii, sicut regina Esther fuit Iudaeis; ipsa enim veluti *nova lux oriri eis visa est, gaudium honor et tripudium.* [65] Summa nanque erat Iudaeis causa laetitiae, quod apud regem maximum ac potentissimum imperatorem reginam Esther haberent, natura iudaeam, quae pro salute populi sui vitae discrimini seipsam exposuit, quae apud potentissimum illum principem nihil non poterat, cum ab eo ob singularem gratiam ac pene divinam pulcritudinem summe adamaretur. [66]

Maria *luminare mundi*, idest, causa omnis gaudii.

Qualis igitur nobis est causa laetitiae cum apud Summum Regem regum, Deum Altissimum aeternumque universi Imperatorem Mariam habeamus, quae apud divinam Maiestatem multo potentior est, quam unquam fuerit Esther apud Assuerum? Et cum apud Deum nihil non possit, nos omnes, non dicam civica, uti ex nostra carne, ex nostro sanguine, sed materna prosequitur caritate, intima, vera, cordiali dilectione, qualis parentum est erga carissima pignora. An non pro nobis in vitae discrimen Maria venit, cum iuxta crucem Christi stetit, eum, uti vero Abrahae spiritu plena ac superplena, Deo spiritu vere sacrificans, et pro mundi salute vera caritate offerens? *Stabat iuxta crucem,* [67] utique spiritus virtute fulta, spiritu sustentata. Mariae spiritus erat spiritualis sacerdos, sicut crux altare, et Christus sacrificium; licet spiritus ipse Christi esset principalis sacerdos, sed spiritus Mariae una erat cum spiritu Christi; imo unus cum eo spiritus erat, una veluti anima in duobus corporibus. Quare spiritus Mariae una cum spiritu Christi sacerdotali munere iuxta aram crucis fungebatur, Christique sacrificium offerebat pro salute mundi aeterno Deo. O mirabilem, o vere divinam Mariae erga nos caritatem! De ipsa nanque, uti et de Deo, cui spiritu simillima erat, vere dicere possumus quod *sic... dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum non pereat,*

Mariae spiritus sacerdotali munere fungens.

63) Io 8, 12. 64) Ibid. 1, 9. 65) Est 8, 16. 66) Cf. ibid. 2, 17.
67) Io 19, 25. Vulg. habet: *Stabant*, etc.

sed habeat vitam aeternam.[68] Quae igitur toti mundo causa laetitiae et gaudii est, apud omnipotentem Deum talem tantamque habere patronam et advocatam, quae apud Deum nihil non potest, et nobis materna caritate nullum non desiderat, non exoptat bonum? Sic Maria mundi luminare est, coeleste plane et divinum supra modum mirabile, sicut de sole legimus: *Vas admirabile, opus Excelsi.*[69]

Maria significat etiam *stella maris* ob protectionem in procellis maris mundi huius.

VI. *Luminare* etiam *maris*, sive, quod idem est, *stella maris* dicitur Maria; stella splendidissima orta ex Iacob, stella navigantium in fluctibus magni maris mundi huius, qui quidem omni mari instabilior ac longe periculosior est. Haec navigationis nostrae cursum dirigit in portum salutis aeternae, sicut stella Magos duxit ad Christum, et sicut columna ignis per noctem Hebraeos in terram promissionis dirigebat, iterque securum praebebat.

De *stella* hac *maris* multa devotissimus Bernardus praeclare et luculenter, ut solet: « Tolle, inquit, solare corpus, ubi dies? Tolle Mariam, hanc maris stellam, maris utique magni et spatiosi, quid nisi caligo, mortis umbra et densissimae tenebrae relinquuntur? ».[70] Et alibi: « Maria, inquit, sideri aptissime comparatur, quia, sicut sine sui corruptione sidus emittit radium, sic absque sui laesione Virgo suum peperit Filium; nec sideri radius suam minuit claritatem, nec Virgini Filius suam integritatem. Ipsa est igitur nobilis illa stella ex Iacob orta, cuius radius universum orbem illuminat, cuius splendor et praefulget in supernis, et inferos penetrat; terras etiam illustrans et calefaciens magis mentes quam corpora, fovet virtutes, excoquit vitia. Ipsa, inquam, est praeclara et eximia stella super mare magnum et spatiosum sublevata, micans meritis, illustrans exemplis ».[71]

Ex ipso etiam Bernardo habemus quid agendum nobis sit cum hac stella maris: « Ne avertas, inquit, oculos tuos a fulgore huius sideris, si non vis obrui procellis ». Et item: « Si insurgunt venti tentationum, si incurris scopulos tribulationum, respice stellam, invoca Mariam ».[72]

Maria stellarum splendidissima.

Sic stella maris Maria, stella utique splendidissima, atque altissima, ad quam sic Anselmus exclamat: « O benedicta inter mulieres, quae Angelos vincis puritate, Sanctos superas pietate ».[73]

68) Io 3, 16. 69) Eccli 43, 2. 70) *Serm. de Aquaeductu*, n. 6. (P. L. 183, 1014). 71) *Homil. 2 super Missus est*, n. 17. (P. L. 183, 743). 72) Ibid. 73) *Orat. 50 ad Virginem*, ante medium. (P. L. 158. 279).

Omnes quidem Sancti et Electi Dei in coelo erunt *sicut stellae in perpetuas aeternitates.*[74] *Multiplicabo semen tuum sicut stellas coeli.*[75] Sed quales stellae? *Fulgebunt Iusti sicut sol in regno Patris eorum;*[76] Maria autem stella est insignis et singularis, omnium altisima, fulgidissima, splendidissima, virtute et influxu omnium maxima.

Maria significat etiam *myrrha maris* ob Virginalem incorruptionem in se et pro omni hominum genere.

VII. Sic igitur Mariae nomen instar thesauri multas continet divinorum mysteriorum coelestes divitias; ita ut ingentem hunc thesaurum nec totum adhuc ex agro hoc, in quo absconditus ac reconditus manebat, extraxerimus; neque enim diximus cur *myrrha maris* aut *mare myrrhae* dicatur. Existimo autem quod propter virginalem incorruptionem mentis et corporis, et quod ipsa quoque virginitatis suae merito specialem quandam a Deo habeat facultatem, ut fidelibus suis incorruptionem tribuat carnis et spiritus, sicut myrrha praeservat mortua corpora a corruptione; nam Christi corpus in sepulcro myrrha conditum fuit;[77] sicut etiam corpus patriarchae Iacob in Aegypto odoratis aromatibus conditum honorificentissime fuit.[78] Sentimus omnes pugnam carnis contra spiritum recalcitrantis, nam *caro... concupiscit adversus spiritum;*[79] sentimus in membris nostris legem repugnantem legi mentis et spiritus.[80] Hac autem in re ut vincamus, Virgo Deipara magno nobis est praesidio, magno auxilio. *Myrrha maris; Aquae* multae... *populi multi.*[81] Omne hominum genus, si ipsi velint, posset Virgo Deipara a perniciosa ac pestilente carnis et spiritus corruptione praeservare; sicut ipsa divinitus ab omni contagione peccati praeservata fuit, ita ut ne levissimo quidem unquam inficeretur peccato.

Ad Mariam recurramus.

Dum ergo sentiamus nos a satana tentationum machinis ac tormentis impugnari, quibus nequam ille satagit arcem mentis nostrae ac davidicam turrim fidei et caritatis expugnare, dum bellum hoc ardet et urget, ad Mariam recurramus, Hebraeos imitati, qui in bello contra Philisthaeos arcam Domini secum in castris habere voluerunt,[81a] in quam salutis suae spem omnem conieccrant et reposuerant. Illa nanque fideli populo in gravibus bellis victoriam contra potentissimos hostes infensissimosque praestare consueverat.[82] Illa Philisthaeos percussit et humiliavit, deumque ipsorum capite, manibus pedibusque truncatis, de suo loco deturbavit, ac in terram

74) Dn 12, 3. 75) Gn 22, 17. 76) Mt 13, 43. 77) Cf. Io 19, 39.
78) Cf. Gn 50, 2. 79) Gal 5, 17. 80) Cf. Rom 7, 23. 81) Apc 17, 15.
81*a*) Cf. 1 Reg 4, 3-5. 82) Cf. Jos 6, 1-21.

Maria Divinitatis arca.

prostravit.[83] Sic viva haec Divinitatis arca potentissima est contra invisibiles salutis nostrae inimicos; terribilis ac formidabilis daemonibus ac tartareis quibuscumque potestatibus, ut potentissima acies militum invictorum, qualis fuit Hebraeorum exercitus Chananaeis populis, Iordane transmisso sicco vestigio;[84] hinc ipsa dicitur *terribilis ut castrorum acies ordinata.*[85] Terribilis est daemonibus, sicut myrrha vermibus, quam ferre nullo pacto possunt.

Maria mare gratiae.

Ave, Maria. A mari magno sic dicta est, in quod influunt omnia flumina gratiarum; hinc enim subiungitur: *Gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus:* mare gratiae, mare divinae bonitatis, mare divinarum benedictionum. Quis unquam, fratres, dubitare potest, nisi amens omnino, de aquis maris, an aquas sit inventurus in mari? Ita nos cum ad Mariam accedimus, ne de ipsius gratia et misericordia vel minimum dubitemus, quoniam Mater est gratiae, Mater misericordiae, Mater clementiae, abyssus bonitatis, pelagus benignitatis.

Argumentatur Paulus dicens: *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?*[86] Sic, inquam, si Maria, quae unus cum Deo spiritus erat,[87] sic mundum dilexit, *ut Filium suum Unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam;* si, inquam, pro nobis Filium unicum dedit, quid nobis negabit? Multo carior erat Mariae Christus, quam Abrahamo Isaac; dedit tamen illum Deo, pro sua in Deum eximia caritate et pietate.[88] Quid non, postulatus, dedisset Deo, si filium carissimum dedit? Ex eo ait Deus se cognovisse pietatem Abrahae;[89] cognoscamus et nos hinc infinitam caritatem Mariae.

83) Cf. 1 Rg 5, 1-2 sqq. 84) Cf. Jos cp. 8 sqq. 85) Ct 6, 3. 86) Rom 8, 32. Ms.: *Donabit.* 87) Cf. 1 Cor. 6, 17. 88) Cf. Gn 22, 1-10. 89) Cf. Gn 22, 12.

SERMO QUARTUS

DE GRATIAE PLENITUDINE IN MARIA EX VERBIS SALUTATIONIS:

Ave, gratia plena

Ave, gratia plena.[1]

I. Primum quod legimus de prima muliere est quod facta fuerit similis primo homini;[2] sic et Maria similis Christo. Ut sciamus autem quid similitudo ista importet, advertendum quod homini Deus tria cum primis contulit: quoad animam quidem, iustitiam originalem, magnum Spiritus Sancti donum, per quod erat Deo similis; quoad corpus, donum immortalitatis; quoad utrumque, donum perpetuae felicitatis in paradiso, absque ulla unquam molestia vere carnis vel spiritus. In his autem omnibus mulier similis facta fuit homini. Habuit etiam ipsa donum iustitiae originalis et innocentiae, donum immortalitatis et donum perpetuae felicitatis.

Eva Adamo similis in gratia iustitiae originalis, immortalitatis, felicitatis.

Quoniam autem Maria similis Christo a Deo facta est, quare et ipsa dicitur *gratia plena* sicut Christus, dicendum nonnihil est de gratia Christi. Ioannes ait quod *Verbum caro factum est..., plenum gratiae et veritatis.*[3] Sicut sol creatus fuit plenus luce ad illuminandum universum mundum, ita ait: *De plenitudine eius nos omnes accepimus... gratiam pro gratia.*[4]

Maria similis Christo.

II. Fuit autem in Christo, ut theologi docent,[5] triplex gratia: una et summa quae dicitur gratia unionis, qua hu-

In Christo fuit triplex gratia.

1) Lc 1, 28. 2) Cf. Gn 2, 18. 3) Io 1, 14. 4) Io 1, 16.
5) Cf. D. Bonav. in *Brevil.* p. 4, cp. 5 (5, 245); D. Thom. 3, q. 19, a. 4.

manitas Christi hypostatica unione coniuncta fuit Verbo, sicut Paulus ait: *In quo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter;* [6] altera est gratia capitis, et de hac dicitur: *Plenum gratiae et veritatis.... de plenitudine eius... accepimus:* tertia est gratia singularis personae, de qua legimus: *Puer autem crescebat... plenus gratia apud Deum et homines.* [7] Haec autem tria continet: primum est inhabitatio Spiritus Sancti; sicut enim non potest esse radius sine sole, ita nec gratia Spiritus Sancti sine ipso Spiritu Sancto per gratiam sanctificante et iustificante, et gratam faciente animam Deo; alterum est animae et conscientiae puritas a peccato, candor conscientiae; tertium vero est caritas cum omnibus aliis [donis] Spiritus Sancti. Haec gratia in Christo fuit supra modum plenissima, sicut lux in sole.

Quoad tertiam gratiam Christi, Maria similis Christo tripliciter.

Et in hac gratia fuit Maria similis Christo. Habuit inhabitantem Spiritum, idest, habuit purissimum candorem immaculatissimae innocentiae absque ullo prorsus peccato; et habuit excellentissimam caritatem cum omnibus aliis virtutibus et donis Spiritus Sancti, fuit *gratia plena,* hoc est omni genere, omni copia et abundantia donorum Dei supernalium.

Maria gratia plena erga Deum, erga seipsam et erga mundum.

III. Gratiam item plena erga Deum, erga seipsam et erga mundum universum: Deo [7a] fuit super omnes alias creaturas gratissima: erga seipsam, quia gratia perficit naturam, maxime vero intellectum et voluntatem, cognitione et amore; erga proximum per ardentissimam caritatem. Sicut autem primi parentes tres illas gratias filiis communicassent; ita Christus et Maria suis meritis tria haec nobis obtinuerunt, et iugiter conferunt remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam aeternam.

6) Col 2. 9. 7) Lc 2. 40. 52. 7a) Ms.: *Dei.*

SERMO QUINTUS

DE VIRGINIS DEIPARAE GRATIAE PLENITUDINE EX VERBIS SALUTATIONIS:

Ave, gratia plena

Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris. [1]

Gratiae plenitudo in Maria figuris praesignata; ab Angelo gratia plena ex vi verborum suae salutationis, iuxta Patrum sententiam praedicata; et vere, sed singulari prorsus plenitudine repleta.

I. Magnum et immensum mare, profundissimum pelagus et aequor sulcaturi sumus hodie, fratres. Utinam, Deo auspice ac favente, felix faustaque contingat nobis navigatio; non infelix sicut navigatio Ionae [2] et Pauli, [3] vix enim evasere incolumes. Magnum et vastissimum mare est plenitudo gratiarum Mariae.

Ave, gratia plena! Magnum mare aqua plenum in templo Salomonis, [4] de qua illud non immerito usurpare possumus: *Omnia flumina intrant in mare et mare non redundat:* [5] nam per flumina multiplex gratiarum et donorum Spiritus Sancti copia designatur, ut Salvator ait: *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquae vivae. Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum.* [6] Igitur omnia flumina intrant in mare; omnis gratiarum copia et plenitudo in Deipara Virgine Maria.

Figurae de Mariae gratia.

Ave, gratia plena! Ecce vas plenum manna in sanctuario Domini, [7] vas novum ab Eliseo plenum sale ad sanandas aquas Iericho; [8] ecce tabernaculum Domini plenum gloria Dei, sicut in

1) Lc 1, 28. 42. 2) Cf. Jon 1, 4. 3) Cf. Act 27, 14. 4) 3 Rg 7, 23.
5) Eccle 1, 7. 6) Io 7, 38-39. 7) Cf. Ex 16, 32-33. 8) Cf. 4 Reg 2, 19-22.

Exodo[9] legimus, et templum Salomonis in die dedicationis suae plenum maiestate Domini.[10]

Ave, gratia plena, Dominus tecum. Cum coelestis paranymphus Gabriel placidissime Virginem salutavit, pacemque et gaudium ingens nunciavit, causas nunc aperit cur illi tantopere gaudendum erat; quia, inquit, *gratia plena* es et *Dominus tecum* est. O divinam plenitudinem!

Etiam apud Isaiam legimus quod fimbriae gloriae Domini replebant templum, et quod plena erat terra omnis gloria Domini;[11] apud Ezechielem etiam quod domus Domini plena nube et atrium plenum splendore gloriae Domini.[12] Sed sacra haec mysteria nonnisi divinam hanc plenitudinem designant; ipsa enim vivum et sacratissimum templum Divinitatis est, in qua omnis plenitudo Divinitatis corporaliter inhabitavit.[13]

Ave, gratia plena, quoniam invenisti gratiam apud Deum multo copiosiorem quam Noe, *vir iustus atque perfectus,*[14] aut Moyses *in* fragiis suffulta ac comprobata est, etiam eorum qui graecae linguae sicut Maria ab Angelo dicitur.

Vis verborum: Gratia plena.

Scio quod graece est κεχαριτωμένη *checharitomeni,*[16] et quod *checharitomeni*[16a] significat *gratiosam* aut *gratificatam,* sive unice *dilectam* et *caram.* Sed scio etiam quod *gratia plena* semper ab initio sacrosancta Dei legit Ecclesia; quod vulgata haec lectio omnium theologorum calculis, omnium sanctorum Doctorum suffragiis suffulta ac comprobata est, etiam eorum qui graece linguae peritissimi inter latinos fuerunt.

Auctoritas latinorum Patrum.

Hieronymus, Ambrosius, Augustinus et alii hanc lectionem agnoverunt, nec mutarunt, sed constanter retinuerunt. Scribit Hieronymus *Ad Principiam:* «Sancta Maria, inquiens, quia conceperat eum, in quo omnis plenitudo Divinitatis habitat corporaliter, *plena gratia* salutatur».[17] Ambrosius *in Lucam:* «Bene, inquit, *gratia plena* dicitur, quae sola gratiam, quam nulla alia meruerat, consecuta est, ut gratiae repleatur Auctore».[18] Augustinus in suo *Enchiridio:* «Maria, inquit, *gratia plena:* invenisse gratiam apud Deum dicitur, ut Domini sui, imo Domini omnium, mater esset»;[19] et sermone 2 *De Natali Domini:* «Cum, inquit, dixit ei Angelus: *Ave, gratia plena,* ostendit ex integro iram exclusam primae sententiae et plenam benedictionis gratiam resti-

9) 40, 32. 10) Cf. 3 Rg 8, 10. 11) 6, 1-3. 12) 43, 4-5. 13) Cf. Col 2, 9. 14) Cf. Gn 6, 9. 15) Cf. Nm 12, 7. 16) Cf. Novum Testamentum graece ab Hetzenauer O. M. Cap. recognitum, Lc 1, 28. 16a) Ms.: *Checharitomenos.* 17) *Epist. 65,* n. 9. (P. L. 22, 379). 18) Lib. 2, n. 9. (P. L. 15, 1285). 19) Cp. 36. (P. L. 40, 250).

tutam ».[20] Beda Venerabilis *in Lucam* ita legit, et *gratia plena exponit.*[21]

Auctoritas Patrum graecorum.

Sed quid latinos Doctores recenseo cum graeci ita nobiscum sentiant et exponant? Magnus Athanasius in Evangelio *De Sanctissima Deipara:* « Factum est ut *gratia plena* appellata sis, utpote quae omni gratia abundares ». Et iterum: « Idcirco *gratia plena* denominata est eo quod ab impletione Spiritus Sancti omnibus gratiis abundaret ». Et iterum: « A divitiis divinorum charismatum vocata est checharitomeni ». Et saepe ibi repetit Mariam singulari gratia plenam atque a Spiritu Sancto omnibus essentialibus, ut ipse loquitur, virtutibus imbutam.[22] Sic graeci Doctores plenitudinem gratiae in Deipara Virgine celebrant et mirantur. Epiphanius, *De Laudibus Virginis,* Mariae gratiam immensam appellat, personam multis virtutibus exornatam, gloriae spiritualem arcam, auream urnam, qua manna coeleste continebatur, mare spirituale, pelagus gratiarum.[23] Damascenus etiam, oratione 1 *De Nativitate Virginis.* « Tota, inquit, Spiritus thalamus es, gratiarum pelagus, tota pulcra, tota Deo propinqua ».[24]

Nec aliud omnino intelligere voluisse visus est Gabriel, nisi Mariam Deo unice caram et dilectam esse, in oculis Domini gratia plenam, utpote quam in Sponsam dilectissimam eligeret ac deposceret.

Maria gratiosa.

Ut igitur graecam lectionem cum latina coniungamus, Maria simul *gratiosa* et *gratia plena* dicitur. Vere gratiosa mulier, de qua Salomon ait in *Proverbiis: Mulier gratiosa inveniet gloriam:*[25] gratiosa sicut Esther, de qua legimus quod fuit mulier gratiosa in oculis omnium, at vero maxime in oculis Assueri, qui adamavit eam super omnes mulieres.[26]

Multi Sancti gratia pleni;

Gratia tamen plenam nullam aliam mulierem legimus, licet viri non pauci legantur pleni aut repleti Spiritu Sancto. Nam de Beseleel, divini sanctuarii architecto, ait Deus: *Ecce vocavi Beseleel ex nomine, et implevi eum Spiritu Dei, sapientia, intelligentia et scientia in omni opere;*[27] item de Iosue quod repletus fuit spiritu sapientiae, quia Moyses posuit super eum manus suas, sicut in calce *Deuteronomii* legimus.[28] De Ioanne Baptista praedixit Gabriel: *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suae;*[29] de Apostolis: *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto;*[30] de Stephano Protomartyre singulariter,

20) Nunc *Serm.* 7, n. 2. (P. L. 39, 1991). Opus dubium.
21) Lib. 1, loc. cit. (P. L. 92, 316). 22) *Serm. in Annunciat. Deiparae*, n. 9. Ad sensum. (P. G. 28, 339). Opus dubium. 23) *Homil.* 5, *in Laudes Deiparae*, circa principium. (P. G. 43, 490). 24) N. 9. (P. G. 96, 848). 25) 11, 16. 26) Cf. Est 2, 9.
27) Ex 35, 30-31. 28) 34, 9. 29) Lc 1, 15. 30) Act 2, 4.

qui inter septem diaconos fulgebat sicut sol inter planetas, quod vir erat *plenus fide et Spiritu Sancto..., plenus gratia et fortitudine.*[31]

sed non ut Maria.

At vero non ita hi gratia pleni extitere ut Maria. Sed sicut Creator omnium Deus[31a] omnia astra firmamenti ab initio implevit coelesti lumine, sed praecipuis maximisque luminibus solem et lunam illustravit, unde a Moyse luminaria magna nuncupantur;[32] ita idem Deus, qui, sicut auctor naturae est ita fons gratiae, in conditione sacri ac spiritualis mundi, in hieracosmo Ecclesiae, omnes quidem Sanctos gratia Spiritus sui replevit, sed singulariter Christum et Mariam: Christum uti solem, qui proprio lumine fulgidissime splendet, et Mariam instar lunae, quae magno quidem lumine decorata est, sed tamen a sole sibi communicato. Ita Christum plenum gratia legimus: *Verbum caro factum est... plenum gratiae et veritatis;* et: *De plenitudine eius nos omnes accepimus; quia... gratia et veritas per Iesum Christum facta est.*[33] Post Christum vero Maria plena gratia praedicatur, sed ita tamen ut a Deo omnium largitore, *a quo omne datum optimum et omne donum perfectum,*[34] illam acceperit. Hinc Angelus gratiam cum Deo, veluti effectum cum sua causa, coniunxit, dicens: *Ave, gratia plena, Dominus tecum.*

Quid in angelica salutatione gratiae nomine intelligendum ex Scripturis et SS. Patribus. Maria est gratia plena, quia donis omnibus locupletata et longe est ab omni peccato.

II. Sed operae pretium nunc erit, ut videamus quidnam in angelica hac salutatione gratiae nomine intelligendum venit; nam legimus etiam fallacem gratiam, ut Salomon ait, ideam describens mulieris virtute praestantis: *Fallax gratia et vana est pulcritudo, mulier timens Dominum ipsa laudabitur.*[35] Non igitur hic corporea pulcritudo laudatur, sicut in Sara,[36] Rebecca,[37] Rachele,[38] Esther[39] et aliis; sed pulcritudo qua Deus maxime delectatur. Deus autem spiritus est, nec nisi spirituali pulcritudine delectari potest; sicut de cultu et religione vera Christus ait: *Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare;*[40] hos enim veros adoratores Christus appellat, qui Deum adorant in spiritu et veritate, non carnalibus sacrificiis, ut Iudaei, nec impia superstitione falsaque religione, ut idololatrae gentes.

Deipara Virgo corpore pulcherrima.

Quare cum Mariae gratia laudatur ab Angelo, qui item spiritus est, Deique spiritualis et invisibilis imago, non potest laus haec de corporis gratia et pulcritudine accipi; licet credamus Sanctissimam

31) Act 6, 5-8. 31a) Ms.: *Dei.* 32) Cf. Gn 1, 16. 33) Io 1, 14-17.
34) Iac 1, 17. 35) Prv 31, 30. 36) Cf. Gn 12, 11. 37) Ibid. 24, 16.
38) Ibid. 29, 17. 39) Cf. Est 2, 7. 40) Io 4, 24.

Deiparam corpore etiam pulcherrimam extitisse, qualis etiam creditur Eva, a Deo, cuius *perfecta sunt opera,*[41] efformata.

Et quidem aliquando etiam in Sacris Litteris[41a] gratia favorem et benevolentiam gratuitamque acceptationem significat, ut saepe saepius legimus, gratiam apud aliquem invenire, idest, alicui gratum et acceptum esse, illius favore et benevolentia potiri et frui. Sic Angelus Virgini dixit: *Invenisti gratiam apud Deum.*[42]

Gratia saepissime donum Dei significat.

Sed saepissime donum Dei significat, quod per Spiritus Sancti infusionem animam decorat, ut solis radius lunam. Hinc R e g i u s V a t e s ait: *Gratiam et gloriam dabit Dominus;*[42a] ubi Deum solis hieroglyphico ac symbolo nobis ob oculos ponit, nam hebr. est: *Sol et scutum Dominus Deus, gratiam et gloriam dabit Dominus.* Cui accinere visus est I a c o b u s Apostolus, dum ait: *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum:* nam ait etiam quod Deus *humilibus dat gratiam:*[43] idemque docuit P e t r u s, Apostolorum coryphaeus.[44]

Paulus gratiae insignis praedicator.

P a u l u s autem huius gratiae insignis est praedicator, quam nunc quidem c a r i t a t e m appellat: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis;*[45] nunc S p i r i t u m C h r i s t i: *Vos autem non estis in carne, sed in spiritu; si tamen Spiritus* eius *habitat in vobis; qui non habet Spiritum Christi, hic non est eius;*[46] sic: *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem;*[47] et: *Fructus... Spiritus est caritas, gaudium, pax,* etc.;[48] nunc D e i d o n u m et e f f e c t u m: *Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes abundetis in omne opus bonum;*[49] sic ait: *Gratia... Dei sum id quod sum, et gratia eius in me vacua non fuit; sed abundantius... laboravi; non ego... sed gratia Dei mecum;*[50] nunc e m i n e n t e m appellat: *Propter eminentem gratiam Dei in vobis;*[51] nunc r e g i n a m: *Superabundavit gratia, ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia regnet per iustitiam in vitam aeternam;*[52] aliquando d i v i t i a s a b u n d a n t e s: *In quo habemus redemptionem per sanguinem eius... secundum divitias gratiae eius, quae superabundavit in nobis;*[53] et

41) Dt 32, 4. 41*a*) Cf. Gn 6, 8; Ex 33, 12; 1 Rg 20, 3; Est 2, 9 et alibi pluries. 42) Lc 1, 30. 42*a*) Ps 83, 12. 43) 4, 6. 44) Cf. 1 Petr 5, 5. 45) Rom 5, 5. 46) Ibid. 8, 9. Vulg. habet: *Vos autem in carne non estis... Si quis autem Spiritum Christi,* etc. 47) Gal 5, 17. 48) Ibid. 5, 22. 49) 2 Cor 9, 8. 50) 1 Cor 15, 10. 51) 2 Cor 9, 14. 52) Rom 5, 20-21. 53) Eph 1, 7-8.

iterum: *Ut ostenderet... saeculis supervenientibus abundantes divitias gratiae suae in bonitate.*[54] Sic alibi thesaurum appellavit: *Habemus... thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei et non ex nobis.*[55] Petrus gratiam hanc multiformem appellavit, dicens: *Unusquisque* prout *accepit gratiam in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei.*[56]

Patrum doctrina de gratia.

His consona sunt, quae a sanctis Dei viris de gratia praedicantur. Hanc enim magnus Dionysius, libro *De Ecclesiastica Hierarchia,* cap. 1, « deificationem » appellat;[57] sicut et Petrus visus est docere voluisse, cum dixit: *Magna et pretiosa nobis dona donavit, ut per haec efficiamini divinae consortes naturae.*[58] Basilius, libro *De Spiritu Sancto,* eam dicit « Spiritus Sancti participationem »;[59] Chrysostomus, *Ps. 11,* « bonitatem divinitus infusam »;[60] Cyrillus Alexandrinus, 11 libro *Thesaur.*, « sanctitatem nobis a Christo communicatam ».[61]

Virgo Deipara Deo gratissima.

Ex his utcumque intelligere licet sensum Gabrielis ad Virginem: *Ave, gratia plena.* Designatur enim hac nuncupatione et quod Virgo sit Deo gratissima, utpote spiritu pulcherrima, et quod coelestium donorum divinorumque charismatum immensa copia a Spiritu Sancto repleta fuerit.

Paulus ait quod *habemus gratiam secundum mensuram donationis Christi.*[62] Sed Mariae datus est, ut ita dicam, spiritus et gratia sine mensura. Est igitur primo *gratia plena,* idest, Deo summe cara, summe grata, summe amabilis et dilecta; deinde vero Spiritus Sancti summa plenitudo hac voce designatur. At sicut Ioannes dictus fuit Spiritu Sancto repletus, sicut Apostoli, sicut Stephanus singulariter plenus fide et Spiritu Sancto, plenus gratia et fortitudine; ita, sed multo altiori gradu multoque copiosiore abundantia, Virgo Deipara gratia plena intelligitur, ut post Christum super omnes Sanctos singularis et eminentissima sit in Virgine gratiae plenitudo.

Gratia Mariae non aequalis, sed similis gratiae Christi.

Plenus Christus gratia, sed ut fons; plena Maria, sed ut fluvius a fonte, sive ut aquaeductus, ut Bernardus loquitur;[63] pleni

54) Ibid. 2, 7. 55) 2 Cor 4, 7. 56) 1 Petr 4. 10.
57) Circa finem. (P. G. 3, 156). 58) 2 Petr 1, 4. Vulg. loc.: *Dona donavit,* habet: *Promissa,* etc. 59) Cp. 16. n. 39. (P. G. 32, 32). 60) N. 3. (P. G. 55, 148). 61) *Thes. Assert.* 34. (P. G. 75, 360). 62) Eph 4. 7. Vulg. habet: *Unicuique autem nostrum data est gratia,* etc. 63) Cf. *Serm. De Aquaeductu,* n. 3. (P. L. 183, 1013).

Sancti ut rivuli. Plenus gratia Christus ut sol; plena Maria ut luna a sole; pleni Sancti ut stellae. Plenitudo gratiae Mariae non aequalis, sed similis est plenitudini gratiae Christi, sicut plenitudo lunae non aequalis, sed similis est plenitudini solis, quae omnium summa ac maxima est, fontalis plenitudo: *De plenitudine eius nos omnes accepimus...; gratia et veritas per Iesum Christum facta est.*

Donis omnibus Spiritus S. plena.

Qualis plenitudo gratiae Christi? *Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini;* [64] sic Maria, post Christum, plena fuit omnibus Spiritus Sancti donis divinisque charismatibus, repleta fuit omni benedictione spirituali. Ipsa *sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris et universi pulveris pigmentarii;* [65] ipsius fragantia *melior unguentis optimis;* [66] ipsa hortus conclusus, sicut Sponsus Sponsam in *Canticis* alloquens et collaudans, ait: *Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus; emissiones tuae paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus, cypri cum nardo; nardus et crocus, fistula et cinnamomum cum universis lignis Libani myrrha et aloe cum omnibus primis unguentis;* [67] ipsa paradisus in quo plantavit Deus omne *lignum pulcrum visu, et ad vescendum suave;* [68] ipsa firmamentum omnibus luminaribus ornatum. *Ave, gratia plena!* O divinam plenitudinem! O mare vastissimum, immensum pelagus, oceanum pene infinitum gratiarum Mariae!

A Maria longe omne peccatum.

Gratia plena: pulcra ut luna. [69] Ubi gratia plena atque perfecta, ibi nullum vitium, nullum penitus peccatum; sicut ubi perfecta lux, ibi nulla omnino obscuritas tenebrarum; ubi perfecta gratia numeris omnibus absoluta, ibi omnis sanctitas, omnis iustitia, omnis virtus, omnia Spiritus Sancti dona; sicut cum luna plena est, non solum ulla obscuritate affecta non est, ut in deliquio et eclipsi, verum etiam magno splendidoque a sole lumine decorata conspicitur. Igitur: *Ave, gratia plena,* ave, Virgo immaculata, ab omni labe peccati et vitiorum contagione purissima, designat a Maria longe esse omne peccatum: *Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te;* [70] *una est columba mea, perfecta mea,* [71] sive immaculata mea. Cum autem gratiam dicamus non tantum puritatem a peccato continere, verum etiam sanctitatem cumulumque virtutum coelestium; tunc *gratia*

64) Is 11, 2-3. 65) Ct 3, 6. 66) Ibid. 1, 2. 67) Ct 4, 12-14. 68) Gn 2, 9.
69) Ct 6, 9. 70) Ct 4, 7. 71) Ibid. 6, 8.

plena est plena utique virtutibus omnibus et divinis charismatibus, plena fide, plena spe, plena caritate, plena denique omni sanctitate.

Plenitudo huius gratiae pene infinita: longitudine ob diuturnitatem innocentiae, latitudine ob summam caritatem, sublimitate ob perfectionem et contemplationem, profunditate ob humilitatem et fidem.

III. Sed qualis et quanta sit gratiae huius plenitudo Angelus non expressit. Legimus in Sacris Litteris mensuras arcae Noe,[72] tabernaculi Moysis,[73] templi Salomonis;[74] apud Ezechielem quod Angelus universam fabricam totumque aedificium templi Domini mensuraverit,[75] in *Apocalypsi* quod Angelus aurea harundine metitus fuerit omni ex parte coelestem Ierusalem,[76] quae simul et civitas et templum Dei est: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus.*[77] Sed templum hoc Divinitatis, quod comprehendit illum quem coelum et coeli coelorum capere non possunt,[78] immensum est, vel sine mensura mensuratum; sicut fecit Apostolus, agens de mysterio Redemptionis humanae per Christum: *Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis quae sit latitudo, longitudo, sublimitas et profundum.*[79] Sicut mensuratur aedificium aliquod a murorum longitudine et latitudine, ab altitudine cacuminis et profunditate fundamenti, sic Paulus hac figura delineavit magnitudinem divini huius mysterii. Nec tamen dixit quanta sit eius longitudo, quanta latitudo, sublimitas vel profundum; sed forte per longitudinem perpetuitatem ab initio saeculi in finem intelligendam voluit; per latitudinem diffusionem gratiae in omnes gentes; per sublimitatem gloriam paradisi; et per profundum salutem et redemptionem a poenis inferni et potestate diaboli. Sed tamen mysterium reliquit incomprehensibile, sicut etiam *investigabiles divitias Christi* evangelizare se dixit;[80] ita plane gratia Mariae thesaurus est pene infinitus, quoniam plena est *omni plenitudine Dei,* quam Paulus Ephesiis optabat.[81]

Paulus delineat magnitudinem redemptionis.

Ave, gratia plena, gratia singulari ac summa, sicut in mysterio legimus de templo Ezechielis: *Ista est lex domus in summitate montis: omnis finis eius in circuitu sanctum sanctorum est.*[82] In tabernaculo Moysis et in templo Salomonis una tantum pars, in qua arca cum divino propitiatorio asservabatur, dicta fuit sanctum sanctorum,[83] idest, locus sacratissimus et omnino sanctissimus. Templum vero hoc totum dicitur sanctum sanctorum, quia Maria omni ex parte sanctissima, tota gratia plena a primo instanti conceptionis suae purissimae, immaculatissimae, sanctissimae usque

Mariae gratiae longitudo,

72) Cf Gn 6, 15. 73) Cf. Ex 26, 1 sqq. 74) Cf. 3 Rg 6, 1 sqq. 75) Cf. 40, 1 sqq. 76) Cf. 21, 15-18. 77) Ibid. 21, 3. 78) 2 Par 2, 6. 79) Eph 3, 18. 80) Ibid. 3, 8. 81) Ibid. 3, 19. 82) Ez 43, 12. 83) Cf. Ex 26, 34; 3 Rg 6, 16.

ad extremum spiritum, quae est longitudo gratiae ipsius; in omnibus sensibus corporis et potentiis animae, sanctissima corpore et spiritu, corde, ore, opere coram Deo et hominibus, haec latitudo est, in infinita prope caritate erga Deum et homines consistens; ob sublimem gradum altissimamque perfectionem virtutum omnium heroicarum in ea, coelestisque contemplationis et conversationis altitudinem, quae sublimitas huius templi est; et tandem ob profundissimam humilitatem fidemque firmissimam ac sincerissimam caritatem; nam et fides fundamentum est spiritualis aedificii, et caritas virtutum radix: *In caritate*, inquit Paulus, *radicati et fundati;* [84] haec est profunditas fundamentorum divini huius aedificii, quod totum sanctum sanctorum est.

latitudo,

sublimitas.

profunditas.

IV. *Ave, gratia plena*, sicut sol luce. Quis nesciat quod solaris lux longitudinem habet, quia perpetua est ab initio mundi usque in finem? Quod latitudinem habet, qua mundum totum replet suis splendoribus? Quod sublimitatem claritatis habet omnium coeli luminarium splendidissimam ac fulgidissimam, [sicut] aurum inter metalla? Et tandem profunditatem? Non enim superficialis tantum est, sicut lux lunae, sed profundissima luminis abyssus sol est, veluti maxima quaedam flamma coelestis aeternique ignis. Sic Virgo *mulier* dicitur *amicta sole.* [85]

Gratia Mariae pene infinita a magnitudine amictus, idest, solis, et a magnitudine Filii sui.

Ave, gratia plena! O plenitudo incomprehensibilis! Cum vas aliquod plenum fuerit, a magnitudine vasi coniici potest quantitas liquoris. In templo erat vas aquae maximum, quod a magnitudine *mare* dicebatur; [86] in coelo sol est planeta omnium maximus. Maria sole amicta dicitur; sed quali quantoque sole? O dictu mirabile! sole, qui a luna usque ad astra pertingebat; nam inquit quod mulier amicta sole lunam sub pedibus habebat, et in capite stellas, quae eam in coronae modum decorabant. O infinitum miraculum! Quis possit capere talis tantique solis magnitudinem? Quis comprehendere plenitudinem lucis huius? Audeo dicere quod soli Deo gratiae huius plenitudo comprehensibilis sit, quod solus Deus capiat immensam gratiae huius abyssum et pelagus prope infinitum.

Ave, gratia plena! Altitudinem coeli, latitudinem terrae et profundum maris, aiebat Sapiens, *quis dimensus est?* [87] hoc est, mundi magnitudinem nemo hominum novit nisi solus Deus: sic Mariae magnitudinem, quae comprehendere potuit eum quem totus

84) Eph 3, 17. 85) Cf. Apc 12, 1. 86) Cf. 3 Rg 7, 23. 87) Eccli 1, 2.

non capit orbis a summo coeli usque ad profundum abyssi, cum in utero suo virum circumdarit,[88] *in* quo *inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.*

Plenitudo gratiae Mariae proxima est plenitudini gratiae Christi.

Isaias propheta verba faciens de plenitudine gratiae Christi, Mariam cum Christo coniunxit, dicens: *Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet, et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus,* etc.[89] Quia, sicut in mundi primordiis Eva proxime post Adam simillima ipsi ad imaginem et similitudinem Dei formata fuit; ita plenitudo gratiae Mariae proxima est plenitudini gratiae Christi. Sic ait: *Egredietur virga,* idest Virgo, quoniam similis ortus; plenus gratia natus Christus, plena Maria. Hinc alibi etiam eadem coniunctio legitur: *Orietur stella ex Iacob, et exurget virga ex Israel.*[90] O qualis virga Maria! Virga Aaron, quae miraculo revirescens flores fructusque protulit;[91] virga Moysis,[91a] quae omnipotens videbatur: *Virgam virtutis tuae emittet Dominus ex Sion.*[92]

Mariae gratia pene infinita a magnitudine amoris Dei erga eam.

V. Quam potens fuit haec virga, haec Virgo cum Deo! Deum potuit aurea amoris sagitta vulnerare; sic ipse ait: *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum et in uno crine,* sive *torque, colli tui.*[93] Potuit Deum de sublimi coelorum in terram trahere amoris et caritatis suae vinculis colligatum: *Coronae capitis tui sicut purpura regis iuncta canalibus;*[93a] hebr. *sicut purpura, rex ligatus in canalibus;* canales autem dicit crispantes et undantes crines, quibus veluti funibus ligantur et trahuntur amantes.

Magna vis est et potentia pulcrae mulieris in virum, qui eius amore captus est, eamque vehementer deperit; insanire eum facit, amantem amentem reddit vel solis oculorum nutibus. Sed Virgo cum Deo ipso hoc potuit, unde ait: *Averte oculos meos a me, quia ipsi me avolare fecerunt;*[94] hebr. *praevaluerunt mihi,* vel potenter, superbe dominati sunt mei, vicerunt me. Haec Deum quodam modo insanire fecit, ut, relicta maiestate sua, formam servi indueret,[95] et Iudaeorum scandalum ac gentium stultitia fieret;[96] potuit Deum ex leone agnum facere mitissimum, Deum hominibus humanissimum reddere, imo hominem facere, natura humana induere, similem

Quantum Virgo cum Deo potuit.

88) Cf. Jer 31, 22. 89) Is 11, 1-3. 90) Nm 24, 17. Vulg. habet: *Consurget virga de Israel.* 91) Cf. Nm 17, 8-9. 91a) Cf. Ex cp. 7 sqq. 92) Ps 109, 2. 93) Ct 4, 9. 93a) Ct 7, 5. 94) Ibid. 6, 4. 95) Cf. Phil 2, 7. 96) Cf. 1 Cor 1, 23.

nobis, amicum, familiarem, fratrem nostrum amantissimum efficere, nedum principem clementem, ut regina Esther Assuerum regem Iudaeis reddiderat summumque fautorem, qui prius unius hominis causa mortis sententia omnes damnaverat.[97] O mirabilem potentiam!

Dicam tandem quod potuit Maria de Deo facere quod Deus ipse non poterat de seipso. Non poterat Deus seipsum in natura sua reddere finitum, impotentem, passibilem, mortalem; potuit Virgo in natura nostra. Non poterat Deus Filium gignere sibi consubstantialem et coaequalem in sua natura infirmum, corporalem, passioni et morti obnoxium; potuit Virgo verum Filium Dei, verum Deum, similem nobis generare. Nunquam reperta est mulier, licet pulcherrima, gratiosissima, venustissima, quae tantum potuerit in virum sui cupidissimum et amantissimum, quantum Virgo sua gratia et pulcritudine apud Deum valuit: *Invenisti gratiam apud Deum... gratia plena.* Hoc est quod ait Gabriel, haec una coniungens: *Ave, gratiosa, Dominus tecum...* et: *Invenisti gratiam apud Deum:* ita quod *Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi.*[98] Deus, inquit, tui amore captus est, adeo in oculis ipsius pulcra et gratiosa existis, adeo te amat, te diligit, ut in sponsam requirat. Talis est in oculis Dei Mariae gratia et pulcritudo.

Maria mirabilis in oculis Angelorum.

Nec minus mirabilis in oculis Angelorum; nam Angelus est, imo Angelorum princeps, qui Mariae hoc dicit. Talis in oculis Beatorum; nihil enim sub Deo, sub Christo *in quem desiderant Angeli prospicere,*[99] pulcrius aspectuque iucundius et gratiosius Maria, quae statim post Deum ad Christi dexteram residet: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate,*[100] idest, virtutum omnium et gratiarum ornamentis; *Sicut turris David... quae aedificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium,*[101] idest, omnibus virtutibus instructa atque munita, ut decet arcem regis potentissimi unicam et singularem in regni metropoli sitam, ut erat in Ierusalem arx Sion a David fabricata,[102] nam eam designat mysterio. *Ave, gratia plena,* virtutibus omnibus perfectissimis instructa: *En lectulum Salomonis, sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios et ad bella doctissimi.*[103] Hae sunt perfectissimae virtutes et dona Spiritus Sancti ad custodiam cordis contra daemonum tentamenta, quod ibi

97) Cf. Est 5, 1 sqq. 98) Lc 1, 28. 30. 35. 99) 1 Petr 1, 12. 100) Ps 44, 10. 101) Ct 4, 4. 102) Cf. 2 Rg 5, 6 sqq. 103) Ct 3, 7-8.

dicitur: *Propter timores nocturnos,*[104] nam sunt principes tenebrarum.[105]

Mariae gratia pene infinita a magnitudine laudum et figuris in S. Scriptura, praesertim in Canticis.

VI. *Ave, gratia plena!* Sponsa in *Canticis* tota laudatur, et quidem miris modis, caput, comae,[106] oculi,[107] nasus,[108] genae,[109] labia,[110] collum,[111] pectus,[112] uterus,[113] femora, pedes,[114] nihil sine eximia et singulari laude relinquitur, quia tota pulcra et absque omni macula,[115] qualis fuit Absalomi pulcritudo.[116] Ab externis tamen ornamentis et mundo, ut aiunt, muliebri minime laudatur, cum tamen etiam ab his Sponsa laudari soleat: *Sicut sponsam ornatam viro suo.*[117] In *Canticis* autem non laudatur Sponsa nisi tantum ab ornamento pedum: *Quam pulcri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis!*[118] Quidnam hoc est? In mundo muliebri minimum studium est in ornandis pedibus, totum in ornando corpore, maximum in capite; hic autem nonnisi pedum ornatus recensetur et admirabilis: *Quam pulcri sunt gressus tui in calceamentis!* Sed si mirabilis adeo ornatus pedum, quid censendum de ornatu corporis totius, pectoris et capitis? Sunt pedes infima pars corporis. In homine est caro, vita, sensus, ratio, mens et spiritus, ubi Dei imago et similitudo consistit; infimum autem caro est, de terra formata et in terram reddítura. Sed si Deus tantopere carnem Virginis ornavit, quid existimandum de anima? Ornavit carnem summa nobilitate ex Patriarchis, pontificibus et regibus; ornavit divina pulcritudine et venustate aspectus; ornavit integritate virginali et fecunditate divina. Unigeniti Filii Dei maternitate; qua ergo gratia, quibus donis animam nobilissimam exornavit?

Ornamenta gratiae in anima iustificata.

Ave, gratia plena! Per Ezechielem Deus multis designat plenitudinem gratiae in anima a peccatis iustificata, dicens: *Lavi te aqua et emundavi sanguinem tuum ex te, et unxi te oleo et vestivi te discoloribus, et calceavi te* hyacinto *et cinxi te bysso, et indui te subtilibus, et ornavi te ornamento, et dedi armillas in manibus tuis, et torquem circa collum tuum; et dedi inaurem supra os tuum et circulos auribus tuis et coronam decoris in capite tuo, et ornata es auro et argento, et vestita es bysso et polymito et multicoloribus..., et decora facta es... nimis, et profecisti in regnum,* idest, facta es in

104) Ibid. 3, 8. 105) Cf. Eph 6, 12. 106) Cf. Ct 7, 5. 107) Ibid. 4, 1.
108) Ibid. 7, 4. 109) Ibid. 4, 3. 110) Ibid. 5, 13. 111) Ibid. 7, 4.
112) Ibid. 4, 5. 113) Ibid. 7, 2. 114) Ibid. 7, 1. 115) Ibid. 4, 7.
116) 2 Rg 14, 25-26. 117) Apc 21, 2. 118) Ct 7, 1.

reginam, *et egressum est nomen tuum in gentes propter speciem tuam, quia perfecta eras in decore meo quem posueram super te, dicit Dominus.* [119] Per haec autem ornamenta nonnisi virtutes, quae animam praeclare exornant, designantur, sicut apud Isaiam: *Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis, et indumento iustitiae circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona et quasi sponsam ornatam monilibus suis.* [120] Si igitur Deus talibus tantisque ornamentis exornat animam, quam a sordibus peccatorum lavat, iustificat et sanctificat; qualia existimanda sunt ornamenta Mariae? Hinc merito in coelis ornata videtur non auro, argento et pretiosis lapillis, sed sole, luna et stellis coelestibus aeternisque luminibus decorata.

Ornamenta Mariae.

Ave, gratia plena! Sicut Esther priusquam Assueri conspectui praesentaretur, aut eius frueretur coniugio, multis fuit regalibus ornamentis et mundo muliebri decorata, ut digna existimari posset tanti regis aspectu atque praesentia; [121] Rebecca etiam priusquam Isaaco copularetur matrimonio, multis fuit muneribus ditata ab Abraham sibi per Eliezerum missis; [122] sic et Virgo Deipara ante divinum sponsalitium divinis est charismatibus pro dignitate decorata, ut tanti Regis digna inveniretur sponsalitio.

Ave, gratia plena, idest, perfecta caritate; haec enim est animae pulcritudo coram Deo: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate.* [123]

Amor Dei praecipuum ornamentum Mariae, in uberibus significatus.

In sponsarum ornamentis antiquitus praecipuum erat fascia pectoralis; sic enim apud Ieremiam legimus: *Nunquid obliviscetur Virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciae pectoralis suae?* [124] Erat pectoris ornamentum singulare. In *Canticis* autem praecipue ubera Sponsae laudantur semel et iterum: *Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreae gemelli, qui pascuntur in liliis;* [125] et iterum: *Duo ubera tua sicut duo hinnuli gemelli capreae;* [126] *Statura tua assimilata est palmae et ubera tua botris. Ascendam in palmam et apprehendam fructum eius; et erunt ubera tua sicut botri vineae.* [127] Et Sponsa nihil aliud daturam se Sponso promittit nisi ubera: *Fasciculus myrrhae dilectus meus...: inter ubera mea commorabitur;* [128] et: Ibi *dabo tibi ubera mea.* [129] Ubera hebr. *dodim* dicuntur; quae quidem vox etiam *amores* designat, et ideo Sponso ubera tribuuntur:

119) 16, 9-14. 120) 61, 10. 121) Cf. Est 2, 9-14. 122) Cf. Gn 24, 53. 123) Eph 1, 4.
124) 2, 32. Ms.: *Isaiam.* 125) Ct 4, 5. 126) Ibid. 7, 3. 127) Ibid. 7, 7-8.
128) Ibid. 1, 12. 129) Ibid. 7, 12.

Quia meliora sunt ubera tua vino; [130] *Memores uberum tuorum super vinum:* [131] amores intelliguntur Sponsi. Sic perfecta Virginis in Deum caritas per ubera insigniter laudata designatur.

Summa erat Virginis in Deum Sponsum suum et ardentissima caritas: *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt,* etc. [132] *Laeva eius* sit *sub capite meo et dextera eius amplexetur me... amore langueo.* [133] *In lectulo meo per noctem quaesivi quem diligit anima mea.* [134] *Ego dormio et cor meum vigilat.* [135] *Quis de te* ut *fratrem meum sugentem ubera matris meae, ut inveniam te foris et deosculer te, et iam me nemo despiciat?* [136] O magnam et mirabilem vim amoris! Semper et ubique cupiebat esse cum Sponso, eiusque frui amplexibus, sicut absque despicientiae metu mulier, etiam publico loco et multis coram, parvulum lactentem amplexatur, et suavissime osculatur.

Quam casti amores Mariae.

Quam puri autem, quam casti fuerint hi amores, quam sanctae divini illius pectoris affectiones indicatur, quoniam inquit: *Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreae gemelli, qui pascuntur in liliis.* Iucunda voluptas fuit semper esca amoris; sed hinnuli hi liliis pulcherrimis et purissimis floribus pascebantur, nonnisi purissimas ac sanctissimas voluptates sectati sunt. Quoniam autem gratissimi erant Deo, hinc etiam botris uvae suavissimae comparantur: *Duo ubera tua sicut botri vineae,* sed quae supra palmam altissimam arborem, fructificavit. [137] O altitudo cordis Mariae!

Virgo Deipara mons ob sublimitatem gratiae.

Ave, gratia plena! Ob gratiae plenitudinem, magnitudinem et sublimitatem Virgo Deipara in Sacris Litteris per montem magnum et altum designatur. Ipsa mons apud Danielem, de quo abscissus est lapis sine manibus, qui statuam percussit et contrivit; lapis enim ille, qui in maximum montem crevit, Christus est, ut idem Propheta interpretatus fuit; [138] ipsa autem Virgo mons, de quo sine viri opera lapis iste abscissus est. Ipsa mons de quo Regius Vates canit: *Mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus, mons pinguis, ut quid suspicamini montes coagulatos? Mons in quo beneplacitum est* Domino *habitare in eo; etenim Dominus habitabit in finem.* [139] Qui mons vel in quo monte est currus Dei decem millibus Angelorum stipatus multisque millibus Angelorum laetantium, quia Dominus,

130) Ibid. 1, 1. 131) Ibid. 1, 3. 132) Ct 1, 1. Ms.: *Meliores.*
133) Ibid. 2, 6. 5. Vulg. habet: *Amplexabitur me.* 134) Ibid. 3, 1. 135) Ibid. 5, 2.
136) Ibid. 8, 1. 137) Ct 7, 8. 138) 2, 31-45. 139) Ps 67, 16-17.

sicut in Sinai fuit, sic et in sancto hoc monte, in sanctuario suo, [139a] sicut olim in deserto arca Dei, quae currus gloriae Dei videbatur, multis erat Hebraeorum millibus ac miriadibus circumstipata. [140] Videtis quam magnifice de hoc monte habitationis divinae loquatur. Montem Dei appellat phrasi hebraica ob celsitudinem et sublimitatem, montem Basan feracissimum et uberrimum, montem pinguem et coagulatum, caseosum ob copiam optimorum pascuorum pro gregibus. Huius rei gratia etiam Salomon in *Canticis* Sponsam Dei appellavit montem myrrhae: *Vadam,* inquit, *ad montem myrrhae et ad collem thuris. Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te.* [140a] Quid mons odoratissimae myrrhae nisi plenitudinem gratiae designat?

Triplex gratiae plenitudo in Maria: sufficientiae, abundantiae, excellentiae.

Ave, gratia plena! Statuunt theologi [141] in Virgine triplicem gratiae plenitudinem: in sua quidem conceptione plenitudinem, ut aiunt, sufficientiae, ut digna esset Sponsa Dei et Mater Christi, dignum Divinitatis habitaculum; in incarnatione autem Verbi, cum in eam Spiritus Sanctus supervenit, plenitudinem abundantiae et superfluentiae, nam veluti effudit vel supereffudit tanquam vas plenissimum et exundans Virgo spiritum suum in Elisabeth et Ioannem; cum enim audisset salutationem Mariae Elisabeth repleta fuit Spiritu Sancto; [142] tandem in die Pentecostes plenitudinem accepit divinae excellentiae super omnes Sanctos.

139a) Ibid. vr. 18. 140) Cf. Dt 33, 2. 140a) Ct 4, 6-7. 141) Cf. D. Bonavent. *Serm. 6 in Assumpt. B. M. V.* (9, 703); D. Thom. p. 3, q. 27, a. 4; Suarez. *De Incarnat. Christi*, q. 37, a. 4, s. 3. 142) Cf. Lc 1, 41.

SERMO SEXTUS

DE VIRGINIS GRATIAE PLENITUDINE EX VERBIS SALUTATIONIS

Ave, gratia plena

Parallelismus Evae et Mariae. Quid sit, ex quibus sit, cur sit, qualis sit individuus naturalis, Eva.

I. *Ave, gratia plena.* [1] De prima muliere Divina Scriptura quatuor summatim docet: primum quod ipsa esset, nempe individuum quoddam naturae humanae in sexu femineo; secundum ex quibus causis consistit; ponitque efficientem Deum, materialem corpus ex costa Adae, formalem animam et spiritualem procreationem humani generis; tertium effectus ipsius similes effectibus primi hominis; et quartum comparatio ipsius cum ceteris animantibus, quod nullum animal esset Adamo tam simile utque ipsa mulier Eva. [2]

Quid sit gratia, quae causae, qui effectus gratiae, et qualis gratia, unde constituitur Maria.

II. Ita sane de Beatissima Virgine haec quatuor considerari possunt et de plenitudine gratiae ipsius: quid sit gratia, quae causae gratiae, qui effectus gratiae, et qualis quantaque sit gratia ista respectu aliorum Sanctorum.

Gratia donum Dei est supernaturale, sed multiplex donum est. Hinc Petrus dixit *multiformem gratiam Dei;* [3] et Paulus: *Divisiones... gratiarum sunt, idem autem Spiritus; et divisiones ministrationum sunt, idem* vero Deus; *et divisiones operationum sunt, idem* autem *Deus, qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum*

1) Lc 1, 28. 2) Gn 2, 18-25. 3) 1 Petr 4. 10.

datur sermo sapientiae; alii... sermo scientiae secundum eundem Spiritum; alteri fides in eodem Spiritu; alii gratia sanitatum in uno Spiritu; alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Haec... omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.[4]

In Beata Virgine fuerunt omnes hae gratiae simul, ut Divus Athanasius, in sermone *De Virgine Deipara*, ait quod «descendit in eam Spiritus Sanctus cum omnibus virtutibus essentialibus, ut esset omnibus gratiosa et gratiis omnibus abundaret»;[5] et Sanctus Hieronymus; quod «ceteris gratia per partes datur, sed in Virgine tota simul se infudit plenitudo gratiae sicut in Christo, quamquam aliter».[6]

Quoad causas gratiae, efficiens est Deus, nam: *Gratiam et gloriam dabit Dominus;*[7] est divina caritas a qua omne bonum, Dei amor. Diligit autem Deus hunc magis quam illum, sed Virginem super omnes alias creaturas; hinc *gratia plena.* Materialis est humana persona, quae per gratiam sanctificatur atque perficitur intrinsecus atque extrinsecus, sicut arca deaurata fuit auro mundissimo;[8] *gratia plena:* sanctificata fuit secundum animam et secundum corpus, extincta concupiscentia; *gratia plena* in omnibus partibus corporis et animae. Formalis est pulcritudo animae, longissime distans post Deum ab omni deformitate vitii et peccati cuiuscumque. Spiritualis ut esset digna Sponsa Dei Patris et Mater Filii. Effectus operatio omnium virtutum absque ulla prorsus imperfectione. Et comparatio est sicut sol inter astra coeli, in omnibus et singulis virtutibus excellentissima; hoc est: *gratia plena.*

4) I Cor 12, 4-11. 5) *Serm. in Annunc. Deiparae*, n. 9. (P. G. 28. 339). Opus incerti auctoris. 6) *Serm. de Assumpt. B. M. V.* n. 5. (P. L. 30. 127). Item opus incerti auctoris. 7) Ps 83, 12. 8) Cf. Ex 37, 1.

SERMO SEPTIMUS

DE VIRGINIS DEIPARAE DIVINA DIGNITATE EX VERBIS SALUTATIONIS:

Dominus tecum

Ave, gratia plena. Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus..., et benedictus fructus ventris tui. [1]

Ubique est Dominus; sed singulari modo in aliquibus locis et personis; singularissimo in Maria.

I. Miratus vehementer fuit sanctissimus patriarcha Iacob, cum in Bethel coelestem visionem habuit, cum scalam coelestem vidit, Angelosque per eam ascendentes et descendentes et Dominum innixum scalae; quare ait: *Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam. Pavensque: Quam terribilis est, inquit, locus iste; non est hic... nisi domus Dei et porta coeli.* Unde propterea locum illum *Bethel*, idest, *domum Dei appellavit.* [2]

Sed quaenam, quaeso, tantae admirationis causa? An ignorabat Deum infinitae maiestatis magnitudine sua omnia replere? Deum nullibi non esse? *Coelum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum.* [3] *Coelum et terram ego adimpleo.* [4] Quem *coelum et coeli coelorum capere non possunt.* [5] *Si ascendero in coelum, tu illic es; si descendero in infernum, ades.* [6] Simplex valde fuit Ionas, qui voluit fugere a facie Domini; [7] impius Cain, qui egressus fuit a facie Domini vagus et profugus. [8] Sicut lux solis totum implet mundum, sic natura Dei ubique est non solum potestate, ut rex in regno, sed praesentia, ut rex in sua regia, sed substantia, ut rex in suo throno

1) Lc 1, 28. 42. 2) Cf. Gn 28, 10-22. 3) Act 7, 49. 4) Jer 23, 24.
5) 3 Rg 8, 27. 6) Ps 138, 8. 7) Cf. Jon 1, 3. 8) Cf. Gn 4, 16.

dum sedet pro maiestate. Quid ergo est quod miratur Iacob Dominum in Bethel? Latebat ibi singulare mysterium, quod Patriarcha sanctus adhuc minime noverat; hinc ait: *Et ego nesciebam.*

Anima nostra est quidem in toto corpore, nam totum vivificat, partibus omnibus et singulis dat vitam, sensum et motum; sed singulari quodam modo est in corde, in capite, in oculo per singulares operationes. Ita Deus; ac propterea ait: *Vere Dominus est in loco isto* singulari modo, sicut in tabernaculo Moysi,[9] sicut in templo Salomonis.[10] Sciebat Moyses, sapientissimus philosophus una et theologus, edoctus in omni sapientia Aegyptiorum,[11] ubique Deum esse, nam etiam Mercurius Trismegistus dixit mundum esse vas Deo plenum,[12] et Thales Milesius diis omnia plena esse,[13] Poeta etiam ait: « Iovis omnia plena »;[14] tamen habitaculum aedificavit ad cultum et religionem.[15] Noverat Salomon, sicut ipse ait, quod Deus est quem *coelum et coeli coelorum capere non possunt,* templum tamen Deo pro sua virili magnificum aedificandum curavit.[16]

Implet Dominus omnia, sicut Paulus Atheniensibus praedicavit quod *Deus coeli et terrae Dominus... non longe* est *ab unoquoque nostrum; in ipso enim vivimus, movemur et sumus,*[17] veluti pisces in liquido elemento, vel aves in aëre; sed tamen idem ipse docuit quod in Christo inhabitavit *omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.*[18] Sicut alibi legimus Christum Dei templum esse: *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud:* hoc autem dixit *de templo corporis sui.*[19] Sic etiam singulari modo per Incarnationis divinae mysterium habitavit Deus fuitque cum Maria; hinc ait Angelus ei: *Dominus tecum;* sicut: *Dominus in* loco *sancto suo, Dominus in coelo sedes eius;*[20] *Factus est in pace locus eius et habitatio eius in Sion.*[21]

II. Innuit autem Angelus his verbis magnitudinem Mariae. Nam si loquamur de rege aut imperatore, qui negotium tractet in suo cubiculo cum secretario suo aut consiliario vel principe militiae, non dicimus: Rex est cum secretario, sed secretarius cum rege; non Papa cum Cardinali aut Episcopo, sed Episcopus cum Papa: non dominus

***Dominus tecum* significat quasi aequalitatem Mariae cum Deo, et Mariae infinitum divinae maternitatis denotat favorem.**

9) Cf. Ex 40, 32-33. 10) Cf. 3 Rg 8, 10-12. 11) Cf. Act 7, 22. 12) Cf. Dialog. *Asclep.*, circa finem. Edit. an. 1512, Basileae. 13) Cf. Aristot. *De Anima* 1, 5. Edit. an. 1579. Lugduni. 14) Virg. *Eclog.* 3, 60. 15) Cf. Ex 40, 14-15. 16) Cf. 3 Rg 5, 1 sqq. 17) Act 17, 28. 18) Col 2, 9. 19) Io 2, 19, 21. 20) Ps 10, 5. 21) Ps 75, 3.

cum servo, sed servus cum domino; sed bene dicimus: Rex est cum regina, cum matre, cum filia dilectissima et unica.

De sanctis viris, Deo dignis, legimus quod ambulaverunt cum Deo tanquam servi cum domino suo. Ambulavit Enoch cum Deo;[22] ambulavit Noe cum Deo et invenit gratiam in oculis Domini.[23] De Angelis etiam ita Christus locutus fuit: *Cum venerit Filius hominis in maiestate sua et omnes Angeli eius cum eo,*[24] tanquam servi cum suo domino: *Millia millium ministrabant ei;*[25] Moyses etiam ita in *Deuteronomio* locutus fuit: *Dominus de Sinai venit... et cum eo sanctorum millia.*[26]

De Maria autem non sic loquitur Angelus Domini, coelestis pronubus et paranymphus, sed: *Dominus,* inquit, *tecum,* sicut rex cum regina, sponsus cum dilectissima sponsa, filius cum carissima matre. *Dominus tecum.* O mirabile, o divinum consortium! Quisnam vel cogitatione capere poterit quidnam sit hoc *Dominus tecum!* Deus Optimus Maximus cum Maria!

Dominus tecum! Ioannes in *Apocalypsi* de Beatis agens, docet eos esse cum Christo: *Vidi,* inquit, *et ecce Agnus stabat supra montem Sion, et cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen eius et nomen patris eius scriptum in frontibus suis.*[27] Alibi etiam in eodem libro docet quod omnes exercitus, qui sunt in coelo, sequuntur Christum, tanquam summum imperatorem, summa cum reverentia et obsequio;[28] sicut etiam docet quod omnes Angeli, in circuitu throni divini prostrati ac cernui, aeternam Dei maiestatem venerantur et adorant; quod item faciunt viginti quatuor seniores, Sanctorum omnium principes, ante thronum Dei.[29] Hic autem: *Dominus tecum;* sicut in *Canticis* Deus nunquam Dominus appellatur a Sponsa, sed semper sponsus, dilectus, amor. In Sacris Litteris phrasis ista periphrasis est divini erga aliquem favoris singularis et magni. Sic anim Abimelech, rex Palaestinorum, dixit Abrahamo: *Deus tecum est in universis quae agis:*[30] et Isaaco: *Vidimus tecum esse Dominum.*[31] De Ioseph etiam patriarcha legimus: *Fuit Dominus cum eo, et erat vir in cunctis prospere agens.*[32] Moysi Dominus ait: *Ego ero tecum;*[33] et Iosue, duci Hebraeorum post Moysem: *Sicut fui cum Moyse, ita ero tecum; non dimittam, nec derelinquam te: confortare et esto robustus;*[34] Gedeoni dixit Angelus: *Dominus*

Phrasis: Deus cum aliquo esse, idem est ac eius favore frui.

22) Gn 5, 22. 23) Cf. ibid. 6, 9. 24) Mt 25, 31. 25) Dn 7, 10. 26) 33, 2. 27) Apc 14, 1. 28) Cf. Ibid. 19, 14. 29) Cf. ibid. 7, 11; 11, 16. 30) Gn 21, 22. 31) Ibid. 26, 28. 32) Ibid. 39, 2. 33) Ex 3, 12. 34) Jos 1, 5-6.

tecum, vir fortissime.[35] De David Sacra refert Historia: *Timuit Saul David, eo quod Dominus erat cum eo;* itemque: *In omnibus viis suis David prudenter agebat, et Dominus erat cum eo;*[36] sic de Salomone: *Confirmatus est Salomon filius David in regno suo, et Dominus Deus eius erat cum eo, et magnificavit eum in excelsum.*[37] Hac igitur periphrasi designatur magnus Dei favor; nam luce clarius est quantopere Deus Abrahamum, Isaac, Ioseph, Moysem, Iosue, Gedeonem, David et Salomonem sublimavit. Sed Virgini singulariter dicitur: *Dominus tecum,* quia vere infinito favore eam prosecutus est Altissimus, ut eam in Sponsam elegerit, Matrem Unigeniti Filii sui effecerit, Reginamque universi constituerit.

Deus singulariter cum Maria, quia eius Sponsa et Mater.

Dominus tecum! Apparuit Dominus Moysi in rubo, qui ardebat et non consumebatur, dixitque ei: *Ego sum qui sum;*[38] ubi hebr. quidem est: *Ehieh ascer ehieh, ero qui ero,* praedicens se futurum in Virgine, quae per rubum illum designabatur ob mirabilem fecunditatem et virginalem integritatem, cum fuerit simul mater et virgo: mater, sed intemerata, viro incognita, vere *hahalmah,* semper abscondita, viro nunquam revelata; virgo, sed fecunda «gaudia matris habens cum virginitatis honore»:[39] *Ecce Virgo concipiet et pariet filium* Emmanuelem, Deum hominem, nobiscum Deum.[40] Divina ergo illa promissio: *Ero qui ero,* nunc adimpleta est, cum ab Angelo dictum est Virgini: *Dominus tecum.*

III. Sed verba haec Gabrielis cogent nos fortasse hodie ut altius philosophemur. Nam Dominus cum omnibus creaturis est, sicut ubique est infinita magnitudine sua universum implens non corporis mole, sed spiritus virtute et essentia. Sicut enim, si corpus infinita undequaque magnitudine et mole reperiretur, impleret universum usquequaque, nullum penitus locum substantia sua vacuum relinqueret; ita Deus, cum infinita natura et essentia sit, sicut aeternitate sua nullum reliquit sine Deitate vel momentum temporis, ita nec locum cum immensitate; ubique Deus est totus et indivisus, sicut regis auctoritas in suo regno, sicut lux solis in coelo, sicut anima nostra in corpore, sicut tempus in universo. Idem enim ipsum ubique totum ab omnibus et singulis integre, non per partes possidetur, ita ut haec re-

Deus est totus in omnibus essentia.

35) Idc 6, 12. Vulg. habet: *Virorum fortissime.* 36) 1 Rg 18, 12-14. 37) 2 Par 1, 1. Vulg. loc. *Confirmatus,* habet: *Confortatus.* 38) Ex 3, 14. 39) Sedulius, *Carm. Paschal.* lib. 2, vr. 67. (P. L. 19, 203). 40) Is 7, 14.

gio unam diei partem habeat, illa vero aliam; sed naturalis dies, mensis, annus, ubique terrarum omnibus et singulis gentibus ac regionibus a coelo totum tribuitur. Tempus temporalia et perpetua omnia a creatione mundi perpetuo comitatur; cum rebus omnibus est, fuit, erit.

Ita Deus cum omnibus creaturis suis; imo ab ipso pendent omnino, sicut lumen lunae, splendor stellarum, claritas coeli et dies a sole, perenni luminis fonte. Sic Regius Vates: *Omnia a te expectant, ut des illis escam in tempore.*[41] *Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione.*[42] *Dante te illis, colligent; aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate; avertente autem te faciem* tuam, *turbabuntur; auferes spiritum eorum et deficient, et in pulverem suum revertentur; emittes spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terrae.*[43] Sic multis docet Regius Vates omnia a Deo pendere, a nutu divinae voluntatis, sicut umbra, sicut imago in speculo.

Sed supra modum singulare est istud *Dominus tecum*, hoc Dei esse cum Virgine Deipara.

Deus non idem operatur in omnibus.

Est quidem Deus in omnibus creaturis et cum omnibus, sicut *ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia;*[44] sed tamen non in omnibus idem operatur. Sicut anima in corpore aliud operatur in pedibus, aliud in manibus, aliud in pectore, aliud in capite; ita Deus aliud operatur in coelo, aliud in terra, aliud in Angelo, aliud in homine, aliud in paradiso, aliud in inferno, aliud in mundo, aliud in Ecclesia; sicut sol hieroglyphice per centimanum Briareum[44a] designatur, quia multa et varia valdeque diversa suis radiis in universali natura operatur. Est Deus in terra, in elementis, in coelis, in astris ceterisque inanimis, in lapidibus, in metallis, in mineralibus; his omnibus dat esse, sed his quidem clarius ac nobilius, illis obscurius et ignobilius; est cum plantis omnium generum, his dat etiam vivere, generare, fructificare; est cum animalibus, dat his una cum vita sensum, motum, cognitionem sensilem, appetitum, amorem, cum multis naturalibus passionibus, actionibus, proprietatibus; est in hominibus, dans eis divinum intelligere; est in Ecclesia, dans fidelibus suis fidem, spem, caritatem, gratiam, Divini Spiritus dona et charismata; est tandem in paradiso, dans Beatis omnibus perpetuam felicitatem et gloriam, Deitatis visionem, infinitae bonitatis aeternam possessionem aç fruitionem.

41) Ps 103, 27. 42) Ps 144, 16. 43) Ps 103, 28-30. 44) Rom 11, 36.
44a) De quo cf. I. Perin in *Onomast.* sub hoc verbo.

Sic mundus hic, universa creata complectens, est veluti scala Iacob; incipit enim ab infima, quam dicunt, materia prima, quae « prope nihil » est, ut Augustinus ait in suis *Confessionibus,*[45] et desinit supremo gradu supra coelum in nobilissima omnium creatura, in deificata Christi humanitate. Est autem inter gradus hos magna distantia, ut inter coelum et terram, solem et lunam, firmamentum et empyreum. Etenim si infinitos lapides ceteraque inanimorum genera crearet Deus ex terra, communi omnium matre, nunquam pervenirent ad gradum vitae, quae est in plantis; nec plantae, etiamsi infinitae producerentur, pervenire possent ad sensum vitamque animalium; nec animalia cuiusvis generis terrestria, aquatilia, volatilia, licet infinita, pertingere unquam possent ad intellectum hominum divinamque imaginem et similitudinem, ut animam hominis rationalem induerent; nec infinita licet hominum multitudo, absque Dei munere, consequi fidei sacramentum, gratiam et amicitiam Dei, filiorumque adoptionem et ius hereditatis aeternae Divinique Spiritus supernaturalia dona, quae sunt in Ecclesia; nec tandem fideles omnes virtute fidei et gratiae in hoc mundo assequi aeternam beatitudinem, quae in coelo est per visionem et fruitionem Dei. Sic inter gradum et gradum est pene infinita distantia.

Scala creaturarum.

IV. Supremus autem gradus huius scalae, cui Deus innixus visus fuit, non est gloria et beatitudo, sed hypostatica unio Verbi ad carnem, Dei ad hominem in Christo *in* quo *inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter;*[46] ac propterea ipsum dedit caput super omnem principatum et potestatem, et omnia subiecta sunt pedibus eius sive visibilia, sive invisibilia.[47] Supremo autem huic gradui proximum Maria tenet, quae ad Christi dexteram collocata est, Christo in primo gradu coniuncta, sicut vera genitrix et naturalis mater unico filio, arctissimo vinculo Deo coniuncta, sicut dilectissima sponsa sponso dilectissimo.

Deus tam arcte coniunctissimus Mariae unione hypostatica, ut ipsa sit supremus gradus scalae creaturarum, imo suprema creatura.

Imo, ut dicam quod sentio, Maria mihi videtur supremus gradus huius scalae, suprema creatura. Nam Deus innixus scalae nonnisi Christus est; non enim vidit Iacob Deum in pura sua essentia et natura, sed in humana forma; Deus autem in humana forma nonnisi Christus est, verus et perfectus Deus et homo. Supremus igitur gradus huius scalae, cui Deus innitebatur, cui coniunctus erat, non potest nisi Maria esse, in qua Deus humanatus est, incarnatum

45) Lib. 12, cp. 6. (P. L. 32, 828). 46) Col 2, 9. 47) Cf. Eph 1, 21-22.

Verbum, quae proxima et coniunctissima Deo est ut sponsa, proxima et coniunctissima Christo ut mater. Quae igitur altitudo Mariae! Quam excelsior est omni Angelorum celsitudine et sublimitate! Omnes simul homines non possent in coelum ascendere, nec omnes Angeli in coelo ad altissimum gradum dignitatis Mariae pervenire, *tanto melior* est *Angelis* effecta *quanto differentius prae illis nomen hereditavit,* [48] ut esset vera Sponsa Dei et Mater Christi, qui altissimus est Rex, Dominus et Creator Angelorum. O gradum sublimem!

Sententia Divi Chrysostomi.

Chrysostomus, agens de Christi ascensione, ait: « Coelos transivit, supra Cherubim ascendit, ultra Seraphim elevatur, nec ante stetit, nisi sedem dominicam meruisset. Vide quo spatio coelum separatur a terra, imo terra quanto ab inferis abest, et ipsum coelum quanto ab altiore coelo separatur, et ab altiore coelo ad Angelos quantum spatii est, ad superiores etiam potestates, ad ipsam quoque dominicam sedem. Super haec omnia natura nostra elevata est, ut homo, qui loco tam humili tenebatur, ut descendere non posset ulterius, ad tam excelsam sedem elevaretur, ut altius non posset ascendere ». [49] Ita plane et ego Maria dicam ex summa ac proxima et arctissima coniunctione cum Deo, ex Dei summo erga eam favore et amore.

Dominus tecum! Stella, quae soli proxima est, omnium quae in coelo sunt splendidissima cernitur, et lucifer appellatur, quoniam fonti lucis vicinissima est; ita quod Deo propinquius est, melius est, nobilius, Deo similius est. Maria autem proxima et coniunctissima Deo; simillima igitur Deo, sicut Eva Adamo.

Dominus cum Moyse.

Dominus tecum! Cum Deus Moysi apparuit in rubo, eique dixit: *Ego ero tecum.* [50] Divinitatis suae communicatione ac singulari participatione cum quodam modo deificavit; unde ait: *Constitui te deum Pharaonis.* [51] Cum enim Deitatis proprietates sint infinita potentia, sapientia immensa, aeterna bonitas; contulit Moysi magnum thesaurum sanctitatis et virtutis, ut esset *fidelissimus in omni domo Dei,* [52] omniumque hominum sanctissimus; magnum thesaurum sapientiae: *Ego ero tecum in ore tuo,* et *docebo te quid loquaris;* [53] magnum thesaurum divinae omnipotentiae: *Virgam hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa,* [54] idest miracula, solius divinae virtutis et omnipotentiae opera supra omnes naturae vires.

48) Hebr 1, 4. 49) *Serm. in Ascens. Domini.* n. 3. (P. G. 50. 446). 50) Ex 3, 12.
51) Ex 7, 1. 52) Nm 12, 7. 53) Ex 4, 12. 54) Ibid. 4, 17.

Sic Deus Virgini Deiparae talem tantamque contulit sanctitatis, virtutis et sapientiae copiam, ut eam quodammodo deificarit. Nam si Electis omnibus dictum est: *Ego dixi: Dii estis et filii Excelsi omnes;* [55] si principes dii sunt appellati: *Deus stetit in synagoga,* in cetu, *deorum; in medio autem deos diiudicat;* [56] si Angeli dicti sunt dii, unde: *Deus deorum Dominus;* [57] *Terribilis* et *magnus super omnes deos;* [58] quanto magis Virgo Maria Divinitate donata censeri debet, cum facta sit Mater et Sponsa Dei?

Dominus cum Maria plusquam cum Electis omnibus.

Dominus tecum! Tu Divinitatis super omnem creaturam consors et particeps. Nam Deus in Sacris Litteris nunc quidem lux appellatur: *Dominus lux mea et salus mea;* [59] *Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae;* [60] nunc vero ignis: *Deus noster ignis consumens est.* [61] Utriusque autem natura summae communicationis, ut ita dicam, cupiditate praedita est; lux enim maxime communicabilis est ubicumque sit: in sole, in luna, in stellis, in coelo, in terra; ignis similiter abunde suum communicat calorem, splendorem, vigorem naturalem, naturam ipsam. Hanc ob causam Deus lux et ignis appellatus venit, ut sciamus eum bonorum suorum summum esse largitorem; hanc enim ob causam universa creavit, et mundo tandem Unigenitum suum dedit Sanctumque Spiritum Ecclesiae Electorum et fidelium Christi sui. Maria autem fornax fuit divini huius ignis. fucina et thesaurus coelestis aeternaeque huius lucis.

Deus lux et ignis.

Maria fornax ignis et lucis.

Dominus tecum! Tu thesaurus infinitae lucis; tu fornax ignis immensi, quo Seraphim ardent; in te *complacuit omnem plenitudinem inhabitare;* [62] tu Divinitatis templum; tu viva Deitatis arca.

Dominus tecum! Tota Trinitas, Pater, Filius et Spiritus Sanctus: nam ait: *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ...quod* enim *ex te nascetur Sanctum vocabitur Filius Dei.* [63] Quis non videt hic totam Trinitatem, Patrem, Filium et Spiritum Sanctum in Maria? Nam si verum est quod ait: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus;* [64] quomodo non tota Trinitas in Maria mansionem fecit, quae tota gratia, idest perfecta caritate plena, imo plenissima fuit?

55) Ps 81, 6. 56) Ibid. 81, 1. 57) Ps 49, 1. 58) Ps 95, 4.
59) Ps 26, 1. Loc.: *Lux mea*. Vulg. habet: *Illuminatio mea*. 60) 1 Io 1, 5.
61) Hebr 12, 29. 62) Col 1, 19. 63) Lc 1, 35. Vulg. habet: *Nascetur ex te*, etc.
64) Io 14, 23.

Dominus est cum Maria perfecta caritate, mirifica operatione mysteriorum in anima et corpore.

V. *Ave, gratia plena, Dominus tecum!* Vere ex gratiae plenitudine *Dominus tecum*, nam *Deus caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet et Deus in eo;*[65] Maria tota in caritate mansit et totus Deus in ea, qui totus caritas est. Maria vere super omnem creaturam, supra Cherubim et Seraphim ex toto corde, ex tota anima et viribus totis Deum perfectissima caritate dilexit,[65a] non solum tanquam dominum, creatorem, servatorem, auctorem bonorum omnium, verum etiam tanquam patrem amantissimum, sponsum dilectissimum, filium supra modum carissimum, primogenitum, unigenitum, optimum.

Dominus tecum! Sicut in sanctuario suo: *Faciant mihi sanctuarium, et habitabo in medio eorum;*[66] sicut in templo Salomonis, de quo ait: *Elegi et sanctificavi* mihi *locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum, et permaneant oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus.*[67]

Dominus tecum! Ibi singulariter esse et habitare dicitur Creator omnium, ubi singulariter operatur. Sic coelum Dei locus dicitur: *Coelum coeli Domino;*[68] *Dominus in coelo paravit sedem suam;*[69] *Coelum mihi sedes est.*[70] Sed in Virgine quam magna, quam mira, qualia et quanta operatus miracula, mysteria, sacramenta divina fuit! In anima qualem sanctitatem! qualem gratiam! qualem virtutum omnium perfectionem! qualem Spiritus Sancti plenitudinem! In intellectu qualem fidem! qualem prudentiam! qualem scientiam, sapientiam, intelligentiam divinorum mysteriorum! In voluntate, qualem iustitiam! qualem virtutem et magnitudinem animi! qualem pietatem! qualem divinam caritatem! In corde quam sanctas cogitationes! quam puras affectiones! quam sancta desideria! quam ardentem amorem fervoremque Spiritus Sancti! Qualia viscera misericordiae, benignitatis et clementiae! O Deus!

Qualia Deus in Mariae anima operatus sit,

et in corpore.

De corpore quid dicam? Non dico gratiam, pulcritudinem, venustatem; non modestiam et mirabilem morum compositionem et elegantiam; non virginalem fecunditatem et fecundam virginitatem; dicam quod est ineffabile, mysterium incomprehensibile Incarnationis divinae: *Verbum caro factum est;*[71] dicam Unigeniti Filii Dei conceptionem mirabilem: *Ecce Dominus ipse dabit vobis signum: Ecce Virgo concipiet et pariet...* Emmanuelem;[72] *Novum creavit*

65) 1 Io 4, 16. 65a) Cf. Lc 10, 27. 66) Ex 25, 8. Vulg. habet: *Facientque mihi*, etc. 67) 2 Par 7, 16. 68) Ps 113, 16. 69) Ps 102, 19. 70) Act 7, 49. 71) Io 1, 14. 72) Is 7, 14.

Dominus super terram, femina circumdabit virum;[73] dicam plenitudinem gratiae Christi in ventre Mariae, *quem Pater sanctificavit et misit in mundum;*[74] *Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet et requiescet super eum Spiritus Domini:*[75] *Plenum gratiae et veritatis... et de plenitudine eius nos omnes accepimus;*[76] dicam de plenitudine scientiae: *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* Dei *absconditi;*[77] dicam de plenitudine gloriae, nam: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre;*[78] ita ut venter Virginis non solum verum Dei templum fuerit et thesaurus omnis gratiae et sanctitatis in Christi incarnatione, sed etiam verus paradisus gloriae.

Nam paradisus est ubi videtur Deus manifeste sicuti est. Anima autem Christi a primo instanti conceptionis suae, ut constans est theologorum omnium sententia,[78a] Deum vidit, plena gloria fuit, et gloria quidem maiori omnium Angelorum et Beatorum gloria. Hinc enim Christus cum gloriam suam manifestavit, resplenduit sicut sol inter Moysem et Eliam, qui ipsi quoque visi sunt in maiestate;[79] ut ostenderet quod, sicut maior est lux solis luce omnium simul stellarum, sic maior est solius Christi gloria omni splendore omnium simul Beatorum in coelo. Qualis ergo paradisus tunc fuit venter Mariae tali tantaque Christi gloria et divinitate plenus! *Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam... hic... domus Dei est et porta coeli;*[79a] hic divinae gloriae et beatitudinis locus: *Maiestas Domini implevit... templum Domini.*[80] Sic maxima divinissimaque miracula operatus fuit Dominus in Maria, et ideo singulariter in ea et cum ea esse dicitur. *Dominus tecum!*

Deus cum Maria in immaculata conceptione, in vita sanctitatis, in assumptione animae et corporis in coelo.

VI. *Dominus tecum!* Nunquam cum Maria satanas, semper Dominus, quia nunquam in peccato Maria, semper in gratia, semper gratia plena, sicut sol luce: *Fundamenta eius in montibus sanctis... ipse fundavit eam Altissimus.*[81] *Deus in medio eius non commovebitur; adiuvabit eam... Deus mane diluculo.*[82] Cum Maria in initio, cum Maria in medio, cum Maria in fine; cum Maria in conceptione, ut immaculata, pura, sancta, gratia plena conciperetur, tanquam unica et singularis filia Dei; cum Maria in vita, eam semper immensis coelestium divitiarum thesauris virtutumque meritis ditando: cum Maria in morte, ut, eam a morte et corruptione liberando, in

73) Ier 31, 22. 74) Io 10, 36. 75) Is 11, 1. 76) Io 1, 14. 16. 77) Col 2, 3. 78) Io 1, 14. 78a) Ut videri potest apud M. Canum. *De Locis Theolog.* lib. 12, cp. 14. 79) Cf. Mt 17, 1 sqq. 79a) Gn 28, 16-17. 80) 2 Par 7, 1-2. 81) Ps 86, 1. 5. 82) Ps 45, 6.

coelum assumeret, et sempiterna gloria coronaret, super omnes Angelorum choros exaltatam. Sic semper Deus cum Maria; quod de nulla alia muliere, de nullo homine dici potest nisi de Maria et Christo, Filio eius, nam: *Benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus ventris tui.* Merito igitur ait. *Dominus tecum!*

Semper Angeli cum Maria.

Quod si Dominus cum Maria, an non et Angeli Domini? Si Eliseus in sui custodiam Angelorum exercitum habuit,[83] quid censendum de Maria? Ante thronum Dei ardebant septem lampades, ait Ioannes in *Apocalypsi,* quas interpretatur septem spiritus, septem Angelos et ministros Dei.[84] Sed quis nescit quod thronus Dei Maria? Hoc forte est quod Salomon ait in *Canticis* lectulum suum custoditum esse a sexaginta viris fortibus et armatis ex fortissimis Israel.[85] Maria est currus Dei decem millibus stipatus multisque millium miriadibus laetantium Angelorum.[86] Sicut olim arca Dei in deserto constituta erat in medio exercituum Israel,[87] quia sedes et thronus erat gratiae Dei, sic Maria; hinc ei congratulatur Angelus: *Dominus tecum!* Congratulemur et nos ei cum Isaia propheta accinentes: *Exulta et lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israel,*[88] idest, vivus et verus Deus, qui populum Israel sibi elegit et sanctificavit.

Dominus tecum! Sapiens mulier Thecuitis missa a Ioab ad David, ut pro Absalom intercederet, sic regi locuta fuit: *Sicut... Angelus* Domini, *sic est dominus meus rex, ut nec benedictione, nec maledictione moveatur, unde et Dominus Deus tuus est tecum.*[89] Ideo, inquit, Dominus erat cum David, quia ipse David erat sicut Angelus Domini sanctus. Sic nunc Angelus Mariae dicit: *Dominus tecum!*

83) Cf. 4 Rg 6. 15-17. 84) Cf. Apc 4. 5. 85) Cf. Ct 3. 7-8. 86) Cf. Ps 67. 18.
87) Cf. Jos 8, 33. 88) Is 12, 6. 89) 2 Rg 14, 17.

SERMO OCTAVUS

DE SINGULARIBUS VIRGINIS DEIPARAE BENEDICTIONIBUS EX VERBIS SALUTATIONIS:

Benedicta tu in mulieribus

Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus..., et benedictus fructus ventris. [1]

In omni multitudine voluit Deus praecipuum, et inter mulieres, Mariam.

I. Sicut de Esther regina ait Divina Scriptura quod invenit gratiam in oculis Assueri regis, et dilecta fuit ab eo super omnes mulieres, ac propterea diademate ab eo redimita regiaque corona decorata reginaque instituta, ut omnes mulieres regni et imperii sui honore, gloria et dignitate suprema longe superaret; [2] sic de Virgine Deipara ait Angelus: *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus,* etc., super omnes mulieres, tu sola inter mulieres benedicta, tu omnium illustrissima et gloriosissima, sicut sol inter stellas, sicut inter omnes homines Christus.

Voluit enim Deus semper in omni multitudine aliquod esse praecipuum et omnium excellentissimum, veluti in exercitu imperator, in regno rex, uti Deus ipse est inter spiritus, uti inter metalla aurum, inter lapides pretiosos adamas, inter animalia leo, inter aves aquila; sic ab initio inter stellas creavit solem, inter ligna paradisi arborem vitae, inter animantia hominem; sic voluit inter Patriarchas Abrahamum, inter Prophetas Moysem, inter sacerdotes Aaronem, inter reges Davidem, inter Apostolos Petrum; sic, inquam, inter mulieres omnes Mariam: *Benedicta tu in mulieribus.*

1) Lc 1, 28. 42. 2) Cf. Est 2, 17.

Virgo Deipara super omnes benedicta, quia exclusa a triplici prima maledictione: doloris in partu, concupiscentiae in conceptu, servitutis in coniugio.

II. Sed operae pretium erit, ut paulo diligentius perscrutemur quidnam per divinam hanc benedictionem intelligendum sit nobis. Et in primis quidem Gabriel manifeste eximere videtur Deiparam Virginem a maledictione divinitus inflicta primae mulieri omnium viventium matri Evae propter peccatum: *Multiplicabo*, inquit, *aerumnas tuas et conceptus tuos: in dolore paries filios, et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui*,[3] sive, ut est in hebr.: *Ad virum tuum concupiscentia tua, et ipse dominabitur tui.* Tria sunt mala quibus mulctata fuit infelix Eva in divina hac maledictione: magnitudo doloris in partu, ardor concupiscentiae et libidinis in conceptu, et subiectio ac servitus in coniugio.

Triplex poena Evae.

Maria benedicta inter mulieres, quia sine dolore peperit Salvatorem mundi, virgo manens, intacto et intemerato virginitatis claustro; quia nullum sensit ardorem libidinis, sed mente et corpore semper virgo purissima fuit, nec vel minima unquam cogitatione maculata;[4] hinc Virgo appellatur: *Missus est Angelus... a Deo... ad Virginem... nomen Virginis Maria...*[5] *Ecce Virgo concipiet...*[6] *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?*[7] Nec tertio malo subiacuit; nam, licet fuerit desponsata viro Ioseph, nobili genere, de stirpe David, Ioseph tamen, ut cognovit ab Angelo Virginem Unigenitum Dei Filium concepisse: *Ioseph, fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est: pariet autem filium, et vocabis nomen eius Iesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*,[8] ut, inquam, hoc cognovit Ioseph, Mariam sponsam et coniugem suam tanquam Dei sponsam dominamque suam summo prosecutus honore fuit, summa reverentia, summa veneratione.

Ss. Bernardi et Fulgentii sententia quoad tria bona Mariae.

His igitur Angeli verbis « antiqua excluditur maledictio mulierum, ut Bernardus ait, et novam nova Mater accipit benedictionem. Impletur per gratiam quae concupiscentiam nescit, ut, Spiritu superveniente Altissimi, pariat filium quae virum dedignatur agnoscere ».[9] Et Fulgentius, *De Laudibus Mariae:* « Tria, inquit, mala Evae a tribus bonis Mariae probantur exclusa. Nam Evae dictum est: *In doloribus et in tristitia paries, et ad virum conversio tua, et ipse dominabitur tui.* Tribus igitur malis se subiugant feminae quae Mariam non sequuntur: dolori, tristitiae, servituti. Maria

3) Gn 3, 16. 4) Cf. Damascenum: *Orat. 2 in Nativ. Virginis*, n. 7. (P. G. 96, 855). 5) Lc 1, 26-27. 6) Is 7, 14. 7) Lc 1, 31. 8) Mt 1, 20-21. 9) *Serm. 2 De Annunciat. V. M.* n. 1. (P. L. 183. 977).

autem e contrario, quam praeclarissimis tribus bonis sublimetur, ausculta: salutationis angelicae, benedictionis divinae et plenitudinis gratiae. Sic enim eam legitur salutasse: *Ave, gratia plena, benedicta tu inter mulieres.* Cum dixit: *Ave,* salutationem illi coelestem exhibuit; cum dixit: *Gratia plena,* ostendit ex integro iram exclusam primae sententiae, et plenam benedictionis gratiam restitutam; cum dixit: *Benedicta tu inter mulieres,* virginitatis eius benedictum fructum expressit, ut ex ea benedicta dicatur inter mulieres quaecumque perseveraverit virgo».[10] Sic igitur in hac benedictione Maria Evae opponitur, et ab illius maledictione immunis et libera omnino declaratur. Hinc igitur ab Angelo *benedicta inter mulieres* dicitur, quoniam in ea antiquae illius maledictionis nihil penitus invenitur. *Benedicta tu inter mulieres,* plane omnes, quae omnibus saeculis vel fuerunt vel futurae sunt; nam, ut cecinit nobilis poeta S e d u l i u s , «nec primam similem visa est, nec habere sequentem».[11]

Virgo Deipara supra omnes benedicta, quia benedictione ditata utriusque Testamenti fecunditatis et virginitatis.

III. Benedictio mulierum sub Priori Testamento vel maxime in fecunditate sita erat; hinc cum Rebecca nuptui tradita fuit, a fratribus benedictionem accepit: *Soror nostra es; crescas in mille millia, et possideat semen tuum portas inimicorum suorum.*[12] Et populus Bethleem benedicentes et prospera precantes Ruth Moabitidi, dixerunt ad Booz, qui eam in uxorem acceperat: *Faciat Dominus hanc mulierem, quae ingreditur domum tuam, sicut Rachel et Liam, quae aedificaverunt domum Israel.*[13]

Benedictio autem mulierum sub Novo Testamento vel maxime in sancta virginitate consistit, qua, ut sanctimoniales, coelibem vitam ducentes, Christo desponsantur. Sed benedictioni illi priori deerat integritas, huic autem posteriori fecunditas. Maria sola inter mulieres benedicta, quae simul Dei munere singulari et perpetuae virginitatis integritate et pignore maternae fecunditatis donata fuit, «gaudia matris habens cum virginitatis honore».[14]

Sed qualia matris gaudia!

Gaudia matrum.

Cum Noëmi ex nuru sua Ruth filium suscepisset, congratulabantur ei vicinae mulieres, dicentes: *Natus est filius Noëmi... Benedictus Dominus qui non est passus ut deficeret successor familiae tuae, et vocaretur nomen eius in Israel, et habeas qui consoletur animam tuam et enutriat senectutem; de nuru enim tua natus est*

10) *Serm.* 36. (P. L. 65, 899). Apocryphus. Attribuitur, sed perperam, et Augustino.
11) *Carm. Pasch.* lib. 2, vr. 68. (P. L. 19, 203). 12) Gn 24, 60. 13) Ruth 4, 11.
14) Sedulius. *Carm. Pasch.* lib. 2, vr. 67. (P. L. 19, 203).

qui te diliget, et multo tibi melior est, quam si septem haberes filios.[15] En gaudia matris! Hac sunt causae gaudii et laetitiae, dum nascuntur optatissimi filii. Desiderantur enim filii et carissimi habentur, maxime masculi, propter hereditatem bonorum, propter conservationem familiae, cuius perpetuitatem naturali quodam instinctu omnes desiderant; quia etiam a filiis magna speratur consolatio, speratur auxilium et iuvamen in senectute, speratur amor, nullumque non speratur bonum a carissimis filiis suis, licet saepe saepius contra eveniat, ut a filiis suis infelices parentes multis gravibusque afficiantur malis. David cum filium pulcherrimum suscepisset ex una uxorum suarum, *Absalom* eum appellavit,[16] quod est *patris pax, felicitas, quies, consolatio:* haec enim ex pignore illo sperabat. Sed unde lucem expectabat, tenebras horribiles ac teterrimas accepit, extremam, inquam, afflictationem, acerbissimos dolores. Nihilo minus parentes, occulta quadam vi naturae acti, a susceptis filiis non possunt non sperare optata bona pro votis; hinc in ortu filiorum consolatio et gaudium, unde Dominus ait quod *mulier... cum... pepererit filium... non meminit pressurae propter gaudium quia natus est homo in mundum.*[17]

Gaudia matris Mariae.

At Virgo Beatissima a Filio suo nullum potuit timere malum, nullum non sperare optatissimum bonum, quia inquit: *Quod ex te nascetur Sanctum, Filius Dei vocabitur; hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur; et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius, et regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis.*[18] O Matrem beatam! *Beatus venter qui te portavit, et ubera quae suxisti.*[19] Filius hic melior ei fuit quam septem filii; quare cum Lia dicere potuit, suscepto filio: *Hoc pro beatitudine mea; beatam me dicent* omnes *mulieres;*[20] sic enim ait: *Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen eius, et misericordia eius a progenie in progenies.*[21] Quibus verbis tunc Virgo declarasse visa est hoc quod ab Angelo dictum ei fuit et ab Elisabeth, Spiritu Sancto afflata, confirmatum ac replicatum: *Benedicta tu in mulieribus.*

Virgo Deipara super omnes benedicta ob

IV. Saepe enim in Sacris Litteris per benedictionem beneficia designantur: hoc enim significat benedictio Domini, qua dicitur

15) Ruth 4, 17. 14-15. loc. *Diliget*, Vulg. habet: *Diligit*. 16) Cf. 2 Rg 14, 25; 3, 3. Litteral.: *Pater pacis*, etc. 17) Io 16, 21. 18) Lc 1, 35. Vulg. habet: *Vocabitur Filius Dei*, etc. 19) Lc 11, 27. 20) Gn 30, 13. 21) Lc 1, 48-50.

benedixisse Abrahae,[22] Isaac,[23] Iacob,[24] populo suo.[25] Sic legimus quod benedixit domui Laban propter Iacob,[26] domui aegyptii principis propter Ioseph,[27] domui Obededon propter arcam Domini,[28] idest, multis beneficiis cumulavit, valde ditavit; hoc eodem sensu Iacob benedictionem appellavit munera quae honoris et benevolentiae ergo misit fratri Esau;[29] Abigail etiam munera offerens Davidi, benedictionem illam rogavit ut acciperet;[30] Naaman syrus, mundatus miraculo a lepra ad aquas Iordanis, supplex rogavit Eliseum Dei vatem, ut ab eo benedictionem acciperet,[31] idest, munus aliquod. Si igitur Divinarum Scripturarum phrasi munera et beneficia per benedictionem designantur, benedictus est qui beneficiis affectus. Sic enim Melchisedech dixit Abrahamo: *Benedictus Abraham Deo excelso qui creavit coelum et terram*,[32] quia nonnisi magno Dei munere et beneficio Abraham quatuor reges uno certamine vicerat ac superaverat.[33] Quid ergo nunc est: *Benedicta tu inter mulieres*, nisi super omnes mulieres quae unquam extitere vel futurae sunt, divinis beneficiis affecta, locupletata? Multas mulieres legimus divinis beneficiis auctas et cumulatas: Evam,[34] Saram,[35] Rebeccam,[36] Liam,[37] Rachelem,[38] Mariam sororem Moysi,[39] Deboram prophetissam,[40] Annam matrem Samuelis,[41] reginam Esther,[42] Iuditham[43] et alias; sed tu, inquit, *benedicta inter mulieres*.

sponsum, Spiritum Sanctum, ob filium, Unigenitum Dei.

Benedictus est qui beneficiis affectus.

Specialia mulierum beneficia sunt ut a Deo bonos viros accipiant et bonos filios; hinc puellis, quae nuptui tradendae sunt, omnes benevolentia erga eas affecti, sortem bonam precantur, viros bonos eis exoptant. Talem dedit Deus Evae, talem Sarae, talem Rebeccae, Liae, Racheli, Annae, cui vir dicebat: *Anna, cur... affligitur cor tuum? Nonne melior ego tibi sum quam decem filii?*[44] Licet autem bonum virum a Deo accepisset, amaram tamen ducebat vitam propter sterilitatem quae tunc temporis probro dabatur mulieribus,[44a] nam sterilis maledicta a Deo reputabatur;[45] hinc summis precibus et lacrimis a Deo filium Samuelem impetravit. Quem cum accepisset, quasi maximo affecta beneficio, largitori Deo gratias magno cum spiritus fervore persolvit, laudesque divinas, Spiritu Sancto afflata,

Specialia mulierum beneficia: boni sponsi, boni filii.

22) Cf. Gn 12, 3. 23) Cf. ibid. 25, 11. 24) Cf. ibid. 35, 9.
25) Cf. ibid. 9, 1; Nm 6, 22 et alibi. 26) Cf. Gn 30, 30 27) Cf. ibid. 39, 5.
28) Cf. 2 Rg 6, 11. 29) Cf. Gn 33, 11. 30) Cf. 1 Rg 25, 27. 31) Cf. 4 Rg 5, 15.
32) Gn 14, 19. 33) Cf. ibid. 14, 13-17. 34) Cf. Gn 1, 26, 28. 35) Cf. ibid. 17, 16.
36) Cf. ibid. 24, 16; 25, 21. 37) Cf. ibid. 29, 31 sqq. 38) Cf. ibid. 29, 17; 30, 22.
39) Cf. Ex 15, 20; Mich 6, 4. 40) Cf. Idc 4, 4 sqq. 41) Cf. 1 Rg 1, 19-20.
42) Cf. Est 2, 7, 17; 7, 1 sqq. 43) Cf. Jdt 8, 1-8; 13, 1-10.
44) 1 Rg 1, 8. Vulg. habet: *Nunquid non ego melior tibi*, etc. 44a) Cf. Gn 29, 32; 30, 23; Lc 1, 25. 45) Cf. Ex 23, 26; Dt 7, 14.

decantavit.[46] Sic Eva, primum filium enixa, Deo gratias egit, dicens: *Possedi hominem per Deum;*[47] sic Lia[48] et Rachel,[49] susceptis singulis filiis, Deum laudabant et devotissime gratias agebant, dicentes quod filii magna sunt Dei munera, magna beneficia, ut gaudium testatur in ortu, et dolor in interitu. Parentes enim, carissimis pignoribus orbati, acerbissimo dolore discruciantur, magnoque luctu et inconsolabili fletu diu lacrimantur et plangunt veluti magno solatio destituti, magno beneficio, magno bono, omni consolatione privati.

Mariae sponsus et filius sunt Deus.

Nunc ergo, cum ex his, quae allata sunt, liqueat singularia mulierum beneficia esse bonos viros, nobiles, inquam, divites et amantes probataeque vitae, bonos item filios, integros, sanos, pulcros, optimo ingenio et moribus donatos; quis non videt quam vere Maria singulariter, unice inter mulieres benedicta dicitur? Quis vir et sponsus Mariae? Non homo, non angelus, sed: *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi,*[50] Deus optimus, maximus, summus, *Rex regum et Dominus dominantium.*[51]

Deinde vero quis Mariae filius? Qualem peperit filium! *Quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei...; hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur...; et regnabit in domo Iacob in aeternum.*[52] *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis,* dicitur de Emmanuele filio Virginis, *et factus est principatus super humerum eius, et vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis.*[53] Filium habuit unigenitum, filium Deum, Regem coeli, Principem Angelorum, Dominum universae creaturae mundi, Creatorem omnium quae coeli ambitu continentur, unicum Servatorem, filium aequalem Deo: *In quo... omnis plenitudo Divinitatis.*[54] *In quo... omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei.*[54a] O ergo vere benedicta inter mulieres, benedicta super omnes mulieres, super omnes homines, super omnes Angelos, super omnes creaturas quae in mundo sunt!

Virgo Deipara supra omnes benedicta virginitate ante partum, in partu, et post partum.

V. *Benedicta tu in mulieribus.*[55] Fuit Ruth Moabitis simili quodam modo a Booz laudata: *Benedicta,* inquit, *es a Domino filia, et*

46) Cf. 1 Rg 2, 1 sqq. 47) Gn 4, 1. 48) Cf. Gn 29, 31 sqq. 49) Cf. ibid. 30, 22-24. 50) Lc 1, 35. 51) 1 Tim. 6, 15. 52) Lc 1, 35. 42. 53) Is 9, 6. 54) Col 2, 9. 54a) Ibid. 2, 3. 55) Quintum hoc membrum ultimo loco, et quidem recentiori scriptione, in manuscripto extat; hic tamen posuimus, quia ita ordo rerum exigere videtur.

priorem misericordiam posteriore superasti;[56] sic eam in uxorem duxit. Ita Virgo *benedicta* dicitur utique a *Domino*, qui fons est omnis benedictionis spiritualis in coelo et in terra. *Benedicta tu inter mulieres;* hoc subiunxit Gabriel, postquam dixerat: *Dominus tecum*, ut sciremus quod, etiam post partum Unigeniti Filii Dei Virgo Sanctissima inter mulieres benedicta permansit. Et non sicut Constantinus Copronymus, impius imperator, Leonis Isaurici filius, viperae genimen, ex mala radice malum germen, mali corvi malum ovum, somniavit. Homo enim hic perditissimus et stultissimus, nomine christianus, sed mente iudaeus, fide ethnicus, legem sancivit ne quis Deiparam Virginem tanquam Dei Matrem veneraretur; quoniam, aiebat, postquam enixa Christum fuit, nihil a ceteris mulieribus differebat, eamque stolide et ineptissime quidem crumenae comparabat, quae, auro plena, multum valet, auro autem effuso, nihil.[57] O inane phantasma et audacem blasphemiam hominis vere impii, vere *copronymi, stercorarii!* Nam dum sacri baptismatis unda perfunderetur, stercus excrevisse dicitur, et inde foedissimum Copronymi cognomen accepisse.[58] Sed dicat homo insipientissimus: Num regina quae ex viro suo rege filium concepit, regni principem et heredem, eo tantum tempore honoranda est quo tempore principem in utero gestat; cum autem illum effuderit ac in lucem ediderit, nullo penitus honore digna erit?

Lex impia Copronymi.

At vero Archangelus Gabriel, etiam antequam Christum concepisset, priusquam in Dei Matrem cooptata esset, honorificentissime veneratus et miratus fuit, eamque divinis laudibus exornavit.[59] Recte autem Angelus haec duo simul coniunxit: *Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Quoniam sicut sol, quocumque abeat, magnam lucis suae copiam ingentemque thesaurum secum affert ad locum habitationis et praesentiae suae illustrandum; ita plane Christus sol iustitiae; hinc domum Zachaei ingressus, eam benedixit: *Hodie*, inquit, *salus domui huic facta est.*[60] Quid ergo credendum de hospitio Virginis? Erat Virgo prius gratia plena; sed postquam Dominus cum ea fuit, multo copiosiori benedictione cumulata fuit. Priusquam sol crearetur, erat coelum claritate perspicuum et luce primo die producta plenum;[61] sed, posito sole in firmamento coeli, lux et claritas magnum sumpsit augmentum. Salomon Deo ornatis-

Verba Archangeli.

Exempla Scripturarum.

56) Ruth 3, 10. 57) Cf. Cedren. *Compend. Hist.* an. mundi 6236. (P. G. 121, 803). 58) Cf. Theophan. *Chronogr.* A. C. 711. (P. G. 108, 355). 59) Cf. Lc 1. 28 sqq. 60) Lc 19, 9. 61) Cf. Gn 1, 3-5.

simam ac magnificentissimam domum aedificaverat;[62] sed cum Deus ad eam inhabitandam venit, coelesti gloria, quam instar solis attulit secum, sacratissimam illam aedem replevit.[63] Esther, ad Assueri regis coniugium requisita, attulit quidem ex domo sua mundum muliebrem, sed multo ampliorem in domo regis accepit.[64]

Virgo Deipara super omnes benedicta, quia miris laudationibus in Scripturis praesertim in Canticis, praedicata.

VI. Tandem benedictio in Sacris Litteris pro laude sumitur; sic enim Deus a fidelibus suis in Ecclesia et a sanctis Angelis beatisque spiritibus in coelo benedicitur, idest laudatur: *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in saecula saeculorum laudabunt te.*[65] Quare et hoc sensu Maria inter mulieres benedicta, idest, super omnes mulieres laudata et praedicata, laudibus miris celebrata ac decantata: *Beatam me dicent omnes generationes.*

Multae mulieres laudatae.

Multas mulieres legimus in Divinis Scripturis plurimum commendatas: Sara,[66] Rebecca,[67] Rachel[68] et Esther ob insignem pulcritudinem;[69] Maria soror Moysi,[70] Debora[71] et Anna mater Samuelis a spiritu prophetico;[72] mulier Thecuitis[73] et alia mulier in civitate Abela ob insignem sapientiam;[74] Ruth Moabitis a fortitudine et virtute,[75] Abigail a prudentia,[76] et aliae quam plures a vitae sanctitate.

Sed super omnes laudata est Virgo Deipara ob divinas virtutes et superhumanam, imo superangelicam sanctitatem, nam *fallax gratia et vana est pulcritudo; mulier timens Dominum ipsa laudabitur.*[77] Sic enim a Luca evangelista laudata fuit Anna prophetissa, filia Phanuel;[78] sic a Christo mulier Chananitis; *O mulier, magna est fides tua,*[79] sic Maria quod *optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea,*[80] et quod bonum opus in ipsum operata fuerat, effundens pretiosum unguentum,[81] laudata etiam ob veram et perfectam poenitentiam.[82] *Mulier timens Dominum ipsa laudabitur,* idest, digna laude est. Nec nisi haec, inquit, vera et appetenda laus est. O insanam, fatuam, stolidam mulierum vanitatem, quae nonnisi a pulcritudine et illa quidem fucata, mendicata, ficta, picturata varioque ornatu et mundo muliebri laudem expectant et sperant! A virtute, a virtute, non a vanitate fallaci petenda laus est: *Fallax*

Vera laus.

62) Cf. 3 Rg cpp. 6. 7. 63) Cf. ibid. 8, 10-11. 64) Cf. Est 2, 15-18. 65) Ps 83, 5.
66) Cf. Gn 12, 11. 67) Cf. ibid. 24, 16. 68) Cf. ibid. 29, 17. 69) Cf. Est 2, 7.
70) Cf. Ex 15, 20. 71) Cf. Idc 4, 4 sqq. 72) Cf. 1 Rg 2, 6 sqq.
73) Cf. 2 Rg 14, 2 sqq. 74) Cf. ibid. 20, 16 sqq. 75) Cf. Ruth 1, 15 sqq.
76) Cf. 1 Rg 25, 3 sqq. 77) Prv 31, 30. 78) Cf. Lc 2, 36. 79) Mt 15, 28.
80) Lc 10, 42. 81) Cf. Mt 26, 10. 82) Cf. Lc 7, 37 sqq.

gratia et vana est pulcritudo; mulier timens Dominum ipsa laudabitur; haec vera et solida laus est, corona vere aurea. Laudatur Maria ab Angelo, sed quia gratia plena, sed quia Deo placens et cara;[83] laudatur ab Isaia, sed quia virgo perpetua;[84] laudatur a Ieremia, sed ob mirabilem vitae novitatem sanctitatemque nunquam in terris visam;[85] laudatur ab Elisabeth, sed quia Deo credidit.[86]

Laudes Deiparae a Salomone tributae:

Salomon in *Proverbiis,* dum imaginem ac ideam laudatissimae mulieris depingit, Deiparam Mariam describit, mirisque laudibus exornat; sed tandem ita concludit: *Surrexerunt filii eius, et beatissimam praedicaverunt; vir eius et laudavit eam. Multae filiae congregaverunt divitias; tu supergressa es universas. Fallax gratia et vana est pulcritudo; mulier timens Dominum ipsa laudabitur. Date ei de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis opera eius.*[87]

quoad qualitates animae

In *Canticis* vero multus est in Virgine, Dei Sponsa, collaudanda: nunc a pulcritudine et integritate: *Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te;*[88] *Quam pulcra es et quam decora, carissima!*[89] nunc a proceritate: *Statura tua assimilata est palmae;*[90] nunc ab honestate et puritate: *Surge, amica mea, speciosa mea... columba mea;*[91] nunc a venustate et gratiis atque a perpetua virginitate: *Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus, emissiones tuae paradisus;*[92] nunc ab ornatu: *Quam pulcri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis!*[93] et: *Pulcrae sunt genae tuae sicut turturis, collum tuum sicut monilia;*[94] hebr.: *Pulcrae sunt genae tuae in murenulis,* - de quibus subiungit: *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento* -[95] *collum tuum in torquibus.*

et quoad qualitates corporis.

A singulis etiam partibus corporis laudat, a capite ad pedes, omnia membra laudibus exornat. Laudat caput et comas: *Caput tuum sicut Carmelus, et comae capitis tui sicut purpura regis vincta canalibus,*[96] et: *Capilli capitis tui sicut greges caprarum, quae ascenderunt de monte Galaad.*[97] Laudat faciem: *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox eius in auribus meis, quia eloquium tuum dulce et facies tua decora nimis.*[98] Laudat oculos: *Oculi tui columbarum;*[99]

83) Cf. Lc 1, 28. 30. 84) Cf. 14, ubi hebr. est *almah,* idest, *perpetua virgo.* 85) Cf. 31, 22. 86) Cf. Lc 1, 45. 87) Prv 31, 28-31. 88) Ct 4, 7. 89) Ibid. 7, 6. 90) Ibid. 7, 7. 91) Ibid. 2, 13-14. 92) Ibid. 4, 12-13. 93) Ibid. 7, 1. 94) Ibid. 1, 9. 95) Ibid. 1, 10. 96) Ibid. 7, 5. 97) Ibid. 4, 1. 98) Ibid. 2, 14. Vulg. loc.: *Quia,* etc. habet.: *Vox enim tua dulcis, et facies tua decora.* 99) Ct 1, 14.

itemque: *Oculi tui sicut piscinae in Hesebon,*[99a] et: *Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum.*[100] Laudat genas: *Pulcrae sunt genae tuae,*[101] et: *Genae tuae sicut fragmen mali punici,*[101a] idest, candidae et rubicundae. Laudat nasum: *Nasus tuus sicut turris Libani, quae respicit contra Damascum.*[102] Laudat os et labia: *Sicut vitta coccinea labia tua, et eloquium tuum dulce... favus distillans labia tua, sponsa, mel et lac sub lingua tua.*[103] Laudat etiam dentes: *Dentes tui sicut greges tonsarum, quae ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fetibus, et sterilis non est in eis.*[104] Laudat collum dicens: *Collum tuum sicut turris eburnea,*[105] et: *Sicut turris David collum tuum quae aedificata est cum propugnaculis; mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.*[105a] Laudat pectus et ubera: *Duo ubera tua sicut duo hinnuli gemelli capreae, qui pascuntur in liliis,*[106] et: Duo *ubera tua sicut* duo *botri vineae.*[106a] Umbilicum laudat et ventrem: *Umbilicus tuus crater tornatilis nunquam indigens poculis,* et: *Venter tuus... acervus tritici vallatus liliis.*[107] Laudat femora et tibias, ne sponsa existimari possit clauda: *Iuncturae femorum tuorum sicut monilia quae fabricata sunt manu artificis.*[108] Et tandem pedes: *Quam pulcri sunt tui gressus in calceamentis, filia principis!*[109] Sed et a vestibus pretiosis et odoratis eam commendat: *Odor unguentorum tuorum super omnia aromata..., odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris,*[110] sive, ut hebr. est, *sicut odor Libani,* qui mons est suavissimum spirans odorem. Manus tamen visus est illaudatas reliquisse; sed de his Sponsa ait: *Manus meae distillaverunt myrrham et digiti mei pleni myrrha probatissima.*[111]

Quid laudes istae significent.

Sed quid per has omnes corporis partes tantopere laudatas insinuatur, nisi virtutum omnium in Virgine summa ac plane divina perfectio? Sunt enim in anima, caput quidem mens, capilli cogitationes, oculi intentiones, nasus iudicium, genae et facies conscientia, os et labia rationalis affectio, dentes vis meditandi, collum flexibilis animus, pectus et ubera affectiones et amores, venter memoria atque discretio, crura concupiscentia et ira, pedes animi desideria quibus movetur ac veluti graditur animus, et haec quidem sequitur, illa autem fugit. Haec autem omnia perficiuntur in nobis virtutibus

99a) Ibid. 7, 4. 100) Ibid. 4, 9. 101) Ibid. 1, 9. 101a) Ibid. 4, 3. Vulg. habet: *Sicut fragmen mali punici, ita genae tuae.* 102) Ibid. 7, 4. 103) Ibid. 4, 3. 11. 104) Ibid. 6, 5. 105) Ibid. 7, 4. 105a) Ibid. 4, 4. 106) Ibid. 4, 5. 106a) Ibid. 7, 8. 107) Ibid. 7, 2. 108) Ibid. 7, 1. 109) Ibid. 7, 1. 110) Ct 4, 10-11. 111) Ibid. 5, 5.

optimis cum theologicis tum etiam cardinalibus, maxime vero divinis charismatibus et donis Spiritus Sancti. Maria autem, ut gratia plena, virtutibus omnibus praedita, instructa perfectaque fuit.

Maria super omnes mulieres laudata.

Quoniam vero divina haec mulier non tantum laudata est inter mulieres, verum etiam super omnes mulieres laudibus celebrata, hoc etiam Salomon in *Canticis* praestitit. Saepe enim eam appellat pulcherrimam inter mulieres: *Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres.*[112] *Qualis est dilectus tuus... o pulcherrima mulierum!*[113] *Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum?*[114] *Quam pulcra es et quam decora, carissima!*[115] Hinc etiam ait: *Sicut lilium*, sive rosa, *inter spinas, sic amica mea inter filias;*[116] itemque: *Statura tua assimilata est palmae*, quae omnium arborum altissima est; hoc ipsum significavit, cum dixit: *Pulcra es, amica mea, suavis et decora sicut Ierusalem,*[117] civitas metropolis et gloriosissima totius israelitici regni. Qualis igitur erat Ierusalem inter civitates regni illius, talis Virgo inter omnes sanctas laudatasque mulieres, sicut Romana Ecclesia inter omnes ecclesias, mater et regina omnium ecclesiarum; sicut Papa inter omnes Episcopos et pastores principesque Ecclesiae sanctae Dei.

Idipsum adhuc luculentius expressit, dicens: *Sexaginta sunt reginae..., octoginta sunt concubinae, et adolescentularum non est numerus. Una est columba mea, perfecta mea, una est matri suae, electa genitrici suae. Viderunt eam filiae, et beatissimam praedicaverunt,* et *reginae et concubinae... laudaverunt eam. Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?*[118] Quo quidem loco Spiritus Sanctus in tres classes distinguit omnes sanctas animas: in reginas, concubinas et adolescentulas, quae sunt, ut aiunt,[119] animae incipientes, proficientes et perfectae in via Dei. Sed sponsam non redigit in ordine sanctarum animarum: *Una*, inquit, *est columba mea, perfecta mea,* una est prima omnium, est princeps suprema omnium. Hinc ab omnibus beatissima praedicatur atque laudatur tanquam singularis, sicut in coelo inter stellas innumeras, una est aurorae stella lucifer, una luna, unus sol. Sed tamen, una cum sit, *terribilis est ut castrorum acies ordinata,* sive *vexillata,* virtute

112) Ibid. 1, 7. 113) Ibid. 5, 9. 114) Ibid. 5, 17. 115) Ibid. 4, 1. 116) Ibid. 2, 2. 117) Ibid. 6, 3. 118) Ibid. vr. 8-9. Vulg. habet: *Matris suae.* loc.: *Matri suae.* 119) Cf. Theodoret. Cyren. *In Cant.* loc. cit. (P. G. 81, 126 sqq.); Cassiod. *In Cant.* loc. cit. (P. L. 70, 526); Rupert. Ab. *In Cant.* loc. cit. (P. L. 168, 415); Cornel. A Lapid. et Calmet, *Comment. in Cant.* loc. cit.

exaequat exercitum omnium Sanctorum et Sanctarum Dei, imo exercitum omnium coelestium spirituum, sicut lux solis exaequat et superat lumina et splendores omnium stellarum, quae dicuntur *exercitus coeli.* [120]

O benedictionem! *Benedicta tu inter mulieres.* Quis capere possit, fratres, divinae huius benedictionis magnitudinem? Puto enim quod, si cum coelo ipso in statera appenderetur cum omni benedictione Electorum Dei, cum omni benedictione sanctorum Angelorum, quasi arena maris haec gravior; nam omnis illa benedictio servorum est, ministrorum est, haec autem benedictio Sponsae est, benedictio Matris est; illa lumen stellarum est, haec autem lux solis est: *Mulier amicta sole.* [121]

Virgo Deipara super omnes benedicta, quia supra omnes accepit gratiam, supra omnes sua industria eam multiplicavit, supra omnes consecuta est gradus gloriae.

Caritas augeri potest.

VII. Sed si philosophari modicum licet, constans est theologorum omnium sententia et dogma quod «caritas meretur augeri, ut aucta mereatur perfici». [122] Sic enim S a p i e n s ait: *Iustorum... semita* sicut *lux splendens proficit, et crescit usque ad perfectam diem.* [123] Hinc P a u l u s monuit ut *veritatem facientes, in caritate crescamus;* [124] et P e t r u s ait: *Crescite in gratia et in cognitione Domini nostri et Salvatoris Iesu Christi.* [125] Hoc ipsum P a u l u s ad *Colossenses*, docuit, dicens: *Non cessamus pro vobis orantes et postulantes, ut impleamini agnitione voluntatis eius in omni sapientia et intellectu spirituali, ut ambuletis digne Deo per omnia placentes, et in omni opere bono fructificantes et crescentes in scientia Dei, in omni virtute confortati.* [126] Hinc ab ipso P a u l o gratia vocatur *thesaurus in vasis fictilibus;* [127] et I s a i a s ait: *Erit fides in temporibus tuis, divitiae salutis, sapientia et scientia, timor Domini ipse est thesaurus eius.* [128] Et Dominus monuit thesaurizare in coelo, [129] quoniam sicut augeri possunt thesauri, ita et gratia. Quod etiam docuit Dominus in parabola minarum et in parabola talentorum; [130] nam qui decem minas accepit, alias decem lucratus fuit; qui autem quinque, alias quinque; similiter de talentis, qui plura acceperunt, lucris honestis ea duplicaverunt; ita etiam in parabola seminis apud M a r c u m: *Aliud*, inquit, *cecidit in terram bonam, et dabat fructum ascendentem et crescentem, et afferebat unum triginta, unum sexaginta et*

120) Cf. Gn 2, 1, ex hebr. Vulg. habet: *Ornatus.* 121) Apc 12, 1.
122) Dictum August. *Epist.* 186, n. 10. (P. L. 33, 819). 123) Prv 4, 18.
124) Eph 4, 15. 125) 2 Petr 3, 18. 126) 1, 9-11. 127) 2 Cor 4, 7.
128) 33, 6. 129) Cf. Mt 6, 20. 130) Cf. Lc 19, 13 sqq.; Mt 25, 15 sqq.

unum centum,[131] idest, *qui in corde bono et optimo*, ut Lucas ait, *audientes verbum retinent, et fructum afferunt in patientia.*[132]

Quis autem nesciat quod Maria a Deo optimum cor accepit quale Matrem decebat Dei? Gratiam ergo in centuplum multiplicavit, auxitque. Nam docuit etiam Dominus quod qui bene egerit, ipsius Christi gratia, *centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit;*[133] centuplum, ut alius Evangelista testatur, in praesenti saeculo, et in futuro vitam aeternam.[134] Hoc autem centuplum procul dubio de spiritualibus bonis intelligendum venit. Maria gratiam accipit et multiplicat.

Accidit nobiscum cum Deo sicut in ludo; qui vincit, tantum vincit quantum sorti exposuit: ita ut, si totum exponat, et sorte favente vincat, id quod exposuit per lucrum duplicatum reportat. Maria autem in hac sorte Sanctorum totum semper exponebat, quia vere ex toto corde et animo totaque virtute Deum diligebat; nullum enim experiebatur impedimentum, nullum obicem, non peccati fomitem, non aliquam vel minimam animi deordinationem. Quare sicut lux in puro aëre ex tota virtute sua operatur, totumque in momento illuminat, quoniam nullum reperit obicem, nec sentit contrarium obsistens, sicut calor; ita Virgo ex tota spiritus virtute operabatur, cum nihil obstaret. Per singulos ergo dies, imo per singulas horas et momenta, caritatis et gratiae suscipiebat duplicata augmenta. Qualis ergo thesaurus fuit benedictionis coelestiumque divitiarum Mariae! Simile.

Si quis dux summo alicui principi ea conditione et pacto serviret, ut saltem per mensem diebus singulis, aut in perpetuum singulis mensibus, stipendium duplicatum acciperet ab eo: post multos dies vel post multos menses, quale esset ducis huius stipendium, etiam si initio tenuissimum extitisset, et vix unius aurei vel argentei? Multa millium millia excederet, infinitum pene thesaurum efficeret; sic per singulos dies aut menses duplicatum semper stipendium. Maria autem gratiae stipendium diebus singulis, imo horis et momentis duplicatum accipiebat. Veluti si quis cum principe magno atque ditissimo, ea conditione luderet, ut semper singulis ludis duplum exponeretur prioris; post multos ludos quale esset novissimi ac postremi lucrum? An non thesaurus inaestimabilis? Quid tota deinde lucrorum omnium summa? Bone Deus, ergo qualis quantusque fuit gratiae et meritorum Mariae thesaurus in extremo vitae spiritu, cum animam Deo reddidit? Vere nec dici nec cogitari potest. Simile. Simile.

131) 4, 8. 132) Lc 8, 15. Ms.: *Matthaeus*. 133) Mt 19, 29. 134) Cf. Mc 10, 30.

Qualis gratia, talis gloria.

Gloria autem respondet iuxta mensuram gratiae, nam *qui parce seminat, parce et metet: et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet.* [135] Qui decem minas lucratus fuit, decem a rege civitates accepit; qui autem, quinque acceptis, alias quinque sua industria acquisivit, civitatibus quinque praefectus fuit. [136] Prima gratia et benedictio, quam accepit Maria, maior extitit prima gratia Angelorum, prima gratia Cherubim et Seraphim, supremorum spirituum et coelestis patriae principum; nam illi gratiam acceperunt, ut idonei ac digni essent summi Dei ministri et servi; Maria autem gratiam accepit, ut idonea et digna esset eiusdem Summi Dei Sponsa et Mater. Maior igitur in immensum gratia Mariae gratia summi Angelorum. Idipsum de gloria censendum ergo est. Sic Maria, summum supra omnes Angelos et Electos Dei in coelo gradum consecuta gloriae, assistit ad dexteram maiestatis Filii sui in excelsis, *tanto melior Angelis* effecta, *quanto differentius prae illis nomen hereditavit.* [137] *Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato.* [138] Sic benedicta inter mulieres quoniam ab omnibus Angelis et Electis Dei laudatur et benedicitur in gloria coelesti. O vere benedicta inter mulieres! O summam ac pene infinitam benedictionem gratiae et gloriae in Maria apud Deum!

Gradus gloriae Virginis Deiparae.

Superiora continent inferiorum perfectiones.

In mundi huius constitutione sphera superior continet inferiorem, sicut in numerorum serie; in homine, excellentissimo animalium, continetur esse inanimorum, vita plantarum, sensus animalium, ut ille ait, [139] sicut trigonum in tetragono; in politico principatu ac monarchia in regali ac imperiali dignitate et auctoritate continetur eminenter omnis cum dignitas tum auctoritas inferiorum principum, procerum et primatum; in ecclesiastica hierarchia in Summo Pontifice omnis ordo, dignitas et auctoritas inferiorum ordinum, Sacerdotum, Episcoporum, Patriarcharum, Cardinalium, omniumque Praelatorum et Principum Ecclesiae Dei; in ipso Deo virtus omnis et perfectio omnium spirituum omniumque creaturarum, quoniam ipse suprema sphera est omnium entium, unitas in suo simplicissimo sinu complectens infinitas numerorum species. Sic et Maria super omnes Sanctos, super omnes Angelos et Electos Dei constituta, omnem continet Electorum omnium benedictionem. O summam et altissimam benedictionem! *Benedicta tu in mulieribus.*

Laudes Patrum.

Merito ait A n s e l m u s quod Virgo « omnem omnis creaturae

135) 2 Cor 9, 6. 136) Cf. Lc 19, 17-19. 137) Hebr 1, 3-4. 138) Ps 44, 10.
139) Arist. 2 *De Anima.*

puritatem sive sanctitatem incomparabili sublimitate transcendit»; [140] et quod « ea puritate nitere eam decuit, qua maior sub Deo nequit intelligi ». [141] Iure Chrysostomus in *Liturgia* Virginem dixit « incomparabiliter gloriosiorem quam Seraphim ». [142] Merito B. Ephraem diaconus Virginem collaudat dicens quod « sanctior est Cherubim, sanctior Seraphim, et sine comparatione ceteris omnibus supernis exercitibus gloriosior ». [143] Merito Epiphanius eam « mare spirituale » appellavit; [144] Damascenus « abyssum gratiae »; [145] et tandem a sanctis omnibus catholicis et orthodoxis doctoribus « Domina Angelorum et Regina Sanctorum omnium » appellatur.

140) Lib. *De excellent. B. V.* cp. 9. Fere ad verbum. (P. L. 159. 573). Opus Eadmeri monachi. 141) Lib. *De Conceptu Virg.* cp. 18. Ad sensum. (P. L. 158, 103). 142) Haec verba desiderantur in edit. Migne (P. G. 63, 902 sqq.); inveniuntur vero, pag. 77, in recentissima edit. text. graeco et italico, separato libello, cura et labore R. P. D. Placidi De Meester. O. S. B. Tip. Poligl. Vat. Romae 1925. 143) *Serm. De Laudibus Mariae.* circa princip. tom. 1, pag. 569. 144) *Homil. De Laudibus Deip.* circa princip. (P. G. 43. 490). Spuria. 145) *Hom. 2 In Dormit. B. M. V.* n. 17. (P. G. 96, 878).

SERMO NONUS

DE VIRGINIS DEIPARAE DIVINA MATERNITATE EX VERBIS SALUTATIONIS:
Et benedictus fructus ventris tui

Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus..., et benedictus fructus ventris. [1]

Laus: *Benedictus fructus ventris tui*, est summa et basis omnium aliarum, quia significat divinam maternitatem.

I. In sacratissima hac salutatione angelicis in Mariam laudibus adiungitur una ex magnis illis, quibus Spiritus Sanctus per os Elisabeth Virginem exornavit. Nam cum salutantis Mariae vocem audisset Elisabeth, Spiritu Sancto afflata, exclamavit et dixit: *Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi ut veniat Mater Domini mei ad me?... Et beata quae credidisti, quoniam perficientur ea quae dicta sunt tibi a Domino.* [2] Ex his, inquam, una, quae omnium praecipua est, adiungitur angelico encomio: *Benedictus fructus ventris tui:* quibus verbis Mariam tanquam veram Dei Matrem collaudat, nam sequitur: *Unde hoc mihi ut veniat Mater Domini mei ad me?* Haec enim singularis et praecipua est laus Mariae quod vera dignaque Mater extiterit et Genitrix naturalis Unigeniti Filii Dei. Una haec inter laudes Mariae est, sicut sol inter planetas, sicut aurum inter metalla, sicut homo inter animalia, sicut lignum vitae inter arbores paradisi, sicut Christus inter Sanctos, sicut Virgo ipsa inter Sanctas. Nec tantum suprema omnium, verum etiam basis, imo aliarum omnium radix et origo; ideo enim gratia plena, ideo benedicta inter mulieres, ideo Domina Angelorum, ideo Regina Sanctorum omnium, quia vera Mater Dei.

1) Lc 1, 28. 42. 2) Ibid. 1, 42-43. 45. Vulg. habet: *Benedicta tu inter mulieres.*

Huius rei causa Virgo benedicta in Sacris Litteris honestissimo hoc Matris Dei titulo exornatur. Hinc a M o y s e dictus est Christus semen mulieris inimicae serpentis antiqui: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius; ipsum conteret caput tuum;*[3] hinc I s a i a s Emmanuelem, Deum nobiscum, filium Virginis appellavit: *Ecce Virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur,* sive *vocabit ipsa, nomen eius Emmanuel,*[4] ac postea: *Parvulus natus est nobis,* utique ex Virgine, *et filius datus est nobis..., et vocabitur Deus, Fortis;*[5] sic I e r e m i a s: *Novum creavit Dominus super terram, femina circumdabit virum;*[6] hoc P a u l u s praedicabat: *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem;*[7] *Misit Deus Filium suum factum,* sive natum, *ex muliere, factum sub lege;*[8] hoc M a t t h a e u s docuit, dum ait: *Iacob autem genuit Ioseph, virum Mariae, de qua natus est Iesus qui vocatur Christus;*[9] hoc Angelus dixit Ioseph: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est de Spiritu Sancto est; pariet autem filium, et vocabis nomen eius Iesum:*[10] hoc ipsi Virgini Gabriel: *Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum; hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur... et quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei;*[11] hoc tandem Elisabeth: *Benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus ventris tui... Unde hoc mihi ut veniat Mater Domini mei ad me?*[11a]

A Scripturis Virgo Matris Dei titulo exornata.

II. Quoniam vero hoc singulare et unicum fuit Dei donum in Mariam, propterea satanas, Dei et Christi eius capitalis inimicus Virginique infensissimus hostis, hanc ei dignitatem summopere invidit, eamque ei adimere ac praeripere pro sua virili sategit. Hoc est quod in *Apocalypsi* legimus quod, cum mulier amicta sole filium peperisset, qui raptus est ad Deum et ad thronum eius, nec potuisset draco infernalis, ut sperabat et expectabat, divinum illum partum devorare, mulierem matrem persequi coepit: *Draco,* inquit, *persecutus est mulierem quae peperit masculum... Et misit serpens ex ore suo... aquam tanquam flumen, ut eam faceret trahi a flumine... Et iratus est draco in mulierem.*[12]

Virgo Deipara quia Genitrix Filii Dei a satana, haereticorum persecutionibus semper lacessita, ab Ecclesia vero benedicta.

Quis nescit quas turbas contra Virginem satan excitavit? Quam funestas tragoedias? Sunt haeretici os satanae maledictum; perversa

Haeresum monstra contra Virginem.

3) Gn 3, 15. Vulg. habet: *Ipsa.* 4) Is 7, 14. *Vocabit Ipsa,* ex hebr. 5) Ibid. 9, 6. 6) Ier 31, 22. 7) Rom 1, 3. 8) Gal 4, 4. 9) Mt 1, 16. 10) Ibid. 1, 20-21. 11) Lc 1, 31-32. 35. 11*a*) Ibid. 1, 42-43. 12) Apc 12, 13. 15. 17.

autem doctrina ad perdendam abolendamque sinceram fidei sanctae veritatem quid est, nisi fluvius tartareus et infernalis de ore satanae? Contra Virginem autem Deiparam quot haeresum monstra et portenta per satanam! Excitavit enim contra Virginem Cerdonianos, Ebionitas, Valentinianos, Apollinarios, Manichaeos, Colliridianos, Nestorianos, Eutychianos, Iconoclastas, nec non Arianos, qui, contra Virginem veluti turmatim ac fluminis instar irrumpentes, perdere satagerunt, impiisque virulentis et blasphemis linguis calamisque Mariomastigas, [13] a satana instigati ac satanico spiritu imbuti, agere voluerunt.

Cerdoniani, Marcionitae, Manichaei, Apellitae, Apollinarii, Eutychiani et adhuc vigentes Anabaptistae una cum Valentinianis Mariam Christi matrem non faciunt, quoniam Christo veram carnem humanique corporis naturam minime tribuunt, sed vel phantasticam vel coelestem aut ex elementis compactam substantiam. Cherinthiani et Ebionitae matrem faciunt, sed corruptam, ex Ioseph gravidam, virginitatem ei impie adimentes, quam etiam Iovinianus in partu et Helvidianus post partum adimere ausi sunt, satanico spiritu turgidi, in virginale Dei tabernaculum irruentes. Nestoriani matrem faciunt, sed non Dei; *anthropotocon, Christotocon,* non autem *Theotocon,* Christum impie solventes ac in duas personas secantes. Ariani similiter matrem Dei negant, quoniam Christum verum substantialemque Dei Filium aeternumque Deum minime agnoscunt.

A s. Ecclesia damnata universa haeretica pravitas.

Sed tamen infernalis draco in Virginem nihil profecit, quoniam, inquit Ioannes, *adiuvit terra mulierem, et aperuit os suum terra, et absorbuit flumen quod misit draco de ore suo;* [14] nam in sancta Ecclesia, a sacris Conciliis sanctisque Doctoribus damnata est universa haeretica pravitas: detecti sunt, damnati, repressi, extirpati, funditusque eversi impii errores, blasphemae haereses fanaticorum haereticorum, qui nonnisi errorum suorum idola colunt; et Mariam Deiparam multo gloriosiorem firmiori fide, clariori cognitione, maiori pietate et religione contra Vigilantianos et Eunomianos veneratur et colit universalis Ecclesia, in qua Maria ab omnibus generationibus, quae Christum agnoscunt, beatissima praedicatur et vera Mater Dei creditur et agnoscitur: *Benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus ventris tui.* His verbis eversi et convulsi sunt omnes haereticorum errores Mariam Matrem Christi negantium: *Unde hoc mihi*

13) Idest, *Mariae calumniatores.* Cf. not. 79, *Serm. I in Ave Maria.*

14) Apc 12, 16.

ut veniat Mater Domini mei ad me? Ferre non potest satanas ut Maria *Theotocos*, vera Dei Mater agnoscatur, credatur, praedicetur, quoniam haec fides caput ipsius confringit et conterit. Nos autem non cum impiis haereticis, perditionis filiis, satanae partes fovemus et sequimur, sed cum sanctis Doctoribus, veris catholicis, orthodoxis omnibusque Christifidelibus partes Dei tuemur. Semper autem in sancta Dei Ecclesia Maria Virgo vera Christi Mater, vera Dei Genitrix, Virgo Deipara agnita est, credita et praedicata.

III. Sed, bone Deus, qualis et quanta haec dignitas est matrem esse veri et summi Dei humanati! Contrahunt nobilitatem et dignitatem mulieres non solum a sanguine et genere, ut in Scripturis filia regis Pharaonis ob id regi Salomoni carissima, non solum a praestantia et splendore virtutis, ut Maria soror Moysi, Debora prophetis, Anna mater Samuelis, et aliae; verum etiam a matrimonio et nobilium virorum coniugio, ut Rebecca, ut Esther Assuero regi matrimonio copulata; et tandem a nobilitate filiorum; sic enim Bethsabee, cum prius uxor fuisset stipendiarii ac gregarii militis, postea tamen nobilissima ac praestantissima regina fuit, quoniam Salomonem regem filium habuit, a quo ut mater honorificentissime tractabatur.[15]

Virgo Deipara omni laude digna, quia hac sua dignitate nobilissima.

Sic Virgo Deipara nobilissima est ac omni laude digna non solum ob generis claritatem, orta ex regali prosapia, ex stirpe David,[16] non solum ob virtutis divinam praestantiam; sed etiam summam sortita est dignitatem a Sponso Deo: *Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi;*[17] itemque a maternitate, a Christo filio. Eo nobilior digniorque sponsa, quo nobiliori et digniori viro desponsata est; eo nobilior et dignior mater, quo nobiliorem digrioremque filium habet. Quis non hoc videt in politica nobilitate? Quis autem cogitatione assequi utcumque possit, qualis et quanta sit nobilitas et dignitas Dei, nobilitas et dignitas Christi, Unigeniti Filii Dei? Incomprehensibilis est, immensa est, infinita est, nec angelicus, cherubicus, seraphicus intellectus eam capere potest: solum divinus intellectus, qui, sicut ipsa Dei essentia et natura, infinitus est. Si igitur uxoris et matris nobilitas ac dignitas ad mensuram nobilitatis et dignitatis viri atque filii mensuratur, illique iusta proportione respondet; quis adeo caecutire potest ut non videat infinitam propemodum esse dignitatem Mariae a Sponso Deo, a Filio Christo? *Unde hoc mihi ut Mater Domini mei veniat ad me?*

Nobilitas Virginis.

15) Cf. 3 Rg 2, 19 sqq. 16) *Brev. Rom.* Off. in Nat. Mariae V. 17) Lc 1, 35.

Tria maxima opera Dei.

Recte assertum est a sacris theologis [18] hoc unum ex tribus esse quibus Deus maiora opera praestare minime potest; sunt autem haec: humanitas Christi, gloria paradisi et maternitas Virginis. Humanitas Christi dignior esse non potest, quia cum increato et incarnato Verbo una persona est; gloria paradisi vitaque beata maior esse non potest, quia aeterna summi et infiniti boni visio, possessio et fruitio est; maternitas itidem Virginis dignior esse non potest, quia impossibile omnino est filium Christo nobiliorem ac digniorem procreari. O vere beatum ventrem! O supra modum benedictum fructum! *Benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus ventris tui!* Vere lignum vitae Maria, quia Christus panis vitae est, *qui de coelo descendit*, et: *Qui manducat hunc panem vivet in aeternum;* [19] vere benedicta Maria, ager plenus, cui benedixit Dominus; [20] terra benedicta, de qua novus Adam formatus est; terra bona, dans fructum centuplum; [21] terra fructifera, de qua Regius Vates: *Confiteantur tibi populi, Deus, confiteantur tibi populi omnes... terra dedit fructum suum.* [22] Sed qualem fructum! *Veritas de terra orta est, et iustitia de coelo prospexit... Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum:* [23] de quo [23a] Isaias: *Rorate, coeli, desuper, et nubes pluant iustum: aperiatur terra et germinet Salvatorem;* [24] et alibi: *In die illa erit germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus terrae sublimis, et exultatio his qui salvati fuerint de Israel.* [25]

Virgo Deipara omni laude digna, quia eandem habet quam Filius benedictionem.

Maria semper cum Iesu.

IV. Sed qualis est et quanta benedictio divini huius fructus ventris Mariae? Non sine causa benedictus hic fructus ventris cum benedicta matre coniungitur, quia summa fuit inter Christum et Virginem, ut inter matrem et filium, summa coniunctio non solum naturae et sanguinis, verum etiam animorum, cordium, amoris, caritatis; hinc saepe Mariam cum Christo legimus. Conceptus Christus, sed in Maria; [26] natus, sed ex Maria; [27] collocatus in praesepio, sed a Maria; [28] in circumcisione vocatus Iesus a Maria; [29] adoratus a Magis in sinu Mariae; [30] praesentatus in templo a matre Maria; [31] fugit in Aegyptum cum Maria; [32] revertitur cum matre Maria; [33] invenitur in templo in medio doctorum a Maria; [34] incipit miracula facere rogatus

18) Cf. D. Thom. 1 p. q. 25, a. 6, ad 4. 19) Io 6, 59. 20) Cf. Gn. 27, 27. 21) Cf. Lc 8, 8. 22) Ps 66, 4-7. 23) Ps 84, 12-13. 23a) Ms. habet: *Qua.* 24) 45, 8. 25) 4, 2. 26) Cf. Lc 1, 31. 27) Cf. ibid. 2, 7. 28) Cf. ibid. 2, 7. 29) Cf. ibid. 2, 21; 1, 31. 30) Cf. Mt 2, 11. 31) Cf. Lc 2, 22. 32) Cf. Mt 2, 13. 33) Cf. ibid. 2, 20. 34) Cf. Lc 2, 46-50.

a Maria; [35] praedicat in synagoga, ecce advenit Maria; [36] pendet Christus in cruce, astat ei Maria; [37] resurgit a mortuis, apparet primo Mariae; [38] ascendit in coelum, est praesens Maria; [39] sedet a dextris Dei, sed a dextris ipsius sedet Maria. [40]

Amor Christi et Mariae.

Saepe saepius reperiuntur simul, quia corde, animo, mente, spiritu semper simul erant; una anima, unum cor in duobus corporibus. Diligebat Maria Christum tanquam tenera mater unicum, pulcherrimum, sapientissimum, optimum, sanctissimum filium, a Deo supra omnem creaturam benedictum, Deo summe carum et dilectum; Christus item diligebat Matrem tanquam piissimam, dulcissimam, amantissimam, optimam, sanctissimam parentem, a Deo super omnes creaturas benedictam, Deo carissimam et dilectissimam, sibique simillimam. Agnoscebat Christus benedictionem Mariae, Maria similiter benedictionem Christi; sicut autem se mutuo agnoscebant, ita se mutuo, supra quam dici vel cogitari potest, ardentissima ac dulcissima caritate diligebant. *Benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus ventris tui.* In *Canticis* sese mutuo collaudant: *Ecce tu pulcra es, amica mea, ecce tu pulcra es; oculi tui columbarum. Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus.* [41] *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios. Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, et fructus eius dulcis gutturi meo.* [42]

Benedictio Christi et Mariae.

Intellexit Maria quam magna, quam copiosa esset fructus ventris sui benedictio, quoniam in eo nulla penitus peccati maledictio: *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius;* [43] quia in eo totius gratiae plenitudo: *Requiescet super eum Spiritus Domini;* [44] *Verbum caro factum est... plenum gratiae et veritatis... et de plenitudine eius nos omnes accepimus;* [45] *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei... in quo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.* [46] O benedictionem!

35) Cf. Io 2, 1-10. 36) Cf. Lc 8, 19. 37) Cf. Io 19, 25.
38) Huic sententiae, praeter quam variae congruentiae rationes, plures suffragantur auctores, e quibus cf. Sedul. *Carm. Pasch.* lib. 5, vr. 362-363 sqq. (P. L. 19, 350); Rupert. Ab. *De Divinis Offic.* lib. 7, cp. 25. (P. L. 170, 92); D. Bernard. Senens. *Serm. 1 in Resurrect.* a. 3. cp. 3; Suarez, *De Incarnat.* disp. 49, s. 1; I. Perin, *Onomast.* sub *Mariae* verbo, pag. 211.
39) Hoc coniici potest a Lc 24, 51; Act 1, 9. Cf. praeterea Eadmer. lib. *De Excellent. Virg.* (D. Anselm. attrib.), cp. 6. (P. L. 159, 568); D. Bernard. Senens. *Serm. 2 in Ascens.* a. 2. cp. 3. Suarez, *De Incarnat.* disp. 51. s. 2. 40) Cf. Ps 44, 9 (ex locis parallelis).
41) Ct 1, 14-15. 42) Ibid. 2, 2-3. 43) 1 Petr 2, 22. 44) Is 11, 2.
45) Io 1, 14-16. 46) Col 2, 3. 9.

Virgo Deipara omni laude digna, quia statim ab initio fructum protulit undequaque perfectum.

V. Cognovit Elisabeth, Mariae nobilis encomiastes, Spiritu Sancto revelante, mysterium divinae Incarnationis: *Unde hoc mihi ut Mater Domini mei veniat ad me?* Iure dici potuit ei quod Christus Petro dixit: *Beatus es, Simon Bar-Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in coelis est,*[47] non enim nisi per divinam revelationem tale tantumque sacramentum scire potuit Elisabeth; hinc: *Et repleta est,* inquit, *Spiritu Sancto Elisabeth.*[48] Spiritu Sancto revelante, cognovit mysteria atque miracula, quae in Mariae utero continebantur ipsumque Christum Deum et hominem agnovit; uti hominem, fructum ventris appellavit: *Benedictus fructus ventris tui;* at vero uti Deum, Dominum suum dixit: *Ut veniat Mater Domini mei ad me?*

Elisabeth Christum iam perfectum in Virginis utero intellexit.

Et Christum quidem hominem, sed iam perfectum in Virginis utero intellexit iuxta oraculum: *Novum creavit Dominus super terram, femina circumdabit virum,*[49] vir enim nonnisi perfectum designat hominem, maxime vero mente et intellectu; sic ait: *Benedictus fructus ventris tui.* Sicut dixit: *Benedicta tu in mulieribus,* idest, super omnes mulieres divinis charismatibus et donis coelestibus ditata et cumulata; sic etiam dicit: *Benedictus fructus ventris tui:* nam quae perfectio fructui huic deesse poterat, in quo omnis plenitudo Divinitatis inhabitabat?

In Christo omnis perfectio;

Hinc sacri theologi omnes uno ore in Christo homine statuunt omnem perfectionem naturae, gratiae et gloriae propter gratiam divinae unionis; ita ut benedictus hic fructus non solum esset thesaurus totius Deitatis, sed etiam thesaurus totius perfectionis naturae, gratiae et gloriae, quae vel in hominibus in terra, vel in Angelis in coelo reperiri potest. O vere novum et ingens miraculum! Sed non minus verum, quidquid oblatrent haereticorum multi; novum enim miraculum promissum fuit in conceptu Christi: *Novum creavit Dominus super terram, femina circumdabit virum.* « Nisi autem, ut Bernardus ait, Christus ab ipso conceptu perfectus foret, non ingens et novum hoc miraculum promitteretur, quo et femina, priusquam pariat, intus virum pro filio circumdaret, et vir idem intra unius feminei corpusculi membra sese contineret ».[50]

hinc etiam conceptio eius statim ab initio perfecta.

Sic Christi conceptio statim ab initio perfecta fuit, quoniam non humanitus, sed divinitus operata: *Spiritus,* inquit, *Sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque et quod*

47) Mt 16, 17. 48) Lc 1, 41. 49) Ier 31, 22.
50) *Hom.* 2 *super Missus est* n. 8. Ad sensum (P. L. 183, 739).

nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei; Dei autem *perfecta sunt opera.*[51] Non ait Angelus: Quod concipietur in te, sed: *Quod nascetur ex te Sanctum,* nimirum ut significaret Christi corpus statim a sua conceptione, operante Spiritu Sancto et virtute Altissimi, perfecte formatum ac figuratum fuisse, vel, ut aiunt, integre organizatum. Nam ob id Angelus, priusquam Christus nasceretur, Iosepho dixit: *Quod in ea natum est de Spiritu Sancto est.*[52] Videtis Christum in utero natum dici, idest, perfecte formatum!

Sententiae Patrum.

Sic enim Basilius Magnus, homilia *De Humana Christi Generatione,* locum hunc interpretatur « dici Christum ab Angelo non conceptum, sed natum, quia Christi corpus non secundum communem modum per intervalla paulatim formatum fuit, sed illico conceptum perfectum extitit ».[53] Idem Euthymius, *in Matthaeum,* docet.[54] Hoc ipsum Gregorius Magnus, *Ad Quiricum Episcopum,* planissime scribit, lib. 9, epist. 61, quod « in ipso conceptu et unione Verbi ad carnem, Christus perfectus homo fuit, et oleo laetitiae, idest, Spiritus Sancti gratia, prae suis consortibus unctus, non post conceptionem, sed in ipsa conceptione ».[55] Augustinus, *Ad Volusianum,* epist. 2, scribit « Christi corpus per rationalem animam a divina virtute assumptum et mox conceptum animatum fuisse ac figuratum omnibusque membris et organis distinctum ».[56] Ambrosius, lib. *De Incarnati Domini Mysterio,* cap. 7, docet « Verbum assumpisse rationalem animam perfectam ».[57] Sed quomodo perfecta est rationalis anima, nisi potentiarum usu, nisi divinis virtutibus, donis et charismatibus imbuta? Cyprianus, *De Nativitate Domini,* ait « Verbum in utero virgineo sic factum fuisse carnem, ut mox Divinitas plenitudinem sui exiguo infuderit vasi; et licet infantilem assumeret infirmitatem, tamen virtutem et gratiam, incomparabili viro dignam, ab illo perpetuo retentam fuisse ».[58] Bernardus Christum praedicat non minori sapientia praeditum in utero Virginis, quam cum perfectae erat aetatis; quoniam a principio perfectus, a principio fuit spiritu sapientiae plenus.[59]

Auctoritas Pauli.

Paulus, ad *Corinthios,* docere plane videtur quod sicut Adam a Deo formatus fuit corpore et anima perfectus, ita et Christus:

51) Dt 32, 4. 52) Mt 1, 20. 53) N. 4. Ad sensum. (P. G. 31. 598). 54) Cp. 1, 20. (P. G. 129, 131). 55) Nunc lib. 11, epist. 67. Ad sensum. (P. L. 77, 1169). 56) Nunc epist. 137, cp. 2. Ad sensum. (P. L. 33. 519). 57) P. L. 16, 718. 58) Circa finem. Ad sensum. Hoc opus desideratur in edit. Migne; invenitur autem in edit. a Balutio recognita (Venetiis, an. 1728) inter opera dubia positum. pag. 74. 59) Cf. *Serm. 2 super Missus est.* n. 9. (P. L. 183, 739).

Factus, inquit, fuit *primus homo... in animam viventem, novissimus autem... in spiritum vivificantem;* imo multo magis, quoniam *primus homo de terra terrenus, secundus homo de coelo coelestis.* [60] Mirabilis fuit formatio Adami ex terra nulli adhuc maledictioni obnoxia, sed divinis benedictionibus locupletata; mirabilior formatio Christi ex Virgine super omnem creaturam benedicta. Et quidem non laudatur arboris fructus nisi perfectus, nisi naturali sua pulcritudine, suavitate, bonitate, naturali perfectione praeditus.

Mirabilia quae vidit Elisabeth.

Elisabeth ergo, Spiritu Sancto illustrata, iam Christum in virginali utero perfectum vidit, cum eum tantopere laudavit: *Benedictus fructus ventris tui.* O quale spectaculum spiritu vidit Elisabeth, quale miraculum! Magnum miraculum virginitas fecunda et fecunditas virginalis, ut eadem mulier esset mater virgo! Magnum miraculum capacitas uteri virginei, ut eum caperet quem totus non capit orbis, non coelum, non paradisus, non mundus, non mille mundi! Magnum miraculum Verbum caro, Deus homo, Deus homini factus similis et aequalis, et homo infantulus similis et aequalis Deo potentia, sapientia, maiestate, plenitudine totius Divinitatis! Magnum miraculum infans in utero homo perfectus sapientia et virtute, ipsis etiam Angelis, Cherubim, Seraphim multo perfectior! Magnum miraculum thesaurus omnis gratiae et sanctitatis, thesaurus totius gloriae et beatitudinis! *Verbum caro factum est... et vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre plenum gratiae et veritatis... et de plenitudine eius nos omnes accepimus*, imo omnes Angeli acceperunt. Magnum et augustissimum miraculum uterus Virginis, quia genere, virtutis et gloriae divina plenitudine, ipso etiam coelo empyreo, ipso paradiso maior erat. O ineffabilem, o incomprehensibilem, o vere infinitam benedictionem! *Benedictus fructus ventris tui!*

Virgo Deipara omni laude digna, quia fructum protulit ab omnibus benedictum in Scripturis.

VI. Quod si benedictus idem hic est ac laudatus laudeque dignus, quibus laudibus dignus est Christus? *A solis ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini.* [61] *Omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.* [62] Laudatus est Christus ab hominibus: *Propheta magnus surrexit in nobis... quia Deus visitavit plebem suam;* [63] *Benedictus qui venit in nomine Domini rex Israel*, clamabant turbae in die palmarum; [64] laudatus a Prophetis: *Huic omnes Prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum*

60) 1 Cor 15, 45. 47. 61) Ps 112, 3. 62) Phil 2, 11. 63) Lc 7, 16.
64) Io 12, 13.

accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum;[65] laudatus ab Angelis in annunciatione: *Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur... quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei;*[66] in nativitate: *Evangelizo vobis gaudium magnum...., quia natus est vobis hodie Salvator;*[66a] laudatus in resurrectione et[67] ascensione;[67a] laudatus nunc in coelo: *Audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni...; et erat numerus eorum millia millium dicentium voce magna: Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem et divinitatem et sapientiam et fortitudinem et honorem et gloriam et benedictionem;*[68] laudatus a creaturis omnibus: *Ut in nomine Iesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum;*[69] *Omnem creaturam quae in coelo est et quae* in terra *et sub terra, et quae sunt in mari... omnes audivi dicentes: Sedenti* super thronum *et Agno benedictio et honor et gloria et potestas in saecula saeculorum;*[70] laudatus ab ipso Deo in Iordane: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui;*[71] laudatus multo maiori cum gloria et splendore in monte sancto, quando resplenduit facies eius sicut sol: *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui; ipsum audite.*[72] O quam vere ait: *Benedictus fructus ventris tui!*

Fructus Mariae benedictus praesertim in Canticis.

In *Cantico* miris modis laudatur, multisque laudibus exornatur a Sponsa: *Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus. Caput eius aurum optimum, et comae capitis eius sicut elatae palmarum, nigrae* sicut *corvus. Oculi eius sicut columbae super rivulos aquarum, quae lacte sunt lotae, et resident* super *fluenta plenissima. Genae illius... areolae aromatum consitae a pigmentariis. Labia eius lilia distillantia myrrham* optimam. *Manus illius tornatiles, aureae, plenae hyacinthis. Venter illius eburneus, distinctus sapphiris. Crura illius columnae marmoreae, quae fundatae sunt super bases aureas. Species eius ut Libani, electus ut cedri. Guttur illius suavissimum, et totus desiderabilis; talis est dilectus meus.*[73] O miram ac plane divinam pulcherrimi Sponsi descriptionem ac picturatam coloribus vivis imaginem! Sunt autem haec divinarum virtutum et spiritualium charismatum ornamenta coelestium.

Benedictus fructus ventris tui! Utique; siquidem: *Filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius, et vocabitur*

65) Act 10, 43. 66) Lc 1, 32. 35. 66*a*) Ibid. 2, 10. 67) Cf. Mc 16, 6; Mt 28, 6. Ita idem Auct. *Serm. 5 super Ps. 86.* 67*a*) Cf. Act 1, 11. Ita Auct. loc. cit. 68) Apc 5, 11-12. 69) Phil 2, 10. 70) Apc 5, 13. 71) Mt 3, 17. 72) Ibid. 17, 5. 73) Ct 5, 10-16.

nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium, et pacis non erit finis... super solium David et super regnum eius.[74] Est autem in Sacris Litteris oceanum mare, infinitum pelagus laudum et encomiorum Christi, quibus nunc persona laudatur, nunc virtutes, nunc opera ipsius cum divina tum humana in carne.

Fructus Mariae benedictus in promissionibus Patriarcharum.

Benedictus fructus ventris tui! Nam vere quod singulis Patriarchis Abrahamo,[75] Isaac,[76] Iacob[77] divinitus promissum dictumque fuit: *In semine tuo benedicentur omnes gentes,* in hoc fructu ventris adimpletum est; *In semine,* inquit, *tuo,* quod *est Christus,* interprete Paulo.[78] *Benedictus fructus ventris tui!* Nam ipse praeclaram illam benedictionem accepit, quae, Deo auctore, ab Isaac data fuit dilecto Dei Iacob: *Det tibi Deus de rore coeli et de pinguedine terrae, abundantiam frumenti et vini...; serviant tibi populi, et adorent te tribus; esto dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuae. Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus, et qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur;*[79] quam quidem benedictionem postea Iacob in omnes filios diffudit; sic et Christus: *De plenitudine eius nos omnes accepimus,* sicut membra virtutem a capite, et filii copiam bonorum a patre.

Fructus Mariae benedictus quia requies Divinitatis.

Christus reparationis causa.

Benedictus fructus ventris tui! Ipse Christus est benedictus et sanctificatus sabbati dies, in quo Deus requievit,[80] nam Christus est Divinitatis quies et pacifica mansio; ipse lux benedicta: *Vidit Deus lucem quod esset bona;*[81] *Ego sum lux mundi.*[82] *Benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus ventris tui!* Adam et Eva in paradiso non fuerunt a Deo benedicti, quia futuri erant causa perditionis totius humani generis; Christus et Maria benedicti sunt tanquam reparationis causa et salutis aeternae. *Benedictus fructus ventris tui!* Sicut sabbatum Domini, de qui Isaias 58: *Vocaberit,* inquit, *sabbatum delicatum, et sanctum Domini gloriosum.*[83]

74) Is 9, 6-7. 75) Gn 22, 18. 76) Ibid. 26, 4. 77) Ibid. 28, 14.
78) Gal 3, 16. 79) Gn 27, 28-29. 80) Cf. Gn 2, 3. 81) Gn 1, 4.
82) Io 8, 12. 83) Vr. 13. Vulg. habet: *Vocaberis,* etc.

SERMO DECIMUS

DE VIRGINIS DEIPARAE POTENTIA ET MISERICORDIA EX VERBIS SALUTATIONIS: *Sancta Maria Mater Dei*

Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc et semper. Amen. [1]

Arca testamenti Israelitarum spes; Maria, arca Divinitatis, spes Christianorum.

I. Sicut olim veri Israelitae omnem fere spem salutis suae in arca testamenti Domini, quae veluti thronus et thesaurus Divinitatis erat, piis animis reposuerant, ad illam in suis necessitatibus et adversitatibus recurrebant, illam summopere venerabantur, coram illa prostrati, preces ex animo fundebant implorantes divinum auxilium; [2] ita nunc veri Israelitae, fideles Christi, sanctae matris Ecclesiae legitimi filii, agunt cum Deipara Virgine, viva Divinitatis arca. In ipsa, post Christum, omnem spem salutis suae reposuerunt; ipsam, ut par est, suspiciunt, venerantur, colunt, adorant, scientes quod apud Deum Sponsum suum et apud Christum Filium suum, Dominum nostrum, nihil non potest; quod honorat illam Deus uti Sponsam suam, sicut Assuerus reginam Esther pro salute populi sui deprecantem, cui multo plura concessit quam illa petiit, aut petere ausa fuisset; [3] quod honorat eam Christus sicut Matrem suam, sicut Salomon Bethsabee matrem, sicut legimus: *Venit... Bethsabee ad regem Salomonem, ut loqueretur ei pro Adonia; et surrexit rex in occursum eius adoravitque eam, et sedit super thronum suum: positusque est thronus matri regis, quae sedit ad dexteram eius;*

1) Ecclesia. 2) Cf. 1 Rg 4, 3 sqq. 3) Cf. Est 5, 1 sqq.

cumque ad postulandam gratiam pro Adonia accessisset, dixit ei rex: *Pete, mater mea; neque enim fas est ut avertam faciem tuam.* [4]

Maria a Christo omnipotentia donata, quia ab ipsa fuit rex Ecclesiae incarnatione coronatus.

II. Quis autem sic erit vecors ut existimet Christum in pietate erga Matrem Salomone inferiorem esse? Obtinuit illa quidem Salomoni regnum, nam David, Bethsabee precibus flexus, Salomonem regem constituit; alioquin Adonias pro David patre suo regnasset. [5] Maria autem Christum in utero suo unctum coronatumque regem genuit; hinc Angelus ait: *Natus est... hodie Salvator, qui est Christus Dominus;* [6] et Magi: *Ubi est qui natus est rex Iudaeorum?* [7]

Sicut David unctus fuit rex non solum in Ierusalem super omnes tribus Israel, [8] non solum in Hebron super tribum Iuda, [9] verum etiam secreto a Samuele in paternis laribus, [10] quare ter unctus fuit, sed primo in domo patris et matris suae secreto; ita Christus ter coronatus est rex: in utero Virginis in die incarnationis, in sepulcro in die resurrectionis: *Et erit sepulcrum eius gloriosum,* [11] et tandem in coelo in die ascensionis: *Filiae Ierusalem, venite, egredimini et videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis suae in laetitia cordis sui.* [12] A Matre dicitur Christus rex coronatus, quia Rex gloriae ab ipsa est genitus; Salomon nanque hoc loco Christus est, ut Origenes [13] et Gregorius [14] nec non etiam Cassiodorus [15] in *Canticis* exposuere, Ambrosius etiam, *De Institutione Virginum*, cap. 16; [16] mater autem, quae eum coronavit, Virgo Deipara; dies desponsationis tempus incarnationis, quoniam Christus vere desponsatus est Ecclesiae in uteri virginalis aula et thalamo.

Caro Christi corona aeternae pietatis.

Cum autem Christi caput Deus sit, quid caro Christi nisi « corona aeternae pietatis, ut Ambrosius ait, in capite nostri huius Salomonis »? [17] *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei.* [18] *Apparuit... gratia Dei Salvatoris nostri.* [19] Sicut autem regibus pretiosissimae coronae sunt, ita plane caro Christi in oculis Dei, in oculis Virginis, in oculis Angelorum, in oculis Electorum omnium; hinc divinissimo splendore fulget nunc in coelo millies milliesque

4) 3 Rg 2, 19-20. 5) Cf. ibid. 1, 15 sqq. 6) Lc 2, 11. 7) Mt 2, 2. 8) Cf. 2 Rg 5, 3. 9) Cf. ibid. 2, 4. 10) Cf. 1 Rg 16, 13. 11) Is 11, 10. 12) Ct 3, 11. 13) Cf. *Prolog. ad Cant.* (P. G. 13, 35). 14) Cf. *Comment. in Cant.* loc. cit. (P. L. 79, 427). 15) Cf. *Comment. in Cant.* loc. cit. (P. L. 70, 514). 16) P. L. 16, 270. 17) Loc. cit. (P. L. 16, 271. 18) Tit 3, 4. Vulg. habet: *Cum autem benignitas et humanitas apparuit*, etc. 19) Ibid. 2, 11.

sole splendidior. Cum autem Virgo carnis substantiam Christo dederit, ipsa utique cum pretiosissimo hoc diademate coronavit, quod omni auro et argento pretiosius est: *Non enim*, inquit, *corruptibilibus auro* et *argento redempti estis, sed pretioso sanguine... Agni immaculati.* [20] Per Virginem ergo Christus novum Ecclesiae regnum accepit, factus caput fidelium ob assumptam humanitatem in mysterio Incarnationis, devicto per carnem satana. Quare sicut Bethsabee in causa fuit ut Salomon regnum a patre acciperet, et Rebecca ut Iacob ab Isaac primogeniti benedictionem consequeretur; [21] cur ergo Christus Matrem non suspiciat? Non, ut par est, honoret? Num ingratus censendus est Filius? Absit, ut optimo Filio Dei et Virginis turpissimam hanc notam quis inurat!

III. Nam alia ratione adhuc Christus a Maria coronatus est, siquidem Christus vere filius David fuit et regni davidici naturalis heres; sed nonnisi per Mariam *factus est ei ex semine David secundum carnem.* [22] Secundum carnem autem totus a Maria Christus, quia patrem carnis non habuit ex cuius semine sit procreatus. Si autem filius, iure hereditario regnum aliquod consequatur ex materna linea, quia matri illud pertingebat, utique a matre dicetur coronatus et factus rex; ita plane et Christus. Quare sicut Maria vera et naturalis est Mater et Genitrix Christi, ita vere eum heredem regni davidici constituit: *Ecce concipies... et paries filium... Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David, patris eius, et regnabit in domo Iacob in aeternum.* [23]

Maria a Christo omnipotentia donata, quia ab ipsa heres regni davidici incarnatione factus.

Christus igitur Mariam veram matrem et genitricem suam agnoscens, et quidem amantissimam, non potest, ut optimus filius, matrem optimam non diligere et venerari, sicut rex Salomon ad matrem honorandam surrexit de solio, obviam ei ivit reverentiam exhibens, adoravit, et ad dexteram suam sedere fecit; quae evidentia signa sunt impensi amoris et singularis pietatis.

Christus autem quam vere, quam impense Matrem diligeret, in cruce ostendit. Nam cruci affixus maximisque doloribus occupatus et morti iam proximus, pie tamen afflictam Matrem sibi astantem consolari voluit; piis oculis eam aspexit, carissime compellavit, et carissimo lectissimoque discipulo, ut potuit, commendavit: *Mulier, ecce filius tuus*, et... *discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit*

Christus, quam impense Matrem diligeret, in cruce ostendit.

20) I Petr 1, 18. 21) Cf. Gn 27, 1 seqq. 22) Rom 1, 3. 23) Lc 1, 31-32.

eam discipulus in sua.[24] O ingentem Christi in Matrem caritatem et pietatem! Summo in agone constitutus, non de seipso, sed de carissima ac dulcissima Matre sollicitum se ostendit. Ingens adeo erat in Christi pectore pietas, tam ardens caritas erga amantissimam Parentem, ut maxima supplicia summosque cruciatus superarit. Sic Christus Mariae matri optimum se praestitit et piissimum filium. Nihil igitur dubitandum de pietate Christi in Virginem quin eam etiam nunc in coelo diligat, veneretur, honoret ut optimus filius matrem optimam.

Maria tota bonitas in terris, ut patet ex nuptiis in Cana Galilaeae.

IV. Neque ambigendum de Mariae erga nos caritate, ipsa nanque tota caritas, tota bonitas et benignitas est; propterea dicitur *gratia plena*, tota *gratiosa.*[24a] Argumento est quod in nuptiis egit in Cana Galilaeae, deficiente vino. Ad Christum accessit, a nemine rogata, sola caritate urgente, miraculum petiit; et primum miraculorum Christi, ipsa exorante et impetrante, factum fuit: *Deficiente vino, dicit Mater Iesu ad eum: Vinum non habent.*[25] Quis non hic videt in Mariae pectore vivam fidem divinae virtutis in Filio ad patranda divina miracula, cum eam adhuc Christus minime propalasset miraculis, unaque cum fide coniunctam fiduciam et spem in Christi bonitatem? Quis non modestiam et reverentiam Virginis in Christum? Non utitur materna auctoritate, sciens illum esse suum non tantum Filium, verum etiam Dominum et Creatorem, modestissime loquitur; nec multis verbis urget negotium, sed paucissimis verbis usa, Dominum rogavit ut novos sponsos pudore levaret, et convivas omnes divino munere laetificaret.

Officiosissima Mariae humanitas.

Super omnia vero in sacra hac oratione et precatione Mariae divina ipsius erga nos caritas plane officiosissima elucet, ingens humanitas et benignitas. Cognita nanque vini penuria et defectu, condolet novis sponsis, movetur alienis incommodis, cupit pauperum coniugum inopiam sublevare, ne in ipsis nuptiis ob vini defectum pudore suffunderentur, et magna afficerentur tristitia. Cum autem per seipsam beneficium hoc praestare minime posset, tota tamen officiosa, nec rogata nec verita, ad Christum Filium et Dominum suum viva fide vividaque caritate accedit, beneficiumque exorat et intercedit. Et quamvis repulsa et obiurgata videatur a Filio: *Quid mihi et tibi est, mulier? Nondum venit hora mea;*[26] sua tamen intercessione vini optimi et praestantissimi copiam divino miraculo obtinuit et impetravit.

24) Io 19, 26-27. 24a) Lc 1, 28. *Gratiosa* ex graeco. 25) Io 2, 3. 26) Ibid. 2, 4.

Intelligens nanque Christi verba, quae aspera duraque videntur, dicta esse ad discipulorum et convivarum instructionem, ut scirent operationem miraculorum non humanae virtutis esse, secundum quam ipse Filius Virginis erat, sed divinae potestatis, secundum quam a solo Patre procedit, et supra hominem est; ut, inquam, qui praesentes aderant, Christi divinitatem intelligerent, quae latebat in homine, et percipiens Christi mentem propensamque ad praestandum beneficium voluntatem, quod iam beneficium illud divino miraculo praestitisset, si advenisset hora a Patre praescripta ad manifestandam gloriam suam, ait ministris: *Quaecumque dixerit vobis, facite.* [27] Sic aqua pura in optimum ac praestantissimum vinum mutata divinitus fuit, primumque miraculum a Christo editum ad Virginis intercessionem patratum extitit, ut sciamus quid Mater apud Filium omnipotentem valeat.

Ratio obiurgationis Christi.

V. Quod si tunc Virgo Deipara pro egentibus intercedere et obtinere potuit a Filio divinum in terra beneficium, cur non possit modo iam beata in coelo? An forte existimabimus oblitam nunc immemoremque nostri effectam esse, sicut pincerna Pharaonis oblitus fuit Ioseph in carcere consistentis? [27a] At vero non potest pia mater oblivisci filiorum, sicut per Isaiam Deus enunciavit: *Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui?* [28] Quisquis autem fidelium Mariae a Christo in Ioanne commendatus est datusque filius; ipse enim qui Mariae dixit: *Mulier, ecce filius tuus,* ille est qui *dixit et facta sunt... mandavit et creata sunt.* [29] Materna viscera eo dicto in Virgine erga Ioannem creavit, ut ita eum diligeret, ac si vere ex suo utero genuisset. Sicut enim reges solo dicto ex equitibus comites faciunt, marchiones ducesque sola, inquam, appellatione; sic et Christus, *Rex regum et Dominus dominantium.* [30] Maria ergo maternis visceribus affecta erga fideles, dilectos selectosque Christi discipulos, qui puro corde in eum credunt et diligunt, eorum oblivisci minime potest; ipsa enim vera Mater est cunctorum spiritu per fidem Christi viventium. [31]

Maria tota bonitas et benignitas etiam nunc in coelis erga fideles.

Neque existimare possumus eam iam in coelo gloriosissimam altissimamque Angelorum Reginam creaturarumque omnium Dominam effectam nos miseros dedignari, ut multis contingit, qui in

27) Ibid. 2, 5. 27a) Cf. Gn 40, 23. 28) Is 49, 15. 29) Ps 32, 9.
30) Apc 19, 16. 31) Cf. August. lib. *De Sancta Virginitate*, cp. 6. (P. L. 40, 399).

sublime levati gratia et favore principum, superbiae spiritu ob novas dignitates inflati et turgidi, superbo supercilio pauperes, gentiles suos, despiciunt, ut nec aspectu quidem eos dignentur.

Sancti etiam post sublimationem humiles et pietate affecti; sed magis Maria, ut patet

Sed non sic viri sancti, Deo digni divinoque spiritu imbuti, non sic. Moyses, divina gloria sublimatus, mitissimus semper et humillimus permansit;[32] David etiam, rex potentissimus effectus, in regali throno humillimus fuit;[33] regina Esther, ad supremum honoris et dignitatis apicem evecta, gentiles suos Iudaeos nec oblita, nec dedignata fuit, sed cum vitae etiam discrimine salutem eorum procuravit.[34] Et existimabimus Deiparam Virginem, quae sanguis et caro nostra est, in coelo nos dedignari? Virtute, caritate, modestia et pietate animi regina Esther inferiorem faciemus? Quis non novit Virginis Deiparae summam altissimamque humilitatem? *Quia respexit humilitatem ancillae suae.*[35] Simillima ipsa Christo, qui, cum vere altissimus esset Dei Filius, ait: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde:*[36] sic Maria corde et spiritu vere humillima et mitissima est, nam etiam in coelo placet Deo humilitas, ubi Luciferi superbia supra modum offensus fuit.[36a]

in annunciatione,

Et plane valde perspicua est in Evangelio Virginis summa humilitas, etiam postquam a Deo exaltata sublimi dignitate etiam super Angelos fuit. Quando enim visitavit et salutavit Elisabeth, iam ipsa fuerat a Gabriele Archangelo visitata et magnifice Dei nomine salutata, iam Dei Sponsa, iam Christi Mater effecta. Quid altius? Quid sublimius excogitari potest? Et tamen ad talem tantamque dignitatem divinitus sublimata, a fundo humilitatis suae nihil mota, sicut Angelo dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum:*[37] sicut humilis ancilla abiit, visitavit, salutavit Elisabeth, honorem deferens et reverentiam exhibens tanquam matri et dominae suae; iamque Deo plena et Spiritu Sancto superplena, divinae huius plenitudinis cognatam suam participem esse voluit; nam: *Ut audivit salutationem Mariae... repleta est Spiritu Sancto.*[38] Non enim vulgaris fuit Virginis salutatio, non simplex et consueta, ut apud omnes fere nationes morale est ut in primo ingressu occurrentes invicem salutent, pacem salutemque optent atque precentur. At salutatio haec ei officiosa fuit caritatis indicium et venerationis delatio et divinae gratiae efficacissima precatio, et divini numeris magna et copiosa oblatio atque largitio; hinc: *Ut audivit salutatio-*

In visitatione,

32) Cf. Nm 12, 3. 33) Cf. 2 Rg 6, 22; 16, 5 sqq. 34) Cf. Est cpp. 5. 7. 35) Lc 1, 48. 36) Mt 11, 29. 36a) Cf. Is 14, 12-14. 37) Lc 1, 38. 38) Ibid. 1, 41.

nem Mariae Elisabeth... repleta est Spiritu Sancto. Cognatae suae pacem optavit, pacem, salutem copiosumque divinorum charismatum munus precata fuit, et sancta precatio apud Deum efficacissima statim sortita est optatum effectum.

In Sacris Litteris raro Virginem locutam legimus, septies tantum: bis cum Angelo: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* [39] et: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum Verbum tuum;* bis cum Filio, in templo: *Fili, quid fecisti nobis sic? Ego et pater tuus dolentes quaerebamus te,* [40] in nuptiis: *Dicit Mater* Iesu *ad eum: Vinum non habent;* semel cum hominibus: *Dicit Mater* Iesu *ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite;* semel cum Elisabeth: *Intravit domum Zachariae, et salutavit Elisabeth: et... ut audivit salutationem Mariae Elisabeth...;* semel ad Deum in suo Cantico vere encomiastico et triumphali, in hymno illo suo plane divino, omnium excellentissimo, eruditissimo, sacratissimo: *Magnificat anima mea Dominum; et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo,* sive *in Deo Iesu meo;* [41] in quo quidem virginali epithalamio Sacratissima Virgo Deum multis laudibus celebravit. In humanis et angelicis etiam colloquiis Maria parca admodum reperitur, tantum in divinis laudibus multa.

in elocutione.

Cum autem tam raro Maria locuta inveniatur, mirum est quod sibi quidem semel tantum a Deo bona precata est: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum;* nobis autem semel et iterum: in domo Zachariae pacem precata fuit Elisabeth, et Spiritus plenitudinem precatione sua cognatae impetravit, Ioannemque in materno utero Spiritu Sancto replevit, iuxta promissa Gabrielis: *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suae;* [42] et in nuptiis vini copiam a Filio intercessione sua obtinuit, ad novos coniuges pudore levandos convivasque exhilarandos novitate divini miraculi et agnitione Divinitatis in Christo latentis magis quam vino.

Semel pro se locuta, pluries pro nobis.

Sic in Divinis Litteris perspicua est Deiparae Virginis summa cum caritas tum etiam humilitas, etiam post divinam sublimationem; neque enim dignior nunc est Maria in coelo quam esset cum visitavit Elisabeth. Sicut enim Christus nihilo dignior nunc est in dextera Patris quam esset in utero Matris; sic et Virgo Sanctissima tunc erat vera atque perfecta Dei Sponsa et Christi Mater, sicut et nunc

Virgo semper eadem; nil minus in coelis humilis et pia, quam in terris.

39) Lc 1, 34. Vulg. habet: *Ecce pater tuus et ego,* etc.
40) Ibid. 2, 48.
41) Ibid. 1, 46-47.
42) Lc 1, 15.

in coelo ad dexteram Filii; nil minus ergo nunc mitis et humilis, quam tunc erat mente et spiritu. Et forte nunc ardentiori erga nos caritate maiorique benignitate, clementia et pietate praeditum gerit pectus. Nihil igitur nobis ambigendum est de ipsius potestate aut voluntate. Potest ipsa omnia, quoniam omnipotentis Dei vera Sponsa est, Christi omnium Creatoris et Domini vera et naturalis Mater; vult etiam, quoniam amantissima parens fidelium est, divina praedita caritate, dulcissimae matris viscera erga nos gerit, sciens nos tantopere Deo et Christo Filio suo dilectos esse et caros, quam ei caro constitimus; magno enim pretio nos emit, *pretioso sanguine... Agni immaculati* [43] nos redemit.

Virgo Deipara summopere colenda, imitanda, invocanda

VI. Cum igitur Virgo Deipara apud Deum pro sua reverentia omnia possit, post Deum nobis summopere colenda est, veneranda, collaudanda, imitanda, invocanda. Post Deum, inquam, ne cum Colliridianis haereticis, quos Epiphanius disputatione confutavit, [44] eam faciamus deam aut aequalem Deo. Nam vere creatura Dei est, sicut Eva fuit, licet Sponsa et Mater sit Dei; sed tamen creatura omnium sub Deo excellentissima, quoniam, ut Chrysostomus ait, *Homilia in Domini Hipapante,* « in rerum universitate nihil maius aut praestantius extat Maria, nec aliud quidpiam inter aspectabilia et inaspectabilia praeclarius et excellentius invenitur ». [45] Quoniam etiam Damascenus ait, *De Dormitione Virginis:* « Maria res cunctas creatas superat ac omnibus dominatur operibus, quoniam eius est Mater qui Creator et Opifex et Dominus universorum exsistit »; [46] unde eam « animatum coelum, vitae thesaurum et abyssum gratiae » appellat. [47] Colenda nobis Virgo est, quoniam, ut Anselmus ait, « in tantam celsitudinem elevata est, ut eam dominam habeat et veneretur omnis pariter creatura; [48] et omnia quae in coelo sunt Mariae glorificatione inaestimabiliter decorantur ». [49]

cum Ss. Patribus

et fidelibus

Et quidem omnes Christifideles, pii et egregii Dei cultores, a prima aetate Ecclesiae Mariam Dei Matrem semper mirifice coluerunt, imitando tanquam exemplar divinum omnium virtutum, venerando tanquam sanctissimum Dei templum vivamque Divinitatis

43) 1 Petr 1. 19. 44) Cf. *Adversus Haereses. Haeres* 79. (P. G. 42, 1057 sqq.). 45) Haec verba desiderantur in edit. Migne (P. G. 50, 807 sqq.); inveniuntur vero in Serm. *De Natali Domin.* qui, sub D. Chrysostomi nomine, habetur in *Brev. Rom.* Comm. Fest. B. M. V. 2 Noct. 46) *Homil.* 2, n. 1. Ad sensum. (P. G. 96, 868). 47) Loc. cit. n. 2. (P. G. 96, 869-870). 48) Lib. *De Excellentia Virg.* cp. 12. (P. L. 159, 579). 49) Loc. cit. cp. 8. (P. L. 159, 573). Opus dubium.

arcam, laudibus celebrando tanquam super omnes mulieres benedictam, ut ab Angelo Gabriele prius et postea ab Elisabeth, Spiritu Sancto repleta, collaudata fuit; tandem suppliciter eam invocando tanquam matrem misericordiae singularemque humani generis adiutricem, patronam Ecclesiae et mediatricem inter Christum et homines.

Impii haeretici, filii satanae et fratres antichristi, Catholicos omnes procaciter proscindunt, idololatriae insimulantes et magnae impietatis iniuriam impingentes ob Sacrosanctae Deiparae cultum, quasi nos cum Colliridianis haereticis Mariam ut deam colamus.[50] Sed *vae qui* dicunt *malum bonum et bonum malum, ponentes lucem in tenebras et tenebras* in *lucem.*[51] Duces sequuntur caecos, caeci ipsi, a satana obcaecati. Nos Sanctorum vestigiis inhaerentes, qui non solum viri exstitere doctissimi et longe sapientissimi, verum etiam Dei cultores egregii, in cultu pietatis exercitatissimi, errare nequaquam poterimus. Hi autem in cultu Virginis multi semper fuere, atque, ut pro sua virili Virginem imitarentur, honorarent, venerarentur, pro dignitate laudarent, et piis precibus invocarent, studium adhibuere non parvum aut mediocre, sed magnum, ingens, singulare.

contra haereticos, qui cultum Virginis mala fide rident.

VII. Aiunt haeretici Mariam sola imitatione colendam, cultum reliquum in Ecclesia erga Mariam idololatricum esse ac intollerandum errorem contra Dei legem, primi praecepti violationem, impiam superstitionem. Queruntur quod in cultu Mariae profundum nimis itum est, quod a Christo ad Mariam defecimus, quod ex creatura deam effecimus, quod eam maiori quam Christum honore dignamur. Aiunt vanum ac frustraneum esse laborem in Maria invocanda et salutanda, cum longissime absit, puta in coelo, nos autem in terra.[52] Nos autem impios nebulones nihil moramur; colimus quidem Deiparam Virginem, honoramus, veneramur, adoramus; non tamen deam facimus, nec Deo aut Christo aequalem constituimus; non enim adoratione l a t r i a e, ut theologi dicunt, sed d u l i a e aut h y p e r d u l i a e eam adoramus.

Obiectiones haereticorum diluuntur ex Patribus, ex Scriptura, ex exemplis Sanctorum et Ecclesiae, ex ratione.

Rident ipsi, merito deridendi, theologicam hanc distinctionem tanquam humanum commentum,[53] cum tamen antiquissimi theologi,

Sententiae Patrum

50) Cf. Calvinum, *Comment. in Io* cp. 2, t. 6; Lutherum, *Postil. circa Evang. in Nativit. Mariae.* 51) Is 5, 20. 52) Cf. Calvinum, praeter locum cit., *Harm. Evang.* Lc cp. 1, t. 6; Lutherum, praeter locum cit., *Apolog. pro Cantico* «SalveRegina»; Apol. Confes. an. 38. *De Invoc. Sanct.* et *Postil. in Evang. Festor. Mariae;* Centuriat. *Cent. I,* lib. 2. 53) Cf. Lutherum, *Postil. in Epiph. Domini; Comment. in Dt* 6, 13.

praeclara ac nunquam satis laudata Ecclesiae lumina, eam agnoverunt: B e d a , *in Lucam* cap. 4,[54] D a m a s c e n u s , *Apolog.* cap. 3,[55] B a s i l i u s *ad Amphiloch.* cap. 18.[56] Agnoverunt Patres Nicaenae Synodus act. 7;[57] agnovit et docuit singulariter A u g u s t i n u s , lib. 20 *Contra Faust.* cap. 2;[58] et lib. 6 *De Civit. Dei:*[59] lib. etiam 20 *Contra Faust.* cap. 21;[60] et lib. 10 *De Civit. Dei* cap. 1.[61]

Sensus Scripturarum.

Sed si tacerent Doctores, an non legimus in Scripturis sine crimine adoratos esse a sanctis viris Angelos,[62] adoratos etiam principes?[63] Num propterea idololatriae insimulandi sunt? Quis nescit quod alius honor est qui regi vel imperatori exhibetur, alius qui aulicis familiaribus ipsius? In aula autem regia primus, post regem et filium regni principem et heredem, reginae sponsae et matri, primus, inquam, defertur honor. Sic igitur et nos, post Deum omnium Creatorem et post Christum unicum Filium eius, altissimam hanc Reginam, Sponsam Dei et Matrem Christi, summo colamus pietatis affectu, summa religione veneremur, nec vano labore in ea colenda frustrabimus; ipsa nanque benedicta terra est, quae fructum centuplum reddit.[64]

Non frustra Virgo colitur, quia ipsi materna cura est de nobis.

Nec putemus absentem aut longe distantem, ut preces votaque nostra non sentiat, nam, cum Deo praesens in eo omnia videat, videt utique et nos et vota precesque nostras. Neque enim instar idoli insensati est, ut oculos habeat et non videat, aures et non audiat;[65] nec sensus sopitos habet, aut nulla eam de nobis cura tangit, sed Christo simillima est Deoque ipsi. Sicut de Deo legimus: *Oculi Domini super iustos et aures eius* ad *preces eorum*,[66] et quod supra templum suum intentos oculos auresque et cor tenebat;[67] ita plane de Christo, ita de Virgine sentiendum est. Ipsi cura de nobis est, tanquam amantissimae matri de dilectissimis filiis; non enim, cum in coelum abiit, materna exuit viscera, aut caritatem abiecit, nam *caritas nunquam excidit;*[68] ardet in ipsius pectore caritas plusquam seraphica.

Christus e coelo doloribus compatitur;

Et sicut de Christo P a u l u s ait: *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris:*[69] expertus loque-

54) Vr. 8. (P. L. 92. 368). 55) *Orat. 3 De Imag.* n. 27 sqq. (P. G. 94, 358 sqq.). 56) Nn 45-46. (P. G. 32, 356-357). 57) 2 Synod. Nic. Ms.: habet: Act 3. 58) P. L. 42. 369. 59) In Praefatione. (P. L. 41, 173). 60) P. L. 42, 384 sqq. 61) P. L. 41, 277-278. 62) Cf. Gn 19. 1; Nm 22. 31; Jos 5. 15 et alibi. 63) Cf. 3 Rg 1, 16. 23. 47; 4 Rg 4. 37; Judt 10. 20 et alibi. 64) Cf. Lc 8. 8. 65) Cf. Ps 113, 5-6. 66) Ps 33, 16. 67) Cf. 3 Rg 9. 3. 68) 1 Cor 13. 8. 69) Hebr 4, 15.

batur Paulus, nam, cum ipse Ecclesiam Christi persequeretur, et, tanquam infernalibus furiis exagitatus, Christifideles nullo loco pateretur consistere, compassus Christus fidelibus suis, de coelo descendit ad Paulum prosternendum et convertendum ex lupo et leone rugiente in agnum: *Saule, Saule,* inquit, cur *me persequeris... Ego sum Iesus* Nazarenus, *quem tu persequeris;* [70] et sicut sancti Angeli gaudere dicuntur et exultare in hominum salute [71] et amare flere in afflictionibus hominum; [71a] sicut et Deus ipse compati dicitur fidelibus suis in angustia positis, sicut Moysi dixit ex rubo quod, videns afflictionem populi sui, descenderit ad liberandos eos; [72] ita Virgo Deipara, Deo super omnes Sanctos et Electos simillima, divina praedita tum sapientia tum caritate, videt, piisque oculis nos semper aspicit, nostrisque afflictionibus materno affectu compatitur, sicut Filio suo compatiebatur in cruce. O illos beatos, qui Sacratissimam Virginem singulari prosequuntur piae devotionis affectu!

sic et Angeli:

sic et Deus et Maria.

Multi sanctorum Patrum extitere qui in Deiparae cultu, in ea veneranda, celebranda, invocanda nunquam sibi satisfecisse visi sunt. Sic Bernardus devotissimus, sic Anselmus, sic Bonaventura, sic Bernardinus Senensis aliique permulti, qui in cultu Virginis supra modum seduli ac studiosi extitere.

Exempla Sanctorum quoad cultum Virginis.

Quanta autem fuerit semper in Ecclesia Dei toto christiano orbe pietas studiumque in cultu et veneratione Mariae, argumento sunt templa magnificentissime ac sumptuosissime extructa, altaria summis sumptibus ornata; sunt sacrae imagines summa veneratione cultae, sunt dies festi ad illius honorem dedicati, ac tandem sedulum ac perpetuum studium eam invocandi ac salutandi in sacris precationibus ac divinis officiis. Sic modis omnibus sategit ac gestivit Ecclesia Christi gratam, piam et obsequentem se praebere Deiparae Virgini, a qua post Deum omne salutis nostrae beneficium agnoscit, et in cuius patrocinio post Christum spem omnem salutis, gratiae et vitae consequendae reposuit. Hinc Matrem Reginamque misericordiae, vitam, dulcedinem et salutem suam appellat in solemni et suavissimo cantico, quo Deiparam Virginem saepe salutat atque precatur: « Salve, Regina, mater misericordiae, vita, dulcedo et spes nostra, salve », et concludens tandem: « O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria ».

Exempla Ecclesiae.

Nec tamen iniuriam aliquam Christo irrogat Ecclesia, dum Ma-

Rationes pro cultu Virginis:

70) Act 9, 3-5. 71) Cf. Lc 15, 10. 71a) Cf. Is 33, 7. Sensu accommodato.
72) Cf. Ex 3, 8.

trem Reginam coeli appellat, quia parem Christo minime facit; sed tanquam vera Mater Christi ipsius ubique regnantis Regina in coelo creditur et adoratur. Nam etiam omnes Electi in coelo reges dicuntur: *Fecisti nos Deo nostro reges et sacerdotes, et regnabimus super terram.* [73] Sic viginti quatuor Seniores habent coronas aureas in capitibus, [74] et omnes pauperes spiritu a Christo possessores dicti sunt regni coelorum. [75] Quae igitur Christi est iniuria, si Mater eius, Sanctorum omnium sanctissima et Electorum electissima, Regina coeli nuncupatur? Si Deus Christum humiliatum exaltavit, [76] cur non Christus exaltatus Matrem humillimam exaltavit? *Omnis enim qui se humiliat, exaltabitur.* [77] Socia fuit passionum Christi, ergo et consolationis et conglorificationis, ergo et regni. [78]

Virgo Regina coeli est;

Sic etiam absque ulla Christi iniuria dicitur vita et spes nostra. Non quidem sicut Christus, qui ait: *Ego sum lux mundi;* [79] *Ego veritas et vita;* [80] *Ego resurrectio et vita;* [81] *Et vita erat lux hominum;* [82] nec sicut de Deo legimus: *Tu es, Domine, spes mea,* [83] et: *Spes omnium finium terrae;* [84] sed vita, quia per ipsam « fructum vitae communicavimus »; [85] quia fructum vitae ipsa edidit, quia in spiritu Mater viventium, sicut Epiphanius eam appellavit; [86] quia Christum pariens facta nobis est causa vitae aeternae. Sic ipsa per Christum et post Christum universo mundo facta est causa vitae et salutis aeternae. Sic etiam spes nostra, quia mater dulcissima et pro nobis apud Christum Filium suum mediatrix et advocata, nihil obtinere intercessionibus suis non valens. Sic Bernardus, *De Nativitate Virginis,* eam appellavit scalam peccatorum, suamque maximam fiduciam omnemque spei suae rationem, et ad mediatorem Christum mediatricem aptissimam facit. [87] Sic igitur, fratres, nos in Deipara Virgine omnem spem salutis nostrae post Christum reponamus, ipsam invocemus, ad ipsam confugiamus; nam qui ipsam invenerit, *inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino;* [88] thesaurum inveniet omnium gratiarum Dei. Amen.

Virgo nobis causa vitae;

Virgo etiam spes nostra.

Exhortatio: ad Mariam confugiamus.

73) Apc 5, 10. 74) Cf. Ibid. 4, 4. 75) Cf. Mt 5, 3. 76) Cf. Phil 2, 9. 77) Lc 14, 11. 78) Cf. 2 Cor 1, 7. 79) Io 8, 12. 80) Ibid. 14, 6. 81) Ibid. 11, 25. 82) Ibid. 1, 4. 83) Ps 90, 9. 84) Ps 64, 6. 85) *Brev. Rom.* Offic. Parv. B. M. V. 4 Ant. ad Laudes. 86) Cf. *Adversus Haereres, Haeres.* 78. (P. G. 42, 1050). 87) N. 7. (P. L. 183, 1015). 88) Prv 8, 35.

4.

IN CANTICUM VIRGINIS DEIPARAE

SERMONES DECEM

Magnificat anima mea Dominum,

et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillae suae, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen eius.

Et misericordia eius a progenie in progenies, timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.

Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes.

Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiae suae.

Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, et semini eius in saecula. Lc 1, 46-55.

SERMO PRIMUS

MAGNIFICAT CANTICUM LAUDIS

Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus, etc. [1]

I. Sicut Anna mater Samuelis ob susceptam divinitus optatissimam prolem, Divino Spiritu afflata, in laudem Dei et gratiarum actionem canticum cecinit, dicens: *Exultavit cor meum in Domino, et exaltatum est cornu meum in Deo meo, quia laetata sum in salutari tuo;* [2] ita plane Virgo Beatissima in hoc Cantico Deum collaudat.

Magnificat est canticum laudis.

II. Est autem mirabile triplici ex capite: ab auctore, ab actione et a subiecto vel obiecto divinae huius laudis et coelestis encomii. Ab auctore, nempe *anima* et *spiritu;* ab actione, *magnificat, exultavit;* a subiecto vel obiecto, *Dominum, in Deo salutari meo.* Nam etiam epica poesis, sive quod dicunt poema heroicum, tria requirit: subiectum, actionem, et finem; ut habeat unum principale subiectum quod celebrat, unam actionem et unum finem. Divini autem huius Cantici subiectum sive obiectum Deus est, quo maius excogitari non potest; actio, idest, divina laus res est plane angelica: *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in saecula saeculorum laudabunt te.* [3]

Tripliciter mirabile: ab auctore, ab actione, ab obiecto.

III. Sed consideremus auctorem. *Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus. Anima* et *spiritus,* mens et animus.

Auctor laudis, Maria, nobilissima

1) Lc 1, 46-47 sqq. 2) 1 Rg 2, 1. 3) Ps. 83, 5.

omnium creaturarum.

Ad illam spectat cognitio, ad hunc amor. Est quidem una tantum rationalis anima in homine, sed habet duas principales vires, vel, ut dicunt, potentias et quidem admodum differentes; una enim coelum amat calidum, altera frigidum. Hinc sub calidiori coelo sunt homines acutiori ingenio et mente praediti, sed non animo candidiore; sunt enim astutiores, sicut etiam obscuriori colore. E contra vero sub frigidiori coelo, sub ursa, sunt homines tardiori hebetiorique ingenio, sed animo candidiore sicut etiam colore; ita ut bonitas, idest, acumen ingenii incipere videatur ab Austro, et in Aquilone consumi finirique; bonitas vero, idest, candor animi e contra incipit ab Aquilone, et in Austro finitur. In mediis autem regionibus homines utrumque habent mediocre temperatumque.

Hominum coelorumque temperies.

In Virgine Beatissima utrumque optimum divinissimumque tum natura tum gratia. Nam mundus hic est divina arte compositus ad instar mirabilis illius statuae, quae in somnis divinitus ostensa fuit Nabuchodonosor regi; quae, cum haberet pedes fictiles, tibias habebat ferreas, crura cum ventre aenea, pectus brachiaque argentea, ac tandem aureum caput; [4] superiores partes semper nobiliores erant. Ita plane hic mundus, cuius statua illa vel uti imago ac figura hieroglyphica fuit. Nam sicut homo parvus mundus est, ita mundus homo magnus est; superiores partes semper nobiliores habet; elementa superiora nobiliora sunt: coeli, Angeli, Deus ipse.

Simile: Statua regis Babyloniae.

Sicut autem Virgo Beatissima nunc quidem super omnes Angelos proxima Deo constituta est, utique propter animam virtutesque eius; ita anima ipsius summa nobilitate praedita est: aurum inter metalla, homo inter animalia, sol inter astra; unde *sole amicta* dicitur, [5] sicut arca auro amicta in sancto sanctorum reposita. [6]

Quid anima.

De naturali anima multa in Divinis Litteris traduntur: substantia, quod sit spiritualis natura; itemque nobilitas et origo: *Inspiravit in faciem eius spiraculum vitae,* [7] sive *vitarum*, ut hebr. est, propter immortalitatem; dignitas et excellentia, quod sit imago et similitudo Dei; actiones, quod det vitam sensumque et motum corpori: *Factus est homo in animam viventem,* [8] aliaque multa. Sed praecipuum est quod sit capax Dei per cognitionem et amorem, capax Spiritus Sancti, capax Divinitatis, possitque cum Deo conversari Deoque frui. Sic: *Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus.*

4) Cf. Dn 2, 31-33. 5) Apc 12. 1. 6) Cf. Ex 25. 11. 7) Gn 2, 7. 8) Ibid. 2, 7.

IV. In rerum universitate conspicitur quod nobiliarum causarum nobiliores sunt etiam effectus: nobilior arbor nobiliores melioresque producit effectus, idest, fructus; nobiliores sunt operationes animae sentientis quam vegetantis, intelligentis quam sentientis. Cum igitur anima Virginis Beatissimae nobilissima sit omnium animarum post animam Christi, nobilissima ipsa sit dignissimaque omnium creaturarum, Regina etiam Angelorum; idipsum censendum est de his actionibus ipsius: *Magnificat anima mea Dominum, et exsultavit spiritus meus;* ipsa super omnes animas Angelosque Deum magnificavit, magnificatque. Haec actio est sicut radius solis inter radios, splendores omnium coelestium siderum; magis ipse solus quam omnes alii simul mundum illuminat; ita Virgo Beatissima super omnes creaturas Deum magnificat.

Actio laudis proportionatur nobilitati animae Mariae.

V. Videtur Virgo Beatissima impossibile opus moliri, ut Deum, qui suapte natura immensus et infinitus est, velit magnificare, idest, maiorem facere. Quis enim posset coelum ipsum maius facere, mundum hunc maiorem reddere? Sed Virgo Beatissima Deum, quem effectu quidem in seipso maiorem reddere non potest, cupit affectu magis gloriosum reddere, saltem in nobis; sic enim dicitur: *Date magnificentiam Deo nostro.* [9]

Obiectum laudis, Deus non effectu sed affectu maior laude factus.

Potest fieri Deus maior in nobis, in cordibus nostris per maiorem cognitionem et amorem; sic Maria voluit Deum magnificare. Deinde sciebat ipsa quod Deus factus erat parvus in utero ipsius: *Parvulus natus est nobis.* [10] *Qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo..., semetipsum exinanivit.* [11] Sic parvum factum utique magnificare potuit, et revera magnificavit; nam et concepit, et portavit in utero, et peperit, et lactavit uberibus, educavitque. O opus mirabile! O magnum miraculum! *Quis audivit unquam tale?* Aut *quis vidit huic simile?* [12] *Magnificat,* etc.

9) Dt 32, 3. 10) Is 9, 6. 11) Phil 2, 6-7. 12) Is 66, 8.

SERMO SECUNDUS

MAGNIFICAT CANTICUM SAPIENTIAE ET PIETATIS

Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo, etc. [1]

Magnificat primum canticum Novi Testamenti.

I. Primum canticum Novi Testamenti est divinissimum hoc Sacratissimae Virginis Deiparae Canticum. Sicut autem primum canticum Veteris Testamenti pro salute populi Dei et liberatione, in mari Rubro demerso Pharaone, cantatum fuit a Maria prophetissa sorore Moysi; [2] sic primum Canticum Novi Testamenti a Maria principe prophetarum, Matre Christi, vera Deipara: *Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum.*

II. Divinissimum autem hoc Canticum plenum est sapientia et pietate. Inter praecipuas enim laudes mulieris fortis, cuius veluti ideam formavit ac vivis coloribus imaginem depinxit Salomon, haec una praecipua est: *Os suum aperuit sapientiae, et lex clementiae in lingua eius,* [3] hebr. *et lex pietatis super linguam tuam;* illud autem *sapientiae,* hebr. est *in sapientia* sive *cum sapientia,* idest sapienter et pie loquitur.

Canticum sapientia et pietate plenum, quia persona canens in sapientia et pietate perfecta.

Sed quaenam est idea mulieris perfectissimae et numeris omnibus absolutissimae, nisi Virgo Sanctissima, quae propterea ab Angelo dicta est *gratia plena?* [4] Hinc in *Canticis* saepe laudatur Sponsae eloquium: *Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis.* [5] *Sicut vitta coccinea labia tua et eloquium tuum dulce; favus distil-*

1) Lc 1, 46-47. 2) Cf. Ex 15, 20. 3) Prv 31, 26. 4) Lc 1, 28. 5) Ct 2, 14.

lans labia tua, mel et lac sub lingua tua.[6] Nam, ut Salomon in *Proverb.* 16 ait: *Favus mellis labia composita,*[7] idest, sermo elegans, eruditus; et 24: *Comede, fili mi, mel, quia bonum est, et favum dulcissimum gutturi tuo; sic et doctrina sapientiae animae tuae.*[8] Sic igitur Canticum hoc Virginis Deiparae plenum est melle sapientiae et pietatis.

Non sine ratione autem existimo dixisse Salomonem quod *aperuit os suum.* Tenebat os clausum, servabat silentium. Rara avis silentium in muliere. Hoc est quod ait: *Sicut vitta coccinea labia tua.* Comparat labia Sponsae vittae muliebri, qua sparsos crines colligunt dum caput componunt. Hinc etiam de ea dicitur: *Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus,*[9] idest, obsignatus. Clausura nanque haec silentium designat, nam Sapiens *Proverb.* 25 ait: *Sicut urbs patens et absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.*[10] Silentium Virginis.

Septies tantum locutam legimus Virginem Deiparam: bis cum Angelo: *Quomodo fiet istud...? ...Ecce ancilla Domini;*[11] tertio cum salutavit Elisabeth;[12] alia vice cum Dominum invenit in templo: *Fili, quid fecisti nobis sic?... Ego et pater tuus,* etc.;[13] iterum ad Christum in nuptiis: *Vinum non habent,* et ad ministros: *Quodcumque dixerit vobis, facite;*[14] tandem cum Canticum divinissimum cecinit: *Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum,* etc. Septies Virgo locuta.

Non dicitur hic de Virgine quod repleta fuerit Spiritu Sancto, sicut de Elisabeth, sicut de Zacharia, qui repletus Spiritu Sancto ait: *Benedictus Dominus Deus Israel,*[15] quoniam ipsa iam multo ante repleta fuerat: *Spiritus Sanctus superveniet in te.*[16] Ex afflatu tamen Spiritus Sancti loquitur. Hinc in *Canticis* dicitur: *Quae habitas in hortis, amici auscultant te: fac me audire vocem tuam.*[17] Cecinit Maria soror Moysi, Divino Spiritu afflata, canticum coram omnibus filiis Israel; Virgo autem Deipara coram Angelis: *Amici auscultant te,* idest, parati sunt ut canticum tuum auscultent: *Fac me audire vocem tuam.* Praefert Dominus vocem Virginis voci Angelorum, quae est *sicut citharoedorum citharizantium in citharis suis:*[18] multo enim dulcior multoque suavior et iucundior est auribus Dei vox Vir- Item, quia persona canens plena Spiritu Sancto est.

6) Ct 4, 3. 11. 7) Vr. 24. 8) Vr. 13-14. 9) Ct 4, 12.
10) Vr. 28. 11) Lc 1, 34. 38. 12) Cf. Ibid. 1, 40. 13) Ibid. 2, 48.
14) Io 2, 3. 5. 15) Lc 1, 67-68. 16) Ibid. 1, 35. 17) Ct 8, 13.
18) Apc 14, 2.

ginis voce Angelorum, imo ipsis etiam Angelis iucundissima est: *Amici auscultant te.*

Maria soror Moysi, Spiritu S. afflante, canit;

Mirum autem videri potest quod, cum introducitur in Veteri Testamento Maria canens primum illud canticum, introducitur multa cum maiestate; nam appellatur prophetis, soror Moysi, qui dux et imperator erat Hebraeorum; introducitur princeps omnium feminarum israelitarum. De Virgine autem Sanctissima nihil dicitur, sed tantum: *Ait Maria.* Bone Deus, quanta verborum parsimonia! Sed iam Evangelista declaraverat qualis et quanta esset haec Maria testimonio Archangeli Gabrielis et testimonio Elisabeth, imo Spiritus Sancti per os ipsius Elisabeth.

Ita Virgo Deipara.

Canticum prioris illius Mariae plenum est divina sapientia, quoniam Spiritu Sancto afflata loquebatur; plenum etiam pietate erga Deum, quoniam in eo gratias agebat Deo, bonorum omnium largitori, pro accepto salutis beneficio: *Contemus Domino, gloriose enim magnificatus est... Iste Deus meus et glorificabo eum: Deus patris mei, et exaltabo eum,* etc. [18a] Similiter Canticum Virginis Deiparae plenum est insigni tum sapientia tum pietate; tanto autem insigniori quanto haec illa insignior; illa enim serva Dei, haec Mater Dei et Domina Angelorum, omniumque supercoelestium spirituum.

Magnificat est canticum sapientiae, quia de Deo altissime loquitur; pietatis, quia Deo gratias agit, et pleno cordis affectu.

III. Plenum est hoc Canticum divina sapientia, quoniam de Deo altissime loquitur, sicut illa Maria, sicut Debora, [19] sicut Anna mater Samuelis, [19a] quae, Divino Spiritu afflatae, divina mysteria cecinere; loquitur de Deo: *Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus... in Deo salutari meo,* cumque ostendit et universi totius Dominum ac Moderatorem, et cuiuscumque creaturae particularis Opificem et Servatorem.

Ideo ab universali ad particulare descendit. Ostendit divinam providentiam: *Respexit humilitatem ancillae suae;* ostendit divinas qualitates: *Fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen eius, et misericordia eius,* etc.; ostendit divina opera: *Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.* [20]

Sapientia Deiparae.

Cum autem recta philosophia de re quacumque tria ostendenda esse decernat: quid sit, quid possit, quid operetur; Virgo Sanctissima, tanquam summa ac sapientissima magistra theologiae, de Deo

18*a*) Ex 15, 1-2. 19) Cf. Idc 5, 1 sqq. 19*a*) Cf. 1 Rg 2, 1 sqq. 20) Lc 1, 48-51.

haec tria canit: quod sit natura Dominus rerum omnium, quod virtute sit omnipotens, quod multa et mira est operatus. Sic, cum esset Virgo Deipara Spiritu Sancto plena, habuit utique spiritum sapientiae et intellectus, nam haec prima sunt Spiritus Sancti dona.

Nec solum divinae sapientiae splendore plenum est hoc Deiparae Virginis Mariae Canticum, verum etiam insigni pietate et summa erga Deum religione, magna animi gratitudine: *Magnificat anima mea Dominum..., quia fecit mihi magna qui potens est.* Pro magnis acceptis beneficiis gratissimo animo piissimoque summas gratias agit; hinc ait: *Magnificat anima mea...* et *spiritus meus:* Deum ex toto corde laudo, eique ex intimis praecordiis qualescumque possum gratias ago. Hinc cum Virgo Deipara summis laudibus ab Elisabeth super sidera, imo super Angelos extolleretur: *Unde hoc mihi ut mater Domini mei veniat ad me?... Benedicta tu in mulieribus...: beata quae credidisti;* [20a] ipsa laudes omnes in Deum refert, divinaque beneficia non suis meritis, sed divinae adscribit bonitati. Pietas Deiparae.

Deum hic laudat summo cum caritatis affectu summoque cum spiritus fervore: *Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* Quid est *salutari meo?* Verba sunt magni affectus. Sicut Regius Vates saepe de Deo loquebatur, Deumque suum appellabat: *Rex meus et Deus meus;* [21] *Deus cordis mei et pars mea Deus in aeternum;* [21a] sicut Paulus: *In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit animam suam pro me,* [22] universale beneficium salutis totius mundi suum dicebat, suumque particulare existimabat, ac si pro ipso tantum mortuus fuisset Christus; sic Virgo Deum dicit Salvatorem suum particularem. Fervor spiritus Mariae.

Quod etiam magna cum ratione dicere potest, nam salvata quidem ipsa est a peccato, ad quod venit Christus: *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum;* [23] sed salvata per praeservationem, ne incideret in peccatum. Christus enim perfectus fuit Salvator; in Virgine autem ostendere voluit se salvare posse etiam praeservando, nedum iustificando, a peccato erigendo lapsos. Sic in primo cantico Veteris Testamenti dicitur: *Dominus... factus est mihi in salutem;* [24] nam nisi Dominus divinum miraculum operatus fuisset, Maria per praeservationem salvata.

20a) Lc 1, 43. 42. 45. Vulg. habet: *Benedicta inter mulieres.* 21) Ps 43, 5. 21a) Ps 72, 26.
22) Gal 2, 20. Vulg. loc.: *Animam suam,* habet: *Semetipsum.* 23) Mt 1, 21. 24) Ex 15, 2.

in mari Rubro periissent Hebraei sicut Aegyptii. Salvavit igitur populum praeservando a morte. Sic ait hic Virgo Deipara.

Item est canticum sapientiae, quia agnoscit et laudat magnitudinem Dei: pietatis, quia in Deo exultat.

IV. Cum autem in toto hoc Cantico divina quaedam lux sapientiae et pietatis in Virgine Deipara resplendeat, singulariter tamen in primis hisce verbis: *Magnificat anima mea Dominum.* An ignorabat Virgo Deum immensum et infinitum esse, ita ut maior fieri non possit? Quis hoc ignorat? Magnificabat quidem ipsa Deum hominem factum tum in utero tum etiam extra uterum, lactando, nutriendo, educando; unde ornatum se a matre in *Canticis* ipse agnoscit et fatetur: *Egredimini, filiae Ierusalem, et videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis suae et in die laetitiae cordis sui.*[25] Alludit ad antiquum priscorum morem, quo sponsi in die desponsationis non solum cultius ornabantur, verum etiam coronis redimiti apparebant: *Tanquam sponsum decoratum corona,* ait Isaias;[26] unde etiam extat illud Plauti: « Hic autem cum corona candide, laute vestitus ».[27] Hic autem mos adhuc in Germania viget. Ornatus igitur et coronatus dicitur a Matre tanquam sponsus in die desponsationis et laetitiae cordis sui, idest, summopere ornatus ac decoratus egressus a Virgine fuit. Hinc autem ait: *Magnificat anima mea Dominum,* sicut Regius Vates: *Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen eius in idipsum,*[28] idest, magnitudinem Dei laudibus extollamus.

Corona sponsorum.

Cognitio et amor Dei.

Magnificat anima mea Dominum. Agnoscit anima mea magnitudinem Dei; haec vera sapientia est Deum cognoscere. *Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo:* haec vera pietas est in Deo exultari et laetari. Coniungit hic Virgo intellectum cum voluntate, et utriusque potentiae Deum ponit obiectum. Intellectu Deum agnoscebat, voluntate summopere diligebat suavissima dilectione, ita ut prae ingenti cordis laetitia spiritus intra ipsam exultaret. Summa sapientia est Deum agnoscere magnum Dominum; summa pietas Deum summum Benefactorem ex toto corde diligere.

In *Canticis* duo singulariter de Sponsa dicuntur: alterum cognitio Sponsi: *Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus, caput eius aurum optimum,* etc.;[29] alterum vero amor: *Dilectus meus mihi et ego illi...; amore langueo;*[29a] itemque: *Fasci-*

25) Ct 3, 11. 26) Is 61, 10. 27) *Cas.* 4, 1. 10. 28) Ps 33, 4. 29) Ct 5, 10-11. 29*a*) Ibid. 2, 16. 5.

culus myrrhae dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.[30] O quale erat Virginis Deiparae cor, tanta plenum sapientia et pietate, cognitione et amore Dei! *Magnificat anima mea Dominum.*

Nihil aliud magnum existimabat Virgo; aiebat cum Regio Vate: *Quid enim mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei,* utique obiectum, *et pars mea Deus in aeternum,*[31] idest, omne bonum meum. Hinc appellat eum *Deum cordis sui,* idest, in quo reposuerat omne desiderium cordis sui omnemque thesaurum suum.

Oritur autem amor ex cognitione boni; quo autem perfectior cognitio, eo perfectior est etiam dilectio. In Virgine autem perfecta fuit Dei cognitio. Hinc Sponsa in *Canticis* praeter generalem quandam Sponsi cognitionem: *Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus,* hebr. *vexillatus inter decem millia,* idest, pulcherrimus omnium; verum etiam per partes eum describit: *Caput eius aurum optimum... Manus illius tornatiles, aureae, plenae hyacinthis. Venter eius eburneus,* idest, corpus ipsius, *distinctum sapphiris. Crura illius columnae marmoreae..., fundatae super bases aureas.*[32]

In Virgine perfecta Dei cognitio, quia perfecte describit Dilectum.

Et adhuc caput per partes describit, non solum in genere; nam describit capillos, oculos, genas, labia.[33] Ac tandem iterum ad generalia: *Species eius,* idest aspectus, *ut Libani, electus ut cedrus, guttur eius suavissimum, et totus* ipse *desiderabilis,*[34] hebr. *totus ipse desideria,* idest, omne quod desiderari potest reperitur in eo. Libanus mons altissimus est et amoenissimus, aspectu pulcherrimus; sic cedrus procera et pulcra nimis arbor. Sed tandem inquit: *Guttur ipsius dulcedines, et totus ipse desideria; talis est dilectus meus.*[35] Qui etiam dicitur hic *dilectus prae dilecto,*[36] idest, maiori dignus amore quo omnis filius dilectus.

Sic luce clarius cernitur quanta Virgo Deipara plena sapientia erat, quam perfecta Dei cognitione praedita, cum tam exacte per partes eum describat. Ita in hoc Cantico Deum appellat absolute Dominum et Salvatorem suum; potentem, sanctum et misericordem dicit aeternumque Numen. Ex tam perfecta cognitione perfectus erat in ea amor.

30) Ibid. 1, 12. 31) Ps 72, 25-26. 32) Ct 5, 11. 14-15. 33) Cf. ibid. 5, 11-13. 34) Ibid. 5, 15-16. 35) Ibid. 5, 16. *Dulcedines* ex hebr. 36) Ibid. 5, 9. Vulg. habet: *Ex dilecto.*

SERMO TERTIUS

MAGNIFICAT CANTICUM EXCELLENTIAE

Magnificat anima mea Dominum. [1]

Magnificat excellentissimum ab auctore, subiecto, causa, arte.

I. Divinum hoc Virginis Deiparae Canticum omnium plane excellentissimum est, ita ut merito dici possit Canticum canticorum multis ex capitibus, sed praecipue ex quatuor: ab auctore, a subiecto, a causa et a divina eloquentia, arte et sapientia qua compositum est. Auctor ab Evangelista simplicissime ponitur: *Et dixit Maria;* subiectum Deus ipse est: *Magnificat anima mea Dominum;* causa magnitudo accepti beneficii: *Quia fecit mihi magna qui potens est;* [2] ars et sapientia qua compositum supernaturalis et divina est, nam Divino Spiritu afflata divinissimum hoc Carmen composuit ac cecinit.

Auctor Cantici Virgo de regia stirpe, sed humilis, affectuosa, fervida, Deo simillima.

II. *Et ait Maria.* En auctor Cantici huius encomiastici. [2a] *Ait Maria.* Quaenam est ista Maria? Non dicitur hic Maria soror Moysi, prophetis, princeps israeliticarum mulierum, nobilissima; sed tantum: *Ait Maria.* At vero iam declaraverat Evangelista magnitudinem eius: quod Virgo erat de regia Davidis stirpe, ad quam Deus dignatus fuit Angelum Gabrielem legatum mittere, ut eam in sponsam tanquam paranymphus reconciliaret ipsi altissimo regum Regi et Domino universae creaturae.[3]

Humilis reverentia Mariae.

Magnificat anima mea Dominum. Non dicit, ut dicere iure potuisset: Sponsum meum, Filium meum; sed sicut prius dixerat: *Ecce*

1) Lc 1, 46. 2) Ibid. 1, 49. 2a) Ms.: *Encomomastici.* 3) Cf. Lc 1, 26 sqq.

ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum,[4] ita hic Deum Dominum suum agnoscit et confitetur, ut sciamus quod ipsa quo familiarius Deo fruebatur, eo magis reverebatur, maiorique cum reverentia colebat; sicut etiam apud Isaiam de Seraphim legimus quod summa cum reverentia coram Deo adstabant, eique trisagium canebant.[5]

Affectus Mariae.

Magnificat anima mea. Non ait: Lingua mea; nam multi Deum lingua, non anima laudant, sicut ipsemet Deus apud Isaiam ait: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me:*[6] sed *anima,* inquit, *mea,* quoniam ex animo, ex toto corde, Divino Spiritu afflata, Deum laudabat. Sic Regius Vates animam suam ad laudandum Deum excitabat, dicens: *Benedic, anima mea, Domino, et omnia quae intra me sunt nomini sancto eius. Benedic, anima mea, Domino, et noli oblivisci omnes.* etc.[7]

Magnificat anima mea Dominum. Animus meus Deum super omnia magnifacit, rebusque omnibus creatis longissime antefert, ita ut dicere posset: *Quid enim mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? Defecit caro mea et cor meum, Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum.*[8]

Magnificat anima mea Dominum, quia non potest lingua mea. Sicut enim Paulus raptus in paradisum, cum audisset arcana verba, ait: *Quae non licet homini loqui,*[9] idest, quae ineffabilia sunt, verbis consequi non possunt; ita plane Virgo divinam quidem magnitudinem agnoscebat mente, sed lingua explicare non poterat. Sic anima, non lingua, Deum laudabat.

Maria Deo simillima.

Magnificat anima mea Dominum, tanquam imago ad vivum, ad naturalem suum prototypum; quia anima Virginis Deiparae magna erat ingenio, iudicio, intellectu, mente, animo, virtute, sapientia, bonitate et sanctitate; revera Deum, cuius erat imago simillima, magnum exhibebat.

Obiectum Cantici est Deus, summa bonitas in se.

III. *Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* Sacrae Litterae duo vel maxime de Deo praedicant: maiestatem et bonitatem, sicut Seraphim apud Isaiam: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius,*[10] idest, maiestate eius. Ad maiestatem spectat omnipotentia, summa sapientia, infinita magnitudo, immensitas; ad bonitatem sanctitas, pietas, misericordia, caritas. Illa parit in anima admirationem, reverentiam, timorem,

4) Ibid. 1, 38. 5) 6, 3. 6) 29, 13 a D. Matthaeo 15, 8 citat. 7) Ps 102. 1-2.
8) Ps 72, 25-26. 9) 2 Cor 12, 4. 10) Is 6, 3.

venerationem; haec autem gaudium et amorem magnamque consolationem. Duo haec complexa est Virgo Deipara: *Magnificat anima mea Dominum,* hic celebrat maiestatem; *Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo,*[11] hic laudat bonitatem; gustaverat enim *quoniam suavis est Dominus.*[12]

Canticum Annae et Canticum Mariae.

Sic Anna mater Samuelis: *Exultavit cor meum in Domino, et exaltatum est cornu meum in Deo meo.*[13] Oritur in animo gaudium ex consecutione ac fruitione boni valde optati, sicut in Anna accepto divinitus optatissimo filio. At vero exultatio non qualecumque gaudium, sed valde magnum significat; profecto quia a Deo bonum revera magnum consecuta fuerat. *Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* Tunc exultare dicitur spiritus cum prae gaudii magnitudine veluti saltare et exilire videtur; sic: *Exultavit in gaudio infans in utero meo.*[14]

Causa Cantici Deus est summus benefactor, praesertim erga Canentem.

IV. Salvatorem autem dicit summum benefactorem, sicut postea explicat: *Quia fecit mihi magna qui potens est.* Cum anima, idest, mens in contemplatione Dei magnitudinem practice cognoscit, tunc spiritus, idest, animus magna fruitur consolatione, cor magno repletur gaudio. Sicut autem, oriente sole, lux calorem praecedit, ita lux cognitionis divinae calorem exultationis. Hinc prius ait: *Magnificat anima mea Dominum,* et postea: *Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* Sic ponitur Deus obiectum cum intellectus tum etiam voluntatis; illum replet sapientia, hanc vero consolatione, laetitia, gaudio. *Exultavit spiritus meus,* non in mundo aut mundanis rebus, non in re aliqua creata, sed *in Deo salutari meo,* qui thesaurus infinitus est omnium bonorum. Ostendit quaenam sit vera materia gaudii, nempe Deus ipse, qui et summa bonitas est et summus benefactor beatificatorque.

Deus, Dominus et Salvator.

In Deo salutari meo. Non dixit: *Magnificat anima mea Dominum* meum, sed *Dominum;* nunc Deum dicit non simpliciter Salvatorem, sed suum: *In Deo salutari meo.* Deus absolute D o m i n u s dicitur, quia universalis et absolutus est rerum omnium Dominus. At vero non ita Salvator est omnium, sicut Dominus, nam Dominus est etiam daemonum omniumque reproborum, qui in die iudicii collocandi sunt ad sinistram Christi et in aeternum damnandi; sed Salvator est tantum fidelium, sed vere fidelium. P a u l u s ait quod Deus *Sal-*

11) Lc 1, 47. 12) Ps 33, 9. 13) 1 Rg 2, 1. 14) Lc 1, 44.

vator est omnium hominum, maxime vero fidelium,[15] idest, salvare cupit omnes homines, maxime vero fideles; vult enim *omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis pervenire,*[16] sed non salvabitur nisi fidelis anima, Deiparae Virgini similis. Ait etiam: *Salutari meo,* sicut Thomas: *Dominus meus et Deus meus,*[17] sicut Regius Vates: *Rex meus et Deus meus,*[18] sicut Paulus: *Qui dilexit me et posuit animam suam pro me.*[19] Deus quidem pro salute omnium et singulorum omnia operatur, et ita omnium ut etiam singulorum, sicut sol ita omnes illuminat, quasi pro singulis creatus esset.

Ars, qua compositum Canticum, est divina ex septuplici Spiritus Sancti dono.

V. Et ait Maria: *Magnificat anima mea Dominum.* Vere ex afflatu et impulsu Spiritus Sancti divinum hoc Carmen Maria elocuta est, nam vere in eo Spiritu Sancto repleta conspicue cernitur, spiritu fidei, spiritu caritatis, spiritu humilitatis, spiritu devotionis et pietatis, spiritu sapientiae et intellectus, spiritu gratiarum actionis, et tandem spiritu etiam prophetiae. Sic Maria fuit prophetis sicut soror Moysi: *Ecce... ex hoc beatam me dicent,* etc.[20] Nec tantum plena spiritu prophetiae, sed spiritu septuplici sicut Dominus: *Requiescet super eum Spiritus Domini.*[21] Plena spiritu fidei, nam plenum est Canticum cognitione Dei divinorumque attributorum et operum, quae nonnisi per fidem cognoscuntur: *Beata quae credidisti.*[22] Spiritu caritatis: hinc toto spiritu laudat Dominum: *Exultavit spiritus meus. Fructus autem spiritus est caritas, gaudium, pax,*[23] spiritualis laetitia in Dei cultu et sancta oratione; cum Domino conversari[23a] signum est caritatis, nam cum dilectis conversamur libenter et cum gustu. Spiritu devotionis, nam orat cum tota anima totoque spiritu, cum intellectu et affectu devotionis: *Orabo spiritu, orabo et mente, psallam spiritu, psallam et mente;*[24] ita hic Virgo Beatissima. Spiritu sapientiae, nam loquitur de altissimis mysteriis divinae electionis. Spiritu humilitatis, nam tacet proprias laudes, refertque in Deum, tumque divinas laudes canit: *Magnificat anima mea Dominum;* non dicit: Patrem meum, Sponsum meum, Filium meum, sed *Dominum;* ancillam se dicit: *Ecce ancilla Domini.* Tandem spiritu gratiarum et gratitudinis; a Deo dilecta, laudata, beneficiis affecta, gratias Deo agit corde, ore et opere. Sic animo gratissima est Virgo Beatissima erga Deum et erga homines: terra benedicta, quae cultoribus suis reddit fructum centuplum;[25] magnificata magnificat.

15) 1 Tim 4, 10. 16) Ibid. 2, 4. Vulg. loc.: *Pervenire,* habet: *Venire.* 17) Io 20, 28. 18) Ps 43, 5. 19) Gal 2, 20. Vulg. habet: *Qui... et tradidit semetipsum,* etc. 20) Lc 1, 48. 21) Is 11, 2. 22) Lc 1, 45. 23) Gal 5, 22. 23a) Ms.: *Conversantes.* 24) 1 Cor 14, 15. 25) Cf. Lc 8, 8.

SERMO QUARTUS

MAGNIFICAT CANTICUM ENCOMII, GRATIARUM ACTIONIS, GRATITUDINIS ET GAUDII

Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum. [1]

Quatuor consideranda in Cantico Deiparae.

I. In divinissimo hoc Cantico quatuor nobis consideranda sunt, sicut in primo cantico Divinarum Scripturarum: auctor, quis cantat, quid canitur, quomodo canitur, et ad quid canitur.

sicut in primo cantico Scripturarum, sororis Moysi.

Primum canticum cecinit Maria soror Moysi; cecinit laudes Dei, cecinit magna cum animi exultatione; nam: *Sumpsit Maria tympanum, et egressae sunt omnes mulieres post eam in tympanis et choris, quibus ipsa praecinebat, dicens: Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est.* [2] Cecinit autem ad gratias agendas Deo pro insigni beneficio. Sic utique in hoc divino Cantico quatuor haec inveniuntur. Canit Maria, canit divinas laudes, unde canticum encomiasticum est; canit summa cum pietate et toto animi affectu; hinc ait: *Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus;* canit ad gratias agendas Deo pro summis beneficiis: *Quia,* inquit, *fecit mihi magna qui potens est,* [2a] ita ut sit canticum simul encomiasticum et eucharisticum nec non et gratulatorium.

Humilitas Deiparae, quae non se sed Deum laudat.

II. Tria autem in animo Virginis Sacratissimae consideranda se offerunt. Primum quidem humilitas, qua, summis laudibus ab Elisabeth Spiritu Sancto plena ac ex divino afflatu affecta, nihil sibi tribuit, sed omnem laudem in Deum refert. Laudata supra modum, nonnisi Deum laudandum praedicat, a quo *omne datum optimum et omne donum perfectum.* [3]

1) Lc 1, 46. 2) Ex 15, 20-21. 2a) Lc 1, 46-47. 49. 3) Iac 1, 17.

III. Deinde devotio, pietas, religio. Nam laudat Deum non tantum lingua sicut multi, de quibus Dominus: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me;*[4] laudat ex toto corde, ex animo: *Magnificat anima mea Dominum,* etc.; laudat Deum mente et intellectu, cognoscendo magnitudinem divinae potentiae et bonitatis ex magnitudine divinorum beneficiorum; laudat summo animi affectu, summam bonitatem ex corde diligendo. Licet enim anima et spiritus aliquando in Divinis Litteris distincta reperiantur, uti apud Paulum: *Usque ad divisionem animae et spiritus;*[5] et: *Factus est primus homo... in animam viventem, secundus autem in spiritum vivificantem;*[6] una tamen et eadem res est anima et spiritus. Sed anima dicitur respectu corporis, cui dat vitam, motum et sensum; spiritus quatenus substantia incorporea est, per se subsistens, Deo similis. Hic tamen anima pro mente, qua Deum cognoscimus, spiritus autem pro animo et voluntate, qua Deum amamus, posita sunt; in Divinis autem laudibus necesse est ut haec simul coniuncta sint. Sic Virgo Beatissima in hoc Cantico Deum adorat in spiritu et voluntate et, ut Paulus ait, orat spiritu, orat et mente, psallit et mente[6a]

Devotio Deiparae, quae laudat Deum ex toto corde

Anima et spiritus eadem res.

IV. Tertio conspicua est summa animi gratitudo, qua Deus summopere delectatur: *Magnificat anima mea Dominum... quia fecit mihi magna,* etc. Agnoscit beneficia divinitus sibi collata, summoque Benefactori pro sua virili summopere gratam se exhibet animo, lingua, opere; nam etiam operibus Deum laudamus et Deo gratias agimus. Hinc ait: *Ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem;*[7] hinc legimus: *Sacrificia laudis;*[8] hinc David, memor divinorum beneficiorum, voluit templum Deo aedificare.[9] Sic Virgo Beatissima Deo gratias egit animo et spiritu, simul et ore: *Ait Maria: Magnificat anima mea;* simul etiam opere, nam ex divino afflatu ad hoc venit in montana Iudaeae, et intravit in domum Zachariae, et salutavit Elisabeth, utique pro gloria Dei.[10]

Gratitudo Deiparae quae gratias agit Deo animo, lingua, opere.

Magnificat anima mea Dominum. Magnificata a Domino, sicut de Salomone legimus: *Magnificavit Dominus Salomonem super omnem Israel, I Paralip.* 29;[11] sic, inquam, Virgo Beatissima magnificata a Deo super omnem creaturam, Dominum magnificat.

A Deo magnificata, Deum magnificat.

4) Mt 15, 8. 5) Hebr 4, 12. 6) 1 Cor 15, 45. Vulg. loc.: *Secundus autem.* habet: *Novissimus Adam.* 6a) Cf. ibid. 14, 15. 7) Mt 5, 16. 8) Ps 49, 14. 23. Vulg. habet: *Sacrificium.* 9) Cf. 1 Par 22, 1 sqq. 10) Cf. Lc 1, 39 sqq. 11) Vr. 25.

Gaudium spirituale Deiparae.

V. Praeterea cernitur in hoc Cantico gaudium spirituale, quod est Spiritus Sancti fructus, ut Paulus ait: *Fructus autem Spiritus est caritas, gaudium, pax,*[12] quod alibi appellat *gaudium in Spiritu Sancto;*[13] sicut de Domino legimus quod *exultavit in Spiritu Sancto, et dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine,* etc.;[14] de quo Regius Vates: *Anima autem mea exultabit in Domino, et delectabitur in salutari suo.*[15] Sic Virgo Beatissima ait: *Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo;* sicut Anna mater Samuelis: *Exultavit cor meum in Domino, et exaltatum,* idest, quia *exaltatum est cornu meum in Deo meo; dilatatum est os meum,* nempe ad divinas laudes, *quia laetata sum in salutari meo;*[16] et Habacuc: *Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Iesu meo.*[17]

Ineffabilitas huius gaudii ex magnitudine causae.

Magnitudo huius gaudii ineffabilis est, sicut et causa unde ortum est: *Quia fecit mihi magna;* sicut qui magnum invenit thesaurum, nam: *Invenisti gratiam apud Dominum,*[18] datusque est ei filius, *in quo sunt omnes thesauri scientiae et sapientiae* Dei;[19] infinitus thesaurus omnium bonorum Christus est.

Simile.

Triplici gaudio potest affici quam maxime mulier in hoc mundo. Primo quidem, cum, a patre summopere dilecta, maxima ac ditissima dote donatur; secundo, cum sponso nobilissimo, ditissimo, pulcherrimo et amantissimo desponsatur; tertio, cum optatissimam prolem suscipit. Sic Virgo Beatissima omni gaudio cumulatissime perfusa divinitus fuit: *Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo,* idest, summo benefactore meo. *Et ait Maria.* Non dicitur hic Maria repleta Spiritu Sancto, sicut Elisabeth, ne putaretur nunc primum repleta; iam Spiritus Sanctus in eam supervenerat,[20] iam Deo plena erat.

12) Gal 5. 22. 13) Rom 14. 17. 14) Mt 11. 25.
15) Ps 34, 9. 16) 1 Rg 2. 1. 17) 3. 18. 18) Lc 1. 30.
19) Col 2, 3. Vulg. habet: *Sapientiae et scientiae.* 20) Cf. Lc 1, 35.

SERMO QUINTUS

MAGNIFICAT CANTICUM SUAVITATIS

Magnificat anima mea Dominum. [1]

Magnificat Canticum suavitatis a consonantia facultatum Canentis

I. Divino Spiritu afflata Virgo Beatissima canit dulcissimum hoc Canticum Domino. Sicut sanctissima anima patris sui, Dei memor divinorum beneficiorum, saepe Deo canebat, suavique sono suae citharae psallens, Deum laudabat: *Psallam tibi in cithara;* [2] *Deus, Deus salutis meae;* [2a] ita Virgo Sanctissima cum cithara cordis sui optime temperata Deum laudabat. Ecce consonantia animae et spiritus: *Magnificat anima mea..., exultavit spiritus meus.* In nobis raro cithara haec temperata est, ita ut dicere possimus: *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum;* [3] in Virgine Beatissima sed ita.

Concordia cum carne et discordia cum spiritu Deo displicent.

In nobis est quidem aliquando et saepe saepius concordia harmonica, sed quae Deo displicet, placet autem diabolo. Est autem cum ratio consentit sensui, spiritus carni, cum malis cogitationibus coniunguntur mala pravaque desideria, cum imaginatio pulsat et appetitus ad sonum ipsius saltat. Haec mala musica est ac Deo displicens concordia.

Saepe in nobis discordia magna est, cum *caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem; haec enim sibi invicem adversantur;* [4] unde *condelector... legi Dei secundum interiorem hominem; sentio autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae.* [4a] Saepe etiam in nobis discordiam experimur inter intellectum et affectum, sicut ille ait: « Video meliora proboque, de-

1) Lc 1, 46. 2) Ps 70, 22. 2a) Ps 50, 16. 3) Ps 83, 3.
4) Gal 5, 17. 4a) Rom 7, 22-23. Vulg. loc.: *Sentio*, habet: *Video*.

teriora sequor ».[5] Hinc non semper citharam hanc bene temperatam habemus, ut psallamus Domino.

Virgo dulcissima psaltes.

At vero Virgo Beatissima semper habuit citharam cordis sui optime temperatam; semper in ipsa summa fuit concordia inter animam et spiritum, intellectum et affectum secundum Deum: *Magnificat anima..., exultavit spiritus;* sic cum hac divina cithara, tanquam optima psaltes, Dominum laudavit. Fuit Virgo Beata optima eruditissimaque psaltes, musicesque divinae supra quam dici potest aut cogitari doctissima.

Scitum est celebrasse Graecos triplicem musicam: diatonicam, chromaticam et enharmonicam, habuisseque quatuor concentuum genera: phrygium, lydium, ionicum et doricum.[6] Sed haec fuerunt genera sensibilis, humanae mundanaeque musices, non coelestis et angelicae divinaeque quae in paradiso iugiter exercetur.

Magnificat Canticum suavitatis ab amabilitate Canentis.

II. Virgo autem Beatissima a Spiritu Sancto divinitus edocta, sicut et anima Davidis, coelestem musicen optime omnium didicit atque percepit; hinc hodie dulcissime simul et eruditissime canit, sed utique laudes divinas sicut Angeli in coelo. Fuit autem cantus hic Beatae Virginis Deo gratissimus. Veluti si princeps, qui mirum in modum musica delectatur, sponsam habeat, et quidem supra modum carissimam ac dilectissimam, quae et vultu et voce angelica sit, et musices eruditissima, ita ut ad quodvis instrumentum optime canat dulcissimeque ac suavissime; quis erit gustus principis, dum eam tam suaviter canentem audit? Quae unquam poterit ei musica, quis concentus suavior? Ita plane Virgo Beata, Sponsa Dei dilectissima, hoc suo Cantico Deum summa iucunditate affecit. Hinc praecipue in *Canticis* legimus: *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, et facies tuo decora;*[7] proponitur vultu et voce vere angelica: *Vox tua dulcis et facies tua decora;* nec tantum, verum etiam alio in loco eiusdem libri: *Quae habitas in hortis, amici auscultant te: fac me audire vocem tuam.*[8]

Suavior Deo cantus Virginis omnibus aliis.

Mirabile est Spiritus Sancti artificium in commendanda divina hac cantatrice, nam in coelo hoc perpetuum est Angelorum ministerium: *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in saeculum saeculi laudabunt te.*[9] Sed quomodo laudant? Canendo et psallendo cum

5) Ovid. *Metam.* 7, 20-21. 6) Plutar. *De Musica*, pag. 734 sqq. 7) Ct 2, 14.
8) Ct 8, 13. 9) Ps 83, 5.

variis generibus instrumentorum musicorum, sicut in templo divinae laudes canebantur.[9a] Hinc vigintiquatuor seniores habebant citharas in manibus;[10] hinc audivit Ioannes in coelo vocem sicut citharoedorum citharizantium.[11] Cumque non possit Angelorum concentus et harmonia non gratissima et iucundissima esse divinis auribus, attamen hanc solam cantatricem audire desiderat: *Sonet vox tua. Fac me audire vocem tuam.* Hinc altum silentium fit in coelo, ut omnes eam audiant: *Amici,* inquit, *auscultant te: fac me audire vocem tuam.* Multo iucundior multoque dulcior et suavior est divinis auribus cantus divinae huius cantatricis, quam cantus concentusque omnium Angelorum et Sanctorum totius paradisi: *Sonet vox tua...; vox enim tua dulcis. Fac me audire vocem tuam.* Magis delectatur Deus una tantum laude Virginis Beatissimae, quam laudibus perpetuis totius paradisi.

III. *Magnificat anima mea Dominum.* Proponitur nobis Virgo Beatissima tanquam virgo vere *sancta* et *corpore et spiritu...*, cogitans *quae Domini sunt...*, *quomodo placeat Deo;*[12] sciensque quod summopere placet Deo religio, pietas, devotio, animi gratitudo, oratio, sancta laus et gratiarum actio, huic rei tota ex animo incumbit: *Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus:* orat *spiritu,* orat *et mente,*[13] simul cum intellectu coniungens affectum.

Magnificat Canticum suavitatis ab intensitate affectus Canentis.

Multi enim orant, sed sine spiritu, sine mente, tantum ore: *Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me.*[14] Multi orant spiritu, sed non mente, orantes magno cum affectu et spiritu devotionis, dum psalmos vel canunt vel recitant, persolventes horas canonicas, vel officium Beatae Virginis dicentes, aut rosarium recitantes; sed non orant mente, quia cum non calleant linguam latinam, non intelligunt quae dicunt. Alii orant mente, sed non spiritu, quia intelligunt quidem quae dicunt orantes, sed orant arido corde. Virgo Beatissima orabat spiritu, orabat et mente; hinc utrumque coniungit: *Magnificat anima mea..., et exultavit spiritus meus.* Sic orant Angeli in coelo; quare proponitur nobis Virgo Beatissima exercens angelicum munus et ministerium.

IV. Est autem actio haec Virginis Beatissimae nobilissima ab obiecto, quia fertur in Deum, celebrat divinas laudes: *Fortitudo*

Magnificat Canticum suavitatis a dulcedine;

9a) 2 Par 5, 12-13. 10) Cf. Apc 5, 8. 11) Ibid. 14, 2. 12) 1 Cor 7, 34. 32.
13) Cf. ibid. 14, 15. 14) Mc 7, 6.

cantus tripliciter nobilis.

mea et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem: [15] ab a c t u, quia est oratio actus religionis, quae regina est moralium virtutum; et a s u b i e c t o, quia non dicit: Os meum, lingua mea, sed *anima mea, spiritus meus.*

Canticum sororis Moysi, Deborae, Annae et Iudith.

Haec tria etiam considerantur in cantico Mariae sororis Moysi: obiectum, actus et subiectum; in cantico etiam Deborae, quae mulier sancta fuit, prophetis et princeps ac imperatrix populi hebraici; similiter in cantico Annae matris Samuelis. Maria soror Moysi sic cecinit: *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est;* [16] Debora: *Ego sum, ego sum, quae canam Domino, psallam Domino Deo Israel;* [17] Anna vero: *Exultavit cor meum in Domino, et exaltatum est cornu meum in Deo meo.* [18] Legimus etiam canticum Iudith, in quo similiter tria haec conspicua sunt: obiectum Deus, actus oratio, laus gratiarum actio, subiectum mulier nobilis sanctaque et corpore et spiritu. [19] Sed Virginis Beatissimae actio vere angelica proponitur, supra quam dici aut cogitari possit nobilissima, specialiter autem a subiecto: *Magnificat anima..., exultavit spiritus meus.*

Excellentia Canentis.

De excellentia Beatissimae Virginis super omnes animas ait Spiritus Sanctus in *Canticis: Sexaginta sunt reginae... octoginta concubinae, et adolescentularum non est numerus.* [20] Sic designati sunt tres animarum status: incipientium, proficientium et perfectorum. Sed super omnes una est: *Unica est columba mea,* una *est perfecta mea, una est matri suae, electa genitrici suae,* [21] idest, Ecclesiae vel militanti in terris vel triumphanti in coelis. Unica haec omnium superavit invidiam, nam: *Viderunt eam filiae et beatam dixerunt, reginae et concubinae... laudaverunt eam;* [22] sed utique magna cum admiratione quasi ingens et divinum miraculum: *Quae est ista, quae progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis,* [23] etc.? Propter divinam hanc excellentiam in *Apocalypsi* dicitur sole amicta et stellis coronata, [24] quia divina excellentia praedita, quasi sol inter stellas regina est omnium animarum.

Magnificat anima mea Dominum. Sed qualis quantique meriti aut valoris fuit haec oratio apud Deum? Meritum a caritate et gratia Dei dependet; haec autem sola dicitur *gratia plena.* [25] Sed quomodo plena? Sicut mare aquis, sicut sol luce; sicut omnes animas excellit dignitate, ita gratia, virtute, sanctitate, caritate.

15) Ps 117, 14. 16) Ex 15, 21. 17) Idc 5, 3. Vulg. habet: *Quae Domino canam.* 18) 1 Rg 2, 1. 19) Cf. Jdt 16, 1 sqq. 20) Ct 6. 7. 21) Ibid. 6, 8. Vulg. loc.: *Unica,* et: *Matri suae,* habet: *Una,* et: *Matris suae.* 22) Ibid. 6, 8. Vulg. loc.: *Beatam dixerunt,* habet: *Beatissimam praedicaverunt.* 23) Ibid. 6, 9. 24) Cf. 12, 1. 25) Lc 1, 28.

SERMO SEXTUS

MAGNIFICAT CANTICUM HUMILITATIS ET EXALTATIONIS

Quia respexit humilitatem ancillae suae, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. [1]

I. Proponitur hic Deiparae Virginis tum humilitas tum exaltatio. Sicut enim Deus in mundo duo magna corpora creavit, alterum in sublimi, alterum vero in humili loco, sed tamen utrumque necessarium et summe utile humano generi; sicut etiam humana natura duplici ex substantia constat, altera quidem coelesti, altera vero terrena; ita in Virgine Sanctissima videmus tum summam humilitatem, tum summam gloriam: *Quia respexit humilitatem*, etc.

Summa humilitas et summa exaltatio Deiparae.

Cum natus fuit patriarchae Iacob octavus filius ex ancilla Liae, dixit ipsa: *Hoc pro beatitudine mea: beatam quippe me dicent mulieres: et propterea* natum *appellavit... Aser*, quod est *beatitudo.* [2] Ex humili ancilla oritur beatitudo, *quia superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam.* [3] Hinc per Ezechielem Dominus ait: *Humiliavi lignum sublime, et exaltavi lignum humile:* [4] hinc saepe Dominus ait: *Qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur;* [5] et Virgo Sanctissima in hoc suo Cantico: *Dispersit superbos mente cordis sui: deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.* [6]

Ex humilitate oritur exaltatio.

1) Lc 1, 48. 2) Gn 30, 12-13. 3) 1 Petr 5, 5. 4) Ez 17, 24.
5) Lc 14, 11. 6) Lc 1, 51-52.

Humilitas Abigail typus humilitatis Deiparae.

II. Quod autem spectat ad Deiparae Virginis humilitatem, veluti expressum eius typum habemus in Abigail, quae, cum per nuncium requireretur a David in uxorem, hoc audito: *consurgens adoravit prona in terram, et ait: Ecce famula tua sit in ancillam, ut lavet pedes servorum domini mei,* statimque illi morem gessit;[7] ita et Virgo Sanctissima ad paranymphum Gabrielem ait: *Ecce ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum.*[8]

Mirabilis humilitas Sanctorum et Angelorum in coelo.

Quia respexit humilitatem ancillae suae. Mirabilis virtus humilitas in omnibus Sanctis non solum in Ecclesia militante in terris, verum etiam triumphante in coelis; nam de vigintiquatuor senioribus, qui sunt principes Sanctorum omnium in coelo, ait in *Apocalypsi* Ioannes quod, mittentes coronas suas ante thronum Dei et procidentes, Deum adorant.[9] Mirabilis etiam in Angelis, de quibus idem Ioannes ait quod *omnes Angeli stabant in circuitu throni..., et ceciderunt in conspectu throni in facies suas, et adoraverunt Deum.*[10] Hinc Seraphim apud Isaiam stantes ante thronum Dei operiebant facies suas,[11] sicut Moyses operuit faciem suam, cum apparuit ei Dominus, - similiter etiam Elias[12] -: *Non enim audebat,* ait sacer textus, *aspicere contra Deum.*[13] Sic et Seraphim ex magna reverentia vultus suos coram Deo operiunt.

Summa Christi humilitas.

At vero super omnia mirabilis mihi videtur humilitas Virginis post humilitatem Christi, de qua Paulus ait: *Qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens;* et: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis;*[14] de qua etiam ipse Dominus: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.*[15] Dici solet quod humilitas honorata rara avis. Christus autem, cum altissimus esset Dei Filius, in mundo tamen humillimus esse voluit in nativitate, in vita, in ipsa etiam morte. Divinum plane miraculum Christus, altissimus Deus et humillimus homo: *Exinanivit semetipsum,* nihil seipsum reputabat; haec enim est vera humilitas. Sicut Paulus ait: *Qui existimat... aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit;*[16] ita Christus homo de seipso: *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me;*[17] et: *Quem Pater sanctificavit, et misit in mundum;*[18] a Patre agnoscebat omnia, a se autem nihil.

7) 1 Rg 25, 41-42. 8) Lc 1, 38. 9) Cf. Apc 4, 10. 10) Ibid. 7, 11.
11) Cf. Is 6, 2. 12) Cf. 3 Rg 19, 13. 13) Ex 3, 6. 14) Phil 2, 6-8.
15) Mt 11, 29. 16) Gal 6, 3. 17) Io 7, 16. 18) Ibid. 10, 36.

Sed post Christi humilitatem, supra modum mirabilis mihi videtur humilitas Virginis: *Quia respexit humilitatem ancillae suae.* Humilitas honorata rara avis. Virgo autem Sanctissima in quo gradu honoris constituta erat? In quo gradu dignitatis, sublimitatis, altitudinis? Iam declaraverat Gabriel Angelus et Spiritus ipse Sanctus per os Elisabeth,[18a] et tamen nedum humilis, sed humillima erat; Christo in humilitate simillima, sicut Eva Adamo, ita ut Christus exinaniverit semetipsum, ut Matris humilitatem superaret. Egit in ea Dominus sicut sapiens architectus, qui, dum cogitat magnificentissimum templum aut regale palatium construere, iuxta mensuram altitudinis aedificii fodit alta atque profunda fundamenta; quo altius aedificium, eo profundius fundamentum. Virgo Sanctissima domus Dei est: *Sapientia aedificavit sibi domum,*[19] templum Divinitatis; altitudo huius aedificii non usque ad coelum tantum ascensura erat, sed omnem etiam Angelorum altitudinem longe transgressura. Opus igitur fuit profundissimis, optimis solidissimisque fundamentis.

Deipara simillima Christo in humilitate

III. *Quia respexit humilitatem.* Quoniam ad mensuram humilitatis in terra, datur gloria in coelo: *Qui se humiliaverit, exaltabitur,*[20] ut eam Deus altissime sublimaret in coelo, super omnem creaturam humillimam fecit in terra; sicut arithmeticus, ut unitatem crescere faciat, in maximum numerum nullitates addit, et quo plures nullitates addit, eo fit numerus maior altiorque, ita ut ad multa millia millium ascendat innumerasque miriades miriadum. Humilitas autem in eo consistit ut existimet homo se nihil esse, nihil sibi attribuat, nihil arroget, a Deo omnia recognoscat absque suis meritis: *Quid habes,* homo, *quod non accepisti? Quod si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?*[21] Ut igitur Deus Mariam altissime sublimaret in coelo, voluit eam efficere humillimam in terra; ut, sicut Christo simillima erat in humilitate, ita simillima foret in gloria. De Christi autem gloria post humilitatem Paulus ait: *Propter quod et Deus exaltavit illum,* etc.[22]

simillima Christo et in gloria coelesti.

18a) Cf. Lc 1, 28-45. 19) Prv 9, 1. 20) Mt 23, 12. 21) 1 Cor 4, 7.
22) Phil 2, 9.

SERMO SEPTIMUS

MAGNIFICAT CANTICUM HUMILITATIS

Quia respexit humilitatem. [1]

Necessaria humilitas in Deipara, ut habitatio fieret Dei.

I. Quoniam Virgo futura erat locus divinae habitationis, ut placeret Deo habitatio, opus erat humilitate, nam per Isaiam ait: *Quam domum aedificabitis mihi, et quis est locus habitationis meae? Super quem requiescet spiritus meus? Super humilem.* [2] Placet Deo mirum in modum humilitas, sicut displicuit supra modum superbia cum Angelorum in coelo tum hominum in terra; ideo *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* [3]

Insignis humilitas Deiparae ex eius verbis et factis.

Quia respexit humilitatem ancillae. Haec verba dixit Virgo postquam Deo iam desponsata erat, iam Filium Dei [3a] conceperat, iam Mater Dei constituta. Abigail ancillam Davidis se dixit, priusquam desponsaretur, non postea; [4] Virgo et prius et postea: *Ecce ancilla Domini...*[4a] *Quia respexit humilitatem ancillae suae.* Agar, ancilla Sarae, priusquam desponsata esset Abrahamo, humilis erat; sed cum, iam uxor illius facta, advertisset se ex illo concepisse, in superbiam elata, dominam suam contemnebat; [5] at Virgo, cum iam a Spiritu Sancto per Elisabeth declarata esset Mater Unigeniti Filii Dei, magis magisque se humiliat: *Quia respexit humilitatem ancillae suae.* Praestitit insignem humilitatem Virgo non tantum verbis, verum etiam factis; siquidem, postquam ab Angelo annuntiata Verbum

1) Lc 1, 48. 2) Is 66, 1-2. Vulg. habet: *Quae est ista domus quam aedificabitis mihi?... Ad quem autem respiciam nisi ad pauperculum.* etc. Cf. etiam Act 7, 49-50, secundum quos videtur Auctor Isaiam ex parte retulisse. 3) 1 Petr 5, 5. 3*a*) Ms.: *Deo.* 4) Cf. 1 Rg 25, 41-42. 4*a*) Lc 1, 38. 5) Cf. Gn 16, 4.

Dei concepit, veraque Mater Dei effecta est, abiit et visitavit Elisabeth, illamque prius salutavit.[6]

Virgo Deipara humilitate grata Deo et ab omnibus glorificata.

II. Ex hac profunda et mirabili Virginis humilitate tria nobis colligenda sunt. Primum quam grata humilitatis huius causa Virgo Deo extiterit; Deus enim vera cordis humilitate mirifice delectatur, humilesque semper ex animo dilexit, ac inde orta est humilium exaltatio. Virginis autem humilitas et verissima et summa ac profundissima fuit; Deo igitur summopere placuit; hinc ait: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes,*[7] sicut in *Canticis* dicitur: *Viderunt eam filiae, et beatam dixerunt, reginae et concubinae... laudaverunt eam,* dicentes: *Quae est ista quae progreditur quasi aurora,* etc.?[8] Laudatam legimus Virginem ab hominibus: Elisabeth,[9] Simeone,[10] a muliere de turba: *Beatus venter qui te portavit;*[11] laudatam ab Angelis: *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres,*[12] quae inter mulieres omnes est veluti rosa inter spinas, sicut sol inter stellas; laudatam summopere a Deo in *Canticis;*[13] laudatam semper et ubique ab universali Ecclesia sancta Dei. Quoniam mirum in modum placuit Deo humilitas Virginis, propterea eam super omnes Sanctos omnesque Angelorum choros in coelo exaltavit. Sic perpetuo beata praedicatur et ab Ecclesia militante in terris et ab Ecclesia triumphante in coelis: *Beatam me dicent omnes generationes..., quia respexit humilitatem.*

Summa humilitas Deiparae ex altissima cognitione Dei et vera cognitione sui.

Sicut quo maius est corpus lumini oppositum, eo maiorem efficit umbram; ita, cum Virgo maxima esset apud Deum, maximae etiam humilitatis erat. Et sicut humanum corpus quo magis soli expositum est, eo fit nigrius, cum tamen solis radii candidissimi sint; ita Virgo Deo, qui sol est sempiternae lucis, perpetuo exposita, in oculis suis nigerrima erat. Hinc ait in *Canticis: Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol;* et: *Nigra sum, sed formosa:*[14] nigra in oculis suis ex humilitate, formosa in oculis Dei ex virtute: *Invenisti enim gratiam apud Deum.*[14a] Ex vera Dei cognitione, quae tamen a Deo est sicut visio solis ab ipso sole, oritur vera sui cognitio veraque humilitas, nam res ex comparatione quam maxime cognoscuntur; ita, cum Virgo altissima Dei cognitione, ut ex hoc Can-

6) Cf. Lc 1, 39 sqq. 7) Lc 1, 48. 8) Ct 6, 8-9. Vulg. loc.: *Beatam dixerunt.* habet: *Beatissimam praedicaverunt.* 9) Cf. Lc 1, 42-45. 10) Cf. ibid. 2, 25. 11) Lc 11, 27. 12) Ibid. 1, 28. Vulg. habet: *In mulieribus.* 13) Passim in omnibus fere capitibus, praesertim 4 et 6. 14) 1, 5, 4. 14*a*) Lc 1, 30.

tico patet, praedita esset, seipsam agnoscens, nihil sibi esse videbatur. Sicut enim qui post solis aspectum fixa acie oculos deflectat in terram, nihil nisi umbras videt, ita accidebat in Virgine.

Humilitas Deiparae nobis imitanda, ut exaltationem consequamur.

III. Alterum quod colligendum nobis est ex hac Deiparae Virginis humilitate, exemplum est: *Inspice et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* [14b] Omnes enim Sancti dati sunt nobis in exemplum; sed singulariter Christus et Maria. Sicut enim synagogae Deus duces dedit Moysem, Aaronem, Mariam prophetissam; [15] ita Ecclesiae dati sunt Christus summus dux summusque sacerdos et Maria. Quisquis revera humilitatem Mariae imitabitur, etiam exaltationem consequetur. Quisquis similis Mariae vult esse in coelo altitudine et gloria, similis ei sit in vera cordis humilitate, dum in terrae constitutus est vilitate.

Summa cum fiducia ad eam accedendum.

IV. Tertium est animi fiducia qua ad eam accedere possumus. Cum enim revera humillima sit, nec minus modo in coelo inter Angelos, quam cum hic esset in terra inter homines; non despiciet nostras deprecationes, non dedignabitur nos, nec aspernabit. Quinimo benignis nos aspiciet oculis, ac si adhuc nobiscum esset, nec minus nostras preces audiet et exaudiet, ac si praesens hic esset nobiscum, sicut erat priusquam assumeretur in coelum.

Quomodo humilitas consequenda. Deipara loquitur non de sua virtute humilitatis, sed de sua humili conditione.

V. *Quia respexit humilitatem ancillae suae.* Docet hic Virgo quemadmodum virtutem humilitatis adipisci possimus. Nam, cum superiori versu locuta esset de magnitudine Dei: *Magnificat anima mea Dominum,* idest, magnum agnoscit et praedicat, hic de sua loquitur parvitate. Nam humilitatis vox, licet saepe saepius in Divinis Litteris eam animi virtutem significet quae superbiae opposita est, non tamen semper; nam saepe vilem et abiectam conditionem significat, et hoc modo hic [15a] loquitur Virgo, cum humilitatem suam Dei magnitudini opposuit, non de virtute humilitatis. Non enim actus humilitatis est seipsum humilem agnoscere et praedicare, sed vilem et indignum. Nec docet hic Virgo, quod meritis virtutis suae tale tantumque consecuta est beneficium, quod omne superat hominum et Angelorum meritum, sed potius hoc dicit, ut se declaret indignam.

14*b*) Ex 25, 40. 15) Cf. Mich 6, 4. 15*a*) Ms.: *Hoc.*

Hinc graece hic non est *tapinophrosini,* quae vox virtutem significat, sed *tapinosis,*[16] quae significat vilem conditionem. Et licet haec etiam vox nonnunquam legatur ubi de virtute agitur, Matth. 11,[16a] et *prima Petri* 5;[17] revera tamen proprium virtutis nomen *tapinophrosini* est *Actorum* 20,[18] *Ephes.* 4,[19] *Philip.* 2,[20] *Coloss.* 3.[21] Qualem his verbis Virgo humilitatem exercuit, non significavit; hinc ait: *Quia respexit,* idest, non est dedignatus me vilem et abiectam, sicut Regius Vates: *Quoniam respexisti humilitatem meam, salvasti de necessitatibus animam meam.*[22] Ait ergo nunc Virgo Sanctissima: *Respexit humilitatem ancillae suae,* idest, tanto honore dignatus est humilem abiectamque ancillam suam.

16) Cf. N. T. a P. M. Hetzenauer O. M. Cap. graece recognitum. Lc 1, 48. 16a) Vr. 29.
17) Vr. 5. 18) Vr. 19. 19) Vr. 2. 20) Vr. 3. 21) Vr. 12.
22) Ps 30, 8.

SERMO OCTAVUS

MAGNIFICAT CANTICUM HUMILITATIS GLORIAE ET GRATIAE

Beatam me dicent omnes generationes. [1]

Virgo Deipara praedicit suam glorificationem.

I. Alludit hic Virgo ad verba Elisabeth, quibus ait: *Beata quae credidisti.* [2] Nunc, inquit, o Elisabeth, cum me Dei matrem agnoscas, beatam tu sola praedicas; sed ex hoc tempore deinceps cum agnoverit mundus per Evangelii praedicationem tale tantumque beneficium, beatam me praedicabunt omnes generationes, idest, omnia saecula. Agnoscit enim et vaticinatur hic Virgo Christi Ecclesiam fore per omnia saecula usque ad finem, quo mundus extremum diem claudet perpetuum. Hinc non ait: *Beatam me dicent* omnes homines aut omnes nationes et gentes; nam, cum non omnes in Christum credant nec divinae Incarnationis mysterium agnoscant, nec omnes Deiparam Virginem beatam praedicant; sed *omnes generationes*, idest, omnia saecula; nam saeculis omnibus futuri sunt veri Christi fideles veraque Ecclesia universum per orbem longe lateque diffusa.

Via gloriae humilitas. Deipara in infimo gradu se collocat, ideo beatam omnes agnoscent.

II. *Quia respexit humilitatem ancillae suae.* [3] Sicut enim Eva per superbiam Deo vehementer displicuit; ita Maria per humilitatem supra modum placuit. His autem verbis docet Virgo Deipara fideles omnes qua via consequi possimus magna Dei dona, nempe humilitate, nam *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* [4] *Quia respexit humilitatem.* Non commendare sed exercere humilitatem videtur hic Virgo Sanctissima, non enim meritis suis tribuit accepta

1) Lc 1, 48. 2) Ibid. 1, 45. 3) Ibid. 1, 48. 4) Iac 4, 6.

divinitus beneficia, sed divinam gratiam agnoscit et praedicat; deprimit seipsam, et Deum magnificat; seipsam humiliat, Deumque exaltat.

Exercuit humilitatem Abraham, cum dixit: *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis,* [5] exercuit David, cum canem mortuum et culicem vivum se appelavit; [6] sed exercet quam maxime hodie Virgo Sanctissima, dum ait: *Quia respexit humilitatem ancillae suae,* idest, abiectionem.

De seipsa loquitur per abstractum. Utimur autem his abstractis per exaggerationem; sic dicitur: Sua Celsitudo aut Excellentia, sua Maiestas, sua Sanctitas, sua Beatitudo, sic Paternitas et Reverentia. Ita locuta videtur: *Quia respexit humilitatem,* idest, vilitatem meam, abiectionem, respexit me ancillarum suarum vilissimam, abiectissimam omnium. Talis erat in oculis suis Virgo, ut de seipsa nihil altum saperet.

Sunt enim in domo regia ancillae multae; sed hae quidem honestiores, veluti quae a cubiculis sunt, nobiles, illustres, filiae principum et primatum; sunt etiam inferioris ordinis, quas legimus *1 Reg.* 8: *Filias vestras accipiet rex, et faciet sibi unguentarias, focarias, panificas.* [7] Seipsam Virgo ancillam dixit infimi ordinis. Eousque seipsam demittit! Absque ullo, inquit, merito aut dignitate mea divina Clementia haec mihi beneficia contulit, quia humilibus delectatur, ad declarandam vim potentiae, sapientiae et bonitatis suae. Ex luto aurum facit, sicut ex pulvere terrae hominem formavit, ex vilissima materia omnia condidit. Simile.

Beatam me dicent omnes generationes. Per excellentiam beata praedicatur, ita ut sicut cum dicitur simpliciter: Ait Propheta, intelligitur David, ait Apostolus, intelligitur Paulus, ait Philosophus, intelligitur Aristoteles, ait Poeta, intelligitur apud Graecos Homerus, apud Latinos Virgilius; ita cum dicitur: Beata Virgo, nonnisi Deipara intelligenda venit.

Beatam me dicent. Non ait: *Beatam me* facient, sed *dicent,* agnoscent, praedicabunt, divinis laudibus me celebrabunt, cum cognoverint beatitudinem qua divinitus sum donata; non mundus me beatificabit, sed a Deo beatificatam agnoscet et celebrabit.

Quia respexit humilitatem. Sicut respexit Dominus ad Abel et ad munera eius, [8] respexit tanquam mirabile spectaculum et plane Humilitas Deiparae magnum spectaculum.

5) Gn 18, 27. 6) Cf. 1 Rg 24, 15. Vulg. habet: *Pulicem unum.* 7) 1 Rg 8, 13.
8) Cf. Gn 4, 4.

Deo, quantum fas est, dignum. Tria sunt, ut Divus Bernardus ait, miracula magna: Deus et homo, mater et virgo, fides et cor humanum.[9] Sed his merito addi potest etiam quartum, nempe humilitas exaltata; neque enim in Angelis in coelo reperta fuit, nec in hominibus in paradiso. Mirabilis haec fuit in Abrahamo, in Moyse, in David; sed supra modum mirabilis in Virgine Beata, post Christum quidem: *Respexit humilitatem ancillae suae.* Nescio an aliquando visum fuerit mirabilius spectaculum.

Simile.

Mirabile spectaculum visum fuit Moysi quod arderet rubus et non combureretur;[10] et merito quidem, nam si non erat ignis, quomodo ardebat? Si erat, quomodo non comburebat? Sicut autem proprium ignis est calefacere atque comburere; ita proprium honoris et dignitatis sublimis est animum hominis extollere et in sublime erigere. Et tamen ardebat rubus hic, et non comburebatur. Dicere poterat: *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei; neque ambulavi in magnis neque in mirabilibus super me;* sed... *humiliter sentiebam,* neque *exaltavi animam meam:* sed cum Deo fuit *sicut ablactatus est super matre sua,*[11] quia nihil sibi fidit, sed a matre totus dependet.

Ita plane Virgo Beata divinis favoribus honoribusque ac dignitatibus super omnem creaturam exaltata, nihil in sublime elata fuit, nihil gloriabatur; sed Deo omnia accepta ferebat. Erat veluti divinorum bonorum depositaria ac thesauraria. Ditissima cum esset, pauperrimam se existimabat, nihil sibi appropriabat, sciens quoniam Domini omnia sunt, quod absque suis meritis a divina gratia omnia acceperat, sicut luna omne lumen a sole. Sicut autem aurum, metallorum omnium ponderosissimum, est etiam pretiosissimum; sic apud Deum anima humillima pretiosissima et carissima est. Talis fuit anima Virginis Beatissimae.

Vas gratiae humilitas. Vas magnum et vacuum propriae existimationis Deipara.

III. *Quia respexit humilitatem ancillae suae.* Acceptissima fuit Deo Virgo Beatissima, quia humillima: hinc gratia plena super omnes creaturas, quoniam post Christum humilis super omnes creaturas. Nam humilitas vas est gratiae Dei; oleo autem Elisei nonnisi vasa vacua implebantur.[12] Tantum corda humilium capacia sunt gratiae Dei, nam: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam;* quo maius autem est vas, eo capacius est. Quam magnum vas Maria!

9) Cf. *Serm. 3 in Vig. Nativ. Domini,* n. 7. (P. L. 183, 763). 10) Cf. Ex 3, 3.
11) Ps 130, 1-2. 12) Cf. 4 Rg 4, 3 sqq.

« Quem coeli capere non possunt tuo gremio contulisti ».[13] Maius vas et capacius coelo; Deum enim, ut Salomon ait, nec *coelum, nec coeli coelorum... capere... possunt;*[14] et tamen omnis plenitudo Divinitatis corporaliter inhabitavit in Maria.[15] Invenit autem Deus hoc vas tam magnum, quo maius sub Deo post Christi humanitatem reperiri non potest, sicut mare magnum in templo,[15a] vacuum invenit omni liquore propriae existimationis: *Respexit humilitatem ancillae suae,* idest, ancillam suam omnium vilissimam abiectissimamque nullius meriti et valoris. Talem se existimabat Virgo Beatissima.

Simile.

Sicut Abraham pulverem cineremque, sicut David canem mortuum et culicem vivum, sicut Paulus primum se existimabat omnium peccatorum;[16] ita Virgo Beatissima seipsam nihili existimabat. Sicut Paulus ait: *Qui se existimat aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit;*[17] ita, inquam, nihili seipsam existimabat, quoniam intenta erat semper contemplationi divinae magnitudinis.

Simile.

Sicut autem qui fixis oculis solem fuerit contemplatus, postea, ob nimiam illam lucem figens oculos in terram, nihil videt; ita Virgo Beata, divinae contemplationi semper intenta et divinam semper magnitudinem contemplata, postea in semetipsa nihil videre sibi videbatur boni. Hinc ait: *Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo;*[18] seipsam autem cum divina magnitudine componens, videbat se nihil esse: *Respexit humilitatem ancillae suae.* Mirabilem humilitatem, magnum plane miraculum! Eo enim maior est humilitas, quo maior est sublimitas et altitudo personae quae humiliatur. Quod, flante vento, humilietur in terram usque arundo, nihil miramur; sed si palma procerrima ita humiliaretur, miraremur omnes. Maria autem palma est, de qua dicitur: *Statura tua assimilata est palmae...; ascendam in palmam, et apprehendam fructus eius.*[19]

Simile.

Profundissima Deiparae humilitas.

IV. Non est sub Deo maior altitudo altitudine Mariae post altitudinem et sublimitatem Christi. Duo maxima sunt in mundo miracula, sicut in coelo duo luminaria magna: humilitas Christi et humilitas Mariae. Humilitas Christi: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.*[20] *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus*

Humilitas Christi.

13) *Brev. Rom. Offic. B. M. V.* 1 Resp. ad Mat. 14) 3 Rg 8, 27. 15) Cf. Col 2, 9. 15a) Cf. 3 Rg 7, 23. 16) Cf. 1 Tim 1, 15. 17) Gal 6, 3. 18) Lc 1, 46-48. 19) Ct 7, 7-8. 20) Mt 11, 29.

est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit, etc.[21] Cum esset omnia, factus est veluti nihilum: *Substantia mea velut nihil* est *ante te;*[22] *Minoratus... ab Angelis;*[23] factus est sub hominibus: *Opprobrium hominum et abiectio plebis... vermis et non homo.*[24] Infinita est sublimitas Christi super omnem altitudinem Angelorum; infinita humilitas, factus ludibrium peccatorum. Magnum miraculum si coelum, modica pila factum, pugillo hominis contineretur; sed hoc nihil esset comparatione huius miraculi humilitatis et parvitatis Christi.

Humilitas Mariae.

Post magnitudinem autem et altitudinem Christi, proxima est magnitudo et altitudo Mariae super omnes Angelos; et tamen ipsa in oculis suis minima est, nihil est: *Respexit humilitatem ancillae suae.* In oculis Dei maxima, in oculis suis minima est. Et revera ita est. Quo minor est homo in oculis suis, eo maior est in oculis Dei, sicut in numeris accidit; quo magis multiplicatur signum nullitatis, eo magis crescit numerus. Hoc est humilem esse: nullitatem multiplicare, magis magisque nihil se esse existimare. Sic humiliavit semetipsam infra omnem creaturam Maria, ac si ancilla esset ancillarum Dei; Deus autem exaltavit illam super omnem creaturam.

Contentio inter Deum et Mariam.

Videtur autem fuisse mirabilis quaedam contentio inter Deum et Beatam Virginem: Deus ut illam magis magisque exaltaret, Beata Virgo ut seipsam magis magisque humiliaret. Exaltavit illam Deus per Angelum: *Ave, gratia plena;*[25] humiliavit ipsa seipsam: *Ecce ancilla Domini.*[26] Exaltavit illam Deus amplius per Elisabetham Spiritu Sancto plenam: *Benedicta tu inter mulieres,* etc.; *Unde hoc mihi,* etc.;[27] ipsa autem magis magisque seipsam humiliavit: *Respexit humilitatem ancillae suae.* Ibi ancillam se dixit, hic autem ancillam humilem, idest, vilem, imo vilissimam: *Humilitatem ancillae.*

21) Phil 2, 6-7. 22) Ps 38, 6. Vulg. habet: *Tanquam nihilum.* 23) Hebr 2, 9. 24) Ps 21, 7. 25) Lc 1, 28. 26) Ibid. 1, 38. 27) Ibid. 1, 42-43.

SERMO NONUS

MAGNIFICAT CANTICUM MAGNIFICENTIAE

Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen eius; et misericordia eius a progenie in, etc. [1]

I. Extollit Virgo divina beneficia coelitus sibi collata, reddit causam hic Virgo cur omnes generationes eam beatam erunt praedicaturae: *Quia*, inquit, *fecit mihi* Dominus *magna*. Graece est *megalia*, [1a] quo verbo Septuaginta Interpretes solent appellare *miracula*. [2] Ad quorum imitationem latinus interpres *miracula*, voce usus minime latina, appellare solet *magnalia*. Ait igitur Virgo: *Fecit mihi magna*, idest, miracula, mirabilia, divinae potentiae opera, nam ait: *Qui potens est*. Forte usa est Virgo, cum loqueretur hebraice, voce *Sadai*, sive *El sadai*, quod est unum ex decem nominibus Dei apud Hebraeos, et *sufficientem* significat, saepeque latinus interpres *omnipotentem* reddit: *Apparui Abraham, Isaac et Iacob in Deo omnipotente, beel sadai* in *Deo sadai*, qui est *sufficiens* [2a] Absolute sufficiens dicitur, quoniam omnia potest; nihil est tam arduum et difficile, ad quod virtus divina non sufficiat. **Quid significet: *Magna*.**

II. Revera autem magna miracula operata est divina potentia in Virgine. Miraculum enim magnum fuit, ut Virgo sine viro conciperet: *Dabit Dominus ipse vobis signum*, idest, miraculum: *Ecce Virgo concipiet;* [3] magnum miraculum, ut omnem Divinitatis pleni- **Virgo Deipara magna, quia Deus in ea magna miraculo operatus est.**

1) Lc 1, 49-50. 1a) Cf. N. T. graece a P. M. Hetzenauer O. M. Cap. recognitum, Lc 1, 49.
2) Cf. *S. Bible Polyglotte* par F. Vigouroux, Dt 10, 21; 11, 2; Eccli 17, 7; 18, 3; 42, 21; 2 Mach 3, 34. 2a) Ex 6, 3. 3) Is 7, 14.

tudinem in suo utero Virgo contineret quem *coelum et coeli coelorum capere... non possunt;*[4] magnum miraculum, ut vera Dei Mater constitueretur: *Unde hoc mihi ut Mater Domini mei veniat ad me?*[5] Sed revera non loquitur hic Virgo tantum de miraculis, dum ait: *Fecit mihi magna qui potens est;* sed de magnis Dei et mirabilibus beneficiis erga ipsam: *Beatam me dicent omnes generationes.*

Virgo Deipara magna, quia ob cumulationem omnium bonorum omnes creaturas excedit.

III. Beatitudo status est omnium bonorum cumulatione perfectus.[5a] Quoniam Deus magnis bonis me cumulavit, multa magnaque beneficia mihi communicavit, propterea saeculis omnibus beata praedicabor. Ioannes in *Apocalypsi* Virginem signum magnum appellavit, dicens: *Signum magnum apparuit in coelo, mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim.*[6] Et in *Canticis* Sponsa ab adolescentulis, reginis et concubinis regis beata praedicatur; beatitudinis autem ab ipsis causa redditur: *Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?*[7]

Pulcra aurora est, stella solis praenuncia, pulcrior luna plena cum candido micat argento, sol aureus longe pulcherrimus, castrorum acies ordinata aspectu longe mirabilis est et iucunda; sed quidquid pulcritudinis et iucunditatis reperiri potest in quibusque rebus natura vel arte longe pulcherrimis, totum in laudatam Sponsam conferunt, ideoque beatam praedicant.

Magna Deus operatus est in omnibus.

Quia fecit mihi magna qui potens est. Sed quisnam modus hic loquendi Virginis: *Fecit mihi magna qui potens est?* Multa et magna opera Deus operatus est in mundo, in Ecclesia, in paradiso: hominibus in mundo, fidelibus in Ecclesia, Angelis in paradiso; quoniam multa et magna sunt opera naturae, gratiae et gloriae, licet in mundo sint etiam bona quae dicuntur fortunae, cum tamen opera sint divinae Providentiae. In mundo magna fecit Deus Adamo, cum eum totius mundi imperatorem constituit: *Dominetur piscibus maris et universae terrae;*[8] magna fecit principibus, regibus, imperatoribus. In Ecclesia magna fecit Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Sanctis

4) 3 Rg 8, 27. 5) Lc 1, 43. 5a) Boetius, *De Consolat. Philos.* lib. 3, pr. 2. (P. L. 63, 176). 6) Apc 12, 1. 7) Ct 6, 8-9. 8) Gn 1, 26. Vulg. habet: *Praesit piscibus maris... universaeque terrae.*

omnibus. Magna beneficia praestitit Hebraeis in Veteri Testamento, maiora Christianis in Novo.

Proprium Dei est magna facere. Quam magnum fecit Deus Noe, Abrahamum, Iosephum, Davidem, Petrum, Paulum, Ioannem! Magnam auctoritatem dedit Moysi: *Constitui te deum Pharaonis;*[9] magnam dignitatem Aaroni, magnam fortitudinem Samsoni, magnam sapientiam Salomoni, magnum spiritum Eliae, magnam vitae sanctitatem Ioanni: *Erit enim magnus coram Domino;*[10] magnam Spiritus Sancti gratiam Apostolis; et tamen Virgo de se tantum loquitur: *Fecit mihi magna qui potens est.* Magna fecit Deus Angelis Beatisque omnibus in coelo: *Quae non licet homini loqui;*[11] *Quos... iustificavit, illos et magnificavit;*[12] sed tamen: *Fecit mihi magna.* Revera magna, quia magnitudo Mariae omnem aliam creatam magnitudinem longe excedit: *Erit praeparatus mons domus Domini in vertice montium.*[13] Montes sunt omnes Sancti, montes omnes Angeli; sed altitudo Mariae in vertice montium omnem altitudinem creatam superat: *Fecit mihi magna qui potens est.* Proprium est Dei ex parvis magna facere, qui ex nihilo cuncta creavit.[13a] Sicut Abrahamum magnificavit, Iosephum, Moysem, Davidem: *Suscitans de pulvere egenum, et de stercore erigens pauperem, ut sedeat cum principibus et solium gloriae teneat;*[14] ita, cum Virgo parva esset et humilis in oculis suis, magna facta est a Deo, sicut ex parvo semine magna fit arbor, et sicut apud Danielem legimus ex parvo lapide factum magnum montem totam terram occupantem.[15]

maiora in Maria.

Fecit mihi magna. Sicut fecit Dominus Deus ab initio hominem sibi similem;[16] ita similem sibi efficere voluit Virginem, decet enim ut sponsa sponso sit similis sicut Eva Adamo. Deus autem magnus est: *Magnus Dominus et magna virtus eius.*[17] *Laudate eum secundum multitudinem magnitudinis eius.*[18] Quid est *secundum multitudinem magnitudinis*? Quoniam multos legimus magnos. Abraham magnus dignitate, Ioseph principatu, Moyses auctoritate, Samson fortitudine, David potentia, Salomon sapientia, apud Ethnicos legimus Mercurium *Trismegistum, ter maximum,* quoniam, ut aiunt, magnus

Multi homines magni.

9) Ex 7, 1. 10) Lc 1, 15. 11) 2 Cor 12, 4. 12) Rom 8, 30. Vulg. loc.: *Magnificavit,* habet: *Glorificavit.* 13) Is 2, 2. 13a) Cf. 2 Mach 7, 28. 14) 1 Rg 2, 8. Vulg. loc.: *Suscitans* et *erigens,* habet: *Suscitat* et *erigit.* 15) Cf. 2, 34-35. 16) Cf. Gn 1, 27. 17) Ps 146, 5. 18) Ps 150, 2.

fuit rex, magnus sacerdos et magnus philosophus;[19] nemo tamen magnus in omnibus reperitur; solus Deus magnus in omnibus est: magnus potentia, magnus sapientia, magnus bonitate, magnus gloria, magnus maiestate, etc.; hinc ait: *Laudate eum secundum multitudinem magnitudinis eius*. Ita Deus magnus cum sit in omnibus, Virginem fecit sibi similem, magnam in multis.

maior, Maria.

Sic multae mulieres magnae,

In Divinis Litteris multas mulieres legimus in multis magnas: Eva a Deo magna facta fuit dignitate et maiestate, nam facta fuit mundi regina, imperatrix;[20] Sara,[21] Rebecca,[22] Rachel[23] magnae fuerunt pulcritudine corporis et animae; Debora magna spiritu prophetiae et auctoritate, cum universum Israelis regnum iudicaret;[24] Anna mater Samuelis magna vitae sanctitate;[25] sic multas alias magnas mulieres legimus sapientia, prudentia, continentia, fortitudine animi aliisque virtutibus; sed Virgo Deipara magna facta est in omnibus.

maior. Maria.

Virgo Deipara magna ad utilitatem nostram a Deo facta est.

IV. Quaecumque Deus magna fecit, utique omnia ad magnam utilitatem nostram operatus est; fecit in coelo luminaria magna ad nostram utilitatem, fecit in terra magna flumina, maria, magnam naturalium rerum multitudinem, omnia ad nostram utilitatem. Fecit Ioseph magnum in Aegypto ad utilitatem domus Iacob, magnum fecit Moysem ad utilitatem Hebraeorum, magnum Eliam et Eliseum ad utilitatem et salutem Israelitarum, magnum Salomonem ad gloriam populi sui; ita magnam fecit Virginem Deiparam ad utilitatem totius Ecclesiae; sicut Mardochaeus dixit Esther reginae quod magna facta fuerat a Deo pro salute Iudaeorum, ut eos eriperet a crudeli persecutione impii Aman.[26]

Causae magnitudinis Mariae.

Fecit mihi magna qui potens est et sanctum nomen eius. Magnitudinis suae Virgo tres veluti causas et fontes proponit: Dei potentiam, Dei sanctitatem et Dei misericordiam. Magnum flumen est quod magnos habet fontes, magnum mare in quod influunt magna flumina, magnum lumen a magno luminari. Unus sol totum illuminat mundum, coelum undequaque universum. Quid si tres essent soles unico hoc multis multisque partibus maiores? Dei potentia quam magna est? Immensa, infinita est sicut et Deus infinitus est. Dei sanctitas quam magna est? Immensa et infinita est sicut ipse Deus. Dei misericordia quam magna est? Immensa et infinita est sicut ipsa

19) Cf. Ioseph Perin *Onomastic.* sub hoc verbo. 20) Cf. Gn 1, 28. 21) Cf. Gn 12, 11. 22) Cf. ibid. 24, 16. 23) Cf. ibid. 29, 17. 24) Cf. Idc 4, 1 sqq. 25) Cf. 1 Rg 1, 1 sqq. 26) Cf. Est 4, 12-14.

Deitas. Quam magnum igitur flumen Maria ex tribus hisce fontibus! Quam magnum mare ex tribus hisce fluminibus!

Triplex in Virgine magnitudo.

Sed magnitudinem suam Virgo in tres partes veluti distinguit, dum tres statuit partes ac veluti tria principia: Dei potentiam, sanctitatem et misericordiam. Ex revera triplex est in Virgine magnitudo: prima est dignitatis et auctoritatis a divina potentia, secunda est sanctitatis et gratiae coram Deo a divina sanctitate, tertia est pietatis, benignitatis et clementiae a divina misericordia et bonitate. Quam magna est dignitas et auctoritas Mariae? Ineffabilis est, incomprehensibilis est; eam nec lingua verbis assequi, nec mens cogitatione capere potest.

Dignitas enim in muliere vel a propria virtute oritur, vel a parentibus, vel a marito, vel tandem a filiis. In una tantum muliere reperimus dignitatem a solo Deo; nam prima mulier Eva a Deo condita et formata fuit in adiutorium hominis.[27] Aliquando etiam a fratribus reperimus in muliere dignitatem, ut in Maria prophetissa. quae princeps erat omnium mulierum Israelitarum, quoniam soror erat Moysis imperatoris et Aaronis summi pontificis Hebraeorum.[28] Nobiles autem ac dignitate praecellentes ex propria virtute mulieres paucae sunt. Reperiuntur tamen; nam talis fuit Iudith, patrato in Holophernem facinore,[29] multaeque aliae laudantur vel a fortitudine animi, vel a prudentia, vel a castitate et pudicitia.

27) Cf. Gn 2, 18. 28) Cf. Ex 15, 20. 29) Cf. Idt 13, 1 sqq.

SERMO DECIMUS

MAGNIFICAT CANTICUM POTENTIAE SANCTITATIS ET MISERICORDIAE

Fecit mihi magna qui potens est, etc.[1]

Virgo Deipara Deum celebrat tribus titulis quibus in Scripturis Deus honoratur: potentia, sanctitate, misericordia.

I. Tribus illustribus titulis Deum celebrat, nempe potentiae, sanctitatis et misericordiae, sicut ipsa ab Angelo tribus titulis honoris fuerat divinitus salutata: *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.*[2] Saepissime in Divinis Litteris tribus hisce titulis Deus honoratur, dum appellatur Deus omnipotens, *El sadai: Apparui in Deo omnipotente.*[3] Itemque: *Sanctus, sanctus, sanctus.*[4] Et: *Misericors et miserator Dominus.*[5] *Quemadmodum miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se... Misericordia Domini ab aeterno... usque in aeternum super timentes eum, et iustitia illius in filios filiorum, his qui servant*, etc.[5a] *Dominus misericors et clemens... multae misericordiae et verax.*[6] *Qui facis misericordiam in millibus.*[7]

Iuxta autem tres hos titulos legimus multa opera Dei. Nam miracula sunt opera potentiae; iustificatio, sanctificatio, remissio peccatorum, conversio peccatoris, infusio gratiae, virtutes, dona Spiritus Sancti, virtus et operatio sacramentorum in Ecclesia sunt opera sanctitatis; hinc enim Deus dicitur iustus et iustificans, sicut sol lucidus et illuminans, ignis calidus et calefaciens; tandem omnia

1) Lc 1, 49. 2) Ibid. 1, 28. 3) Ex 6, 3. 4) Is 6, 3. 5) Ps 110, 4. 5a) Ps 102, 13. 17. Vulg. loc.: *Quemadmodum*, habet: *Quomodo*. 6) Ex 34, 6. 7) Jer 32, 18.

beneficia, sive corporalia sint sive spiritualia, sive temporalia sive aeterna, opera sunt bonitatis, benignitatis et clementiae. Nam hoc loco misericordia non significat affectum Dei erga peccatores, quo remittit peccata, sed benignitatem et clementiam veluti patris erga filios; hinc ait: *Misericordia eius super timentes eum*, sicut in *Psalmo: Quemadmodum miseretur pater filiorum*, etc. Frequentissime tria haec operum genera legimus Dei quidem in Veteri Testamento, Christi autem in Novo; veluti etiam sunt opera creationis, iustificationis et glorificationis.

Deus tripliciter fons.

Hinc in Divinis Litteris legimus tres fontes et tria flumina a loco Dei: apud Ezechielem fontem a loco Dei, unde flumen magnum quod transvadari non potuit,[8] apud Danielem a sede Dei fluvius igneus egrediebatur,[9] et in *Apocalypsi* a sede similiter Dei fluvius veluti chrystallinus.[10] Deus enim auctor est omnium bonorum naturae, gratiae et gloriae: natura potenter operatur, gratia sanctificat, gloria beatificat. Unum flumen bonorum naturalium oritur a fonte divinae omnipotentiae, maxime in creatione mundi; alterum flumen a fonte divinae sanctitatis, hoc est flumen bonorum gratiae; tertium flumen est bonorum gloriae a fonte divinae benignitatis. In opificio mundi eluxit divina potentia in operibus sex dierum; sanctitas in homine condito ad imaginem et similitudinem Dei, totus enim purus, sanctus, gratia et donis Spiritus Sancti plenus conditus fuit; sed bonitas qua Deus homini universum mundum dono dedit: *Dominamini piscibus maris*, etc.;[11] *Constituisti eum super opera manuum tuarum... omnia subiecisti sub pedibus eius;* sic: *Gloria et honore coronasti eum.*[12] Magnum donum, magna gratia, magnus favor a magna Dei bonitate et clementia!

Virgo Deipara super omnia opus potentiae, sanctitatis, misericordiae.

II. Sed tamen Virgo Beata dicit: *Fecit mihi magna qui potens est*, etc.; non magna Patriarchis, non magna Prophetis, non Angelis ipsis; sed *mihi*, inquit, *fecit magna* ille *potens*, qui omnia potest. Nam in Virgine Beata magna reperimus miracula, quae sunt opera potentiae; magna dona gratiae et Spiritus Sancti, quae sunt opera sanctitatis; magna beneficia summique favores, quae sunt opera benignitatis et clementiae. Sed quam magna sint haec, quis verbis assequi, quis pro dignitate poterit explicare?

Maria opus potentiae.

Nomen maris[13] habet, appellatur odoratum mare.[14]

8) Cf. 47, 1-5. 9) Cf. 7, 10. 10) Cf. 22, 1. 11) Gn 1, 28. 12) Ps 8, 7. 8. 6. 13) Cf. ipsum Auct. *Serm. 3 in Salut. Angel.* 14) Sic Mariae nomen sonat ex verbis hebr. *mâr, myrrha, et jâm, mare.*

Sed quam magnum mare! Quam capax, quod tria capit flumina, quorum unumquodque infinitam aquarum vim et copiam affert! Quam magnum mare, quod capit illum quem coeli *et coeli coelorum... capere non possunt,* [15] in quo *inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter!* [16] *Fecit mihi magna qui potens est.* Magna opera potentiae, magna miracula!

Dabit Dominus ipse vobis signum, idest, miraculum. Quodnam miraculum? *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium: Ecce Virgo praegnans, et pariens filium.* Sed quem filium? *Vocabitur nomen eius Emmanuel, nobiscum Deus:* [17] *Vocabitur... Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis... et pacis non erit finis.* [18] Magnum miraculum, nam *novum creavit Dominus super terram, femina circumdabit virum.* [19] Quem virum? *Acquisivi virum Deum,* [19a] virum perfectum natura, gratia, gloria; perfectum supra omnem naturam, gratiam et gloriam Angelorum et hominum, aequalem Deo. Magnum miraculum, nam *Verbum caro factum est... et vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis... et de plenitudine eius nos omnes accepimus.* [20] Magnum miraculum, quia facta est Mater Dei: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* [21] Magnum miraculum! *Quis audivit unquam tale,* aut *quis vidit huic simile? Antequam parturiret peperit* filium *masculum.* [22] *Mulier amicta sole... peperit filium qui assumptus est ad Deum et ad thronum eius, et recturus gentes.* [23]

Maria opus sanctitatis.

Nec tantum: *Fecit mihi magna qui potens est,* verum etiam: *Sanctum nomen eius;* non tantum magna miracula potentiae Dei, verum etiam magna opera sanctitatis Dei, sicut Angelus dixit ei: *Gratia plena. Dominus tecum.* Quis est iste Dominus? *Virtus Altissimi obumbrabit tibi et Spiritus Sanctus superveniet in te.* [24] Haec sunt opera sanctitatis: *Gratia plena... Spiritus Sanctus superveniet in te.* Quaenam plenitudo gratiae Mariae? Quaenam copia donorum Spiritus Sancti in ea? « Descendit, inquit Athanasius, *De Deipara,* in eam Spiritus Sanctus cum omnibus virtutibus essentialibus, ut in omnibus gratiosa esset; et propterea *plena gratia* dicitur, eo quod

15) 3 Rg 8. 27. 16) Col 2, 9. 17) Is 7, 14. *Virgo praegnans.* etc. ex hebr. 18) Ibid. 9, 6-7. 19) Jer 31, 22. 19*a*) Gn 4, 1 ex hebr. De hoc loco videas ipsum Auct. *Serm. 5 in Ps. 86* prope initium. 20) Io 1, 14. 16. 21) Lc 1, 43. 22) Is 66, 8. 7. 23) Apc 12, 1. 5. Vulg. loc.: *Peperit filium qui assumptus est.* etc., habet: *Peperit filium masculum qui recturus erat omnes gentes... et raptus est filius eius ad Deum.* etc. 24) Lc 1, 35.

adimpletione Spiritus Sancti omnibus gratiis abundaret ».[25] « *Gratia plena,* inquit Hieronymus, quia in eam tota plenitudo gratiae se infudit ».[26]

Praeter haec autem adhuc: *Fecit mihi magna* ille cuius *misericordia... a progenie in progenies,*[27] idest, cuius infinita aeternaque benignitas et clementia est. Quam magna fuerint beneficia divina, favores, honores, dignitates, privilegia, praerogativae divinaeque excellentiae Mariae, quaenam vel angelica lingua enarrare poterit, facta cum sit Filia Dei Patris, Mater vera Dei Filii, Sponsa et unicum solatium Spiritus Sancti, Regina coeli, Domina Angelorum, Imperatrix universi? Sic Angelus ait ei: *Benedicta tu in mulieribus,* super omnes mulieres, super omnes creaturas. **Maria opus misericordiae.**

III. Sed sicut luna plena quidquid luminis a sole accipit, totum effundit in hunc mundum ad utilitatem rerum harum, quae natura gignuntur, quoniam luna est veluti mater et nutrix rerum, quae in inferiori hoc mundo natura gignuntur; ita Virgo Beatissima quidquid a Deo accepit, omnia ad communem totius mundi utilitatem commodumque largiter effundit. Sic, cum potentissima divinitus facta sit super omnes creaturas, est etiam clementissima; cum ditissima facta sit, est etiam liberalissima, non dedignatur pauperes humilesque, gentiles et populares suos. Sed, sicut Esther supra modum ex humili loco exaltata factaque regina et imperatrix, non in sublime elata dedignata fuit suos, sed existimans quod in salutem populi sui fuerat divinitus exaltata, semper curam et protectionem popularium suorum patrociniumque gentis suae apud regem suscepit;[28] ita Virgo Beatissima apud Deum, quoniam in tali tantaque sublimitate, qua super omnes Angelos ad dexteram Filii Summi Regis regum collocata est, humillima et humanissima est. Et sicut altissima omnium creaturarum est; ita etiam humillima est: *Quia respexit humilitatem ancillae suae.*[29] Sicut enim sol solo aspectu suo lunam illuminat, sibique simillimam reddit, sed ad publicam mundi totius utilitatem; ita Deus, summus sol sempiternae lucis, solo aspectu suo Virginem Beatam sibi omnium creaturarum simillimam fecit, utique ad mundi totius utilitatem. **Virgo Deipara quidquid a Deo accepit ad utilitatem nostram confert.** **Simile: Esther.**

Sicut autem tria flumina Divinitatis, flumen potentiae, sanctitatis et benignitatis divinae in mare ter maximum Mariae influxerunt; ita **Maria innumera operari potest miracula.**

25) *Serm. De Annunt. Deip.* n. 9. (P. G. 28, 339). Spurius, ad sensum. 26) *Serm. De Assumpt. Virg.* n. 5. (P. L. 30, 127). Incerti auctoris, ad sensum. 27) Lc 1, 49-50. 28) Cf. Est cpp. 2 et 7. 29 Lc 1, 48.

facta est ipsa creaturarum omnium sub Deo potentissima, sanctissima et clementissima. Sic ipsa potest innumera operari miracula; nam, si *omnia possibilia sunt credenti,*[30] si *qui credit in me et haec faciet, et maiora horum faciet:*[31] quid cogitandum de Virgine Beatissima est? Ipsa potentissima et clementissima ad conferenda nobis beneficia cum corporalia temporaliaque tum etiam spiritualia et aeterna; nam apud Deum summae auctoritatis est, erga nos vero summae caritatis. *Fecit mihi magna qui potens est.* Supra modum Deus Beatam Virginem honoravit, et quantopere nobis honoranda sit ostendit. Sic honorabitur Mater sole amicta.

30) Mc 9. 22. 31) Io 14. 12.

5.

SUPER: BEATUS VENTER

SERMONES QUINQUE

Factum est autem, cum haec diceret, extollens vocem quaedam mulier de turba dixit illi: Beatus venter qui te portavit, et ubera quae suxisti. At ille dixit: Quinimo, beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud. Lc 11, 27-28.

SERMO PRIMUS

DE VIRGINIS DEIPARAE DIVINA MATERNITATE

Extollens vocem quaedam mulier de turba dixit illi: Beatus venter qui te portavit etc.[1]

I. Laudatam legimus Virginem Deiparam ab Angelo: *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus,*[2] sed secreto loco, inter domesticos parietes; laudatam ab Elisabeth: *Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi ut veniat Mater Domini mei ad me?... Beata quae credidisti, quoniam perficientur* in te... *quae dicta sunt tibi a Domino,*[3] verum haec etiam laus fuit in privata domo. Hinc divinitus factum est ut hodie publico loco, in frequentissimo populo, a sancta quadam muliere divinis laudibus celebraretur; nam ait: Loquente eo ad turbas, *extollens vocem quaedam mulier de turba dixit* ei: *Beatus venter qui te portavit, et ubera quae suxisti.* Hic autem praeter materiam ipsam laudis huius plura consideranda nobis se exhibent: tempus laudis huius, locus, modus et scopus.

Insignis laus mulieris evangelicae in Deiparam ratione temporis, loci, modi et scopi laudis.

Tempus huius laudis.

T e m p u s est, loquente eo ad turbas, dum Christus verbum Dei praedicaret. Quare importune mulier haec interrupisse et interturbasse visa est concionem; et tamen Christus non aegre tulit, boni aequique consuluit; imo gravissimis etiam verbis auxit, dicens: *Quinimo, beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.*[4] Non ergo, ut nugantur haeretici,[4a] Verbum Dei prohibet laudes Sanctorum, maxime vero Virginis Deiparae, quae Regina Sanctorum omnium

1) Lc 11, 27. 2) Ibid. 1, 28. 3) Ibid. 1, 42-43. 45. 4) Ibid. 11, 28.
4a) Cf. Calvinum, *Harm. Evang.* Lc cp. 11, t. 6; Lutherum, *In Post. maiori in Dom. 3 Quadrag.*

est, quin etiam promovet laudes et venerationem eius; ex concione nanque Christi sancta haec mulier occasionem sumpsit laudandi Virginem Matrem. Dum alia vice concionaretur, Dominus moleste tulit quod quidam concionem interturbavit, dicens quod Mater ipsius foris staret cum fratribus quaerens ipsum; unde respondit: *Quae est mater mea?... Quicumque... fecerit voluntatem Patris mei,* etc.[5] Duriuscule locutus visus est Dominus internuncio illi, qui existimabat a Christo Matri honorem deberi, sicut a Salomone Bethsabee tanquam verae matri;[6] sed Christus docere voluit praeferendum honorem Patris honori Matris, et ne existimaret vulgus se filium esse Matris suae sicut quivis alius homo, non autem ipsius esse et Dominum et Creatorem tanquam verum Deum. Itemque docere voluit Matris dignitatem non in eo tantum consistere quod mater ipsius carne esset, verum etiam quod spiritu et soror et mater.

Hodie autem sanctam hanc mulierem non increpat, non dure suscipit, sed gratiose; non improbavit dictum ipsius, sed comprobavit et auxit, licet generali sententia, ne videretur carnis affectu tactus eam laudibus celebrasse.

Locus. L o c u s autem laudis huius est publicus, frequentissimo populo, magno cum Virginis Matris honore. Nec tamen in tanta populi frequentia inventus est qui eam increparet, contradiceret, interturbaret a laude; forte quia nullus ibi inventus est Nestorianus, nullus Lutheranus aut Calvinista. Omnes laudanti assensere; fateri enim cogebantur merito talis tantique Filii Matrem beatam praedicari. Sic publice colenda, honoranda, laudanda ostenditur in sancta Ecclesia Virgo Deipara.

Modus. M o d u s laudis huius est alta voce: *Extollens vocem quaedam mulier;* quo ostenditur magnus fervor spiritus magnusque devotionis ardor. Magna cum energia sancta haec mulier Divino Spiritu afflata Deiparae Virginis laudem praedicavit; magno enim spiritus ardore divinitus acta, in tanta frequentia populi, ubi tot erant inimici Christi, Matrem ipsius in ipsiusmet gloriam laudare nec timuit, nec erubuit, sed vocem extulit, et in divinas laudes erupit. Vicit ardor fidei naturalem mulieris erubescentiam, superavit expulitque omnem timorem, nam *perfecta caritas foras mittit timorem.*[7]

5) Mt 12, 48. 50. 6) Cf. 3 Reg 2, 19 sqq. 7) 1 Io 4, 18.

Tandem scopus laudis huius est Christi honor et gloria; ut enim Christum laudaret, Matrem laudavit, nam laus Matris cedebat in honorem et gloriam Filii. Propterea enim Matrem beatam praedicabat, quia talem tantumque genuerat Filium; sic laus Matris in Filium redundabat. Laudando igitur Matrem nihil detraxit de Filii laudibus, quin etiam auxit. Sicut enim cum artificis operam laudamus, ipsum utique laudamus artificem; sic cum Dei laudamus operam, Deum ipsum Christumque laudamus, rerum omnium artificem et conditorem. Omnis autem Sanctus quid nisi opus Dei est? Hinc apud Isaiam legimus 43: *Haec dicit Dominus creans te, Iacob, et formans te, Israel;* et iterum: *Omnem qui invocat nomen meum in gloriam meam ego creavi eum, formavi eum... feci eum.*[8] Hinc etiam Paulus ait: *Induite novum hominem qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis.*[9] Scopus.

II. Invenimus in Sacris Litteris Virginem Deiparam laudatam a Deo, ab Angelis, ab hominibus; solum a Christo laudatam non invenimus, quin potius veluti redargutam. Nam cum duodennis inventus in templo audisset a Matre: *Fili, quid fecisti nobis sic? Ego et pater tuus dolentes quaerebamus te,* respondit: *Quid est quod me quaerebatis? Nesciebatis quia in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse?*[10] In Cana Galilaeae cum dixisset ei: *Vinum non habent,* dixit: *Quid mihi et tibi est mulier? Nondum venit hora mea.*[11] Alibi: *Quae est mater mea et qui sunt fratres mei? Quicumque... fecerit voluntatem Patris mei qui in coelis est, ipse meus frater et soror et mater est.*[12] Sic redarguere visus est atque contemnere. Hinc multi haereticorum, Marcionistae, Valentiniani, Manichaei negarunt Virginem veram esse Christi Matrem, quia Christus ait: *Quid mihi et tibi est, mulier?* cum tamen ibi semel et iterum et tertio Mater Christi appelletur. Deipara laudata ab omnibus etiam a Christo si non explicite, certo implicite.

Sed revera, sub specie quidem reprehensionis licet locutus videatur ad instructionem aliorum, non reprehendit Matrem; nam ubi nulla est culpa, ibi nulla potest esse vera reprehensio. Venerat Christus ut plantaret fidem, maxime vero Divinitatis suae, ut verus Dei Filius crederetur. Eum filium esse Mariae omnes credebant; filium esse Dei verumque patrem Deum habere in coelo nemo credebat; hinc ait: *In his quae Patris mei sunt, oportet me esse;* Deum ipsum Christus non reprehendit Matrem.

8) Vrr. 1. 7. 9) Eph 4, 24. 10) Lc 2, 48-49. Vulg. habet: *Ecce pater tuus et ego,* etc.
11) Io 2, 3-4. 12) Mt 12, 48-50.

Christus non negat Matrem secundum carnem, sed secundum spiritum praefert.

patrem suum appellans ut scirent omnes se alium habere patrem, cui multo magis obedire atque deferre oportebat. Sic: *Quid mihi et tibi, mulier?* ut doceret se non ut filius est Virginis quatenus homo, sed ut Dei filius est qualenus Deus, posse operari miracula, non tactus affectu carnis, sed tantum pro gloria Dei. Sic: *Quae est mater mea?* non negat veram Matrem, nec carnales consanguineos, sed spirituales praefert; ut, si magnum quid videbatur, ut revera erat, matrem esse Christi et patrem secundum carnem, multo maius erat secundum spiritum esse. Sic Christus multo magis dignitatem Matris ostendebat; nam docebat illam, quae nonnisi hominis, magni licet prophetae, mater putabatur,[12a] revera Matrem esse Dei Matremque suam non tantum secundum carnem, verum etiam secundum spiritum, multoque beatiorem esse, quia secundum spiritum Mater erat quam quia secundum carnem. Sicut autem cum negare videtur Dominus matrem, ut: *Quid mihi et tibi,* et: *Quae est mater mea,* non tamen negat; cum videtur arguere, revera non arguit.

A muliere evangelica Deipara laudata a dignitate, quia vera et naturalis Mater Dei.

III. In hoc encomio sex sunt quae consideranda summatim veniunt: tempus, locus, modus, scopus laudis huius, persona laudatrix et laudata. Persona laudatrix mulier quaedam dicitur de turba, humilis conditionis; sed mulier erat Christi fide et caritate imbuta, mulier humilis et virilis, non timida aut tumida, ut vel timeret vel erubesceret: exemplar animae vere fidelis.

Beatus venter qui te portavit, et ubera quae suxisti. At ille ait: Quinimo, beati qui, etc. Duae laudes dantur Virgini Deiparae in his verbis, altera a dignitate, altera a virtute; prior a muliere Virginis laudatrice, posterior a Christo; prior expressa, manifesta est singularis personae, posterior sub generali sententia continetur: *Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud:* prior ad naturam spectat, nam Virgo naturalis fuit Christi Mater, posterior ad gratiam; tandem prior ad carnem et corpus Virginis, posterior ad animam et spiritum, ut ostendatur Virgo Deipara Christi tum secundum carnem tum etiam secundum spiritum vera Mater.

Siquidem cognatorum Christi tria veluti genera legimus: quidam enim tantum secundum carnem, qui in Evangelio *fratres Domini* dicti sunt, de quibus etiam dicitur quod *non credebant in eum;*[13]

12a) Cf. Mt 21, 46. 13) Cf. Io 7, 5.

alii secundum spiritum, nam: *Extendens manum in discipulos suos,* ait: *Ecce mater mea et fratres mei;* sic enim omnes iusti dicti sunt *filii Dei* et *heredes, Christi* autem *fratres et coheredes;* [14] alii tandem cognati Christi utroque modo, veluti sanctissimi Patriarchae atque Prophetae, ex quibus secundum carnem Christus natus est; [15] sic enim a M a t t h a e o dicitur *filius David, filius Abrahae.* [16] Ex hoc genere, et quidem principi loco, fuit Virgo Sanctissima; hinc in evangelicis hisce verbis utrinque laudatur.

Beatus venter qui te portavit. Tribus vicibus in sacro Evangelio Virginem Sanctissimam titulo beatitudinis insignitam legimus. Primo ab Elisabeth: *Beata quae credidisti, quoniam perficientur* in te... *quae dicta sunt tibi a Domino;* [17] secundo in Cantico ipsius Virginis: *Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est;* [18] tertio hoc loco a fideli hac sanctaque muliere: *Beatus venter qui te portavit.* Forte quoniam t r i p l e x b e a t i t u d o reperitur: b e a t i t u d o f o r t u n a e in mundo, quae temporalis est felicitas, qualis fuit Salomonis, et de qua legimus: *Beatum dixerunt populum cui haec sunt,* [19] nempe bona huius mundi, de quibus verba fecerat; alia est b e a t i t u d o g r a t i a e in Ecclesia sancta Dei, quae spiritualis est, et in spiritualium bonorum copia consistit, qua Iusti in Sacris Litteris saepissime beati nuncupantur, et de qua R e g i u s V a t e s subiunxit: *Beatus populus cuius Dominus Deus eius,* [20] nam Deus infinitus thesaurus est et fons perennis omnium bonorum; tertia tandem est b e a t i t u d o g l o r i a e in paradiso, quae in Summi Boni [20a] perpetua perfectaque fruitione consistit, de qua legimus: *Beati qui ad coenam nuptiarum Agni vocati sunt.* [21] Virgo autem Sanctissima magna fuit procul dubio beatitudine donata etiam in hoc mundo, cum esset vera Mater talis et tanti Filii; multo autem maiori beatitudine gratiae in Ecclesia sancta Dei, hinc ad eam Gabriel: *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres,* hinc item ad eam Elisabeth: *Beata quae credidisti;* nunc autem maxima supra modum beatitudine gloriae in coelo fruitur, sedens ad dexteram Filii: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* [22] Sic Virgini Deiparae divinitus data est triplex beatitudo.

Deipara triplici benedictione beata.

Beatus venter qui te portavit. Laudat Virginem a dignitate Ma-

Prima laus Deiparae.

14) Rom 8, 17. 15) Cf. ibid. 9, 5. 16) Cf. 1, 1. 17) Lc 1, 45.
18) Ibid. 1, 48-49. 19) Ps 143, 15. 20) Ibid. 20a) Ms.: *Bona.*
21) Apc 19, 9. 22) Ps 44, 10.

tris, quod Mater fuerit veraque Genitrix et nutrix Christi Filii Dei; haec enim prima laus Virginis aliorumque omnium caput et radix. Sicut enim prima laus Christi est quod sit natura verus Filius Dei, primogenitus et unigenitus; ita prima laus Virginis est quod sit vera et naturalis Mater Christi, Mater Dei.

Nestorius damnatus.

Impius Nestorius Sanctissimae Virgini conatus fuit hanc adimere dignitatem; docebat enim quod non poterat Virgo *Theotocos*, idest *Dei Genitrix* [dici] quia nullibi [22a] in Scriptura Mater Dei appellatur, sed *Christotocos*, idest *Christi Genitrix*, quoniam Mater Iesu et Mater Christi saepe nuncupata legitur. Sed contra Nestorium coactum fuit Concilium Ephesinum, in quo dignitas haec Virginis summa mirum in modum propugnata stabilitaque fuit. Fuit autem Concilium Ephesinum unum ex quatuor generalibus, quae G r e g o r i u s M a g n u s haberi volebat tanquam quatuor Evangelia. [23] Primum fuit Nicaenum contra Arium, ad defendendam Divinitatem Christi, secundum fuit Constantinopolitanum contra Macedonium, ad tuendam divinitatem Spiritus Sancti; tertium fuit Ephesinum, ad defendendam dignitatem Virginis, quod vera fuerit Mater Dei, vera Dei Genitrix, quae postea in quarto Chalcedonensi Concilio aliisque omnibus posterioribus confirmata fuere. Chalcedonense Concilium contra Eutychem abbatem constantinopolitanum coactum fuit, quoniam asserebat Christum non veram carnem sumpsisse de Virgine renovatis Valentini, Manetis et Apollinaris damnatis erroribus. [23a]

Virgo vera Mater Dei e ratione theologica.

Et tamen non desunt adhuc haeretici qui Virginem Sanctissimam summa hac dignitate spoliare contendant, eo quod in Sacris Litteris non sit expresse Mater Dei appellata, sed Mater Christi, Mater Iesu. Bene, sed dico: Quis est iste Christus? Nonne Verbum caro factum? Nonne Unigenitus Filius Dei? Nonne *benedictus in saecula?* [24] Num Rebecca non est dicenda mater patriarchae Iacob, quia legitur Iacob, non autem patriarcham genuisse? Num Sara propterea non est dicenda mater Isaac patriarchae, quia non legitur patriarcham genuisse? Iocabed, mater prophetae et legislatoris Moysis Aaronisque summi pontificis, quia non ita legitur? Bethsabee non dicetur mater regis Salomonis, quia Salomonem non regem genuisse memoratur? Quis fuit Salomon? An Eva non est dicenda mater hominis cum genuit Abel, quia non ita legitur? Quis fuit Abel?

22a) Ms.: *Nulli*. 23) Cf. Epistolarum lib. 3, *Epist. 10 ad Savinum Subdiac.* (P. L. 77, 632).
23a) De his Haeresibus et Concil. videas Hefele, *Conciliengeschichte*, t. 1-2. 24) Rom 1, 25.

Aiunt quod non genuit Christum secundum divinitatem, sed secundum humanitatem. Bene, sed neque Eva, mater viventium, genuit hominem - et quaelibet mater - nisi secundum carnem, secundum corpus; ergo non gignit hominem? Quomodo ergo in primo partu dixit: *Possedi hominem per Deum?* [24a] Quoniam *mulier... cum... pepererit... non meminit pressurae, propter gaudium, quia natus est* ei *homo in mundum.* [25]

e testimonio Sacrae Scripturae.

Summa autem haec Virginis Sanctissimae dignitas non obscure in Sacris Litteris demonstratur. Apud Isaiam: *Ecce Virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel, nobiscum Deus;* [26] et iterum: *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius, et vocabitur nomen eius Admirabilis, Deus, Fortis,* [27] etc.; itemque: *Rorate, coeli, desuper et nubes pluant Iustum; aperiatur terra, et germinet Salvatorem.* [28] In Novo autem Testamento: *Quod... ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei,* hoc est, *erit;* [29] sicut: *De qua natus est Iesus qui vocatur Christus;* [30] itemque: *Unde hoc mihi ut veniat Mater Domini mei ad me?* [31] et iterum: *Natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus.* [32] Et Paulus: *De Filio suo qui factus est ei ex semine David secundum carnem;* et alibi: Cum *venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum natum ex muliere.* [33] Sicut autem dicitur: Filius Dei passus et mortuus in cruce: *Humiliavit semetipsum... usque ad mortem, mortem autem crucis;* [34] *Si... cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent;* [35] et Petrus: *Auctorem... vitae interfecistis,* [36] cum tamen nonnisi secundum carnem, secundum humanitatem passus sit; ita Filius Dei dicitur de Virgine natus; [37] sic Ioannes ait quod *Verbum caro factum est.* [38] Sic haec prima dignitas est Virginis gloriosae, quod vera et naturalis sit Dei veri Christi Mater.

e testimonio Traditionis.

Hinc illustris poeta Sedulius, Divo Hieronymo etiam notus, hanc commendans in Virgine dignitatem, ita canit:

« Salve sancta Parens, enixa puerpera Regem,
Qui coelum terramque tenet per saecula, cuius [38a]
Numen et aeterno complectens omnia gyro
Imperium sine fine manet; quae ventre beato

24a) Gn 4, 1. 25) Io 16, 21. 26) 7, 14. 27) 9, 6. 28) 45, 8. 29) Lc 1, 35. 30) Mt 1, 16. 31) Lc 1, 43. 32) Ibid. 2, 11. 33) Rom 1, 3; Gal 4, 4. Vulg. loc.: *Natum ex muliere*, habet: *Factum*, etc. 34) Phil 2, 8. 35) 1 Cor 2, 8. 36) Act 3, 15. 37) Cf. Lc 1, 35. 38) 1, 14. 38a) Ms. addit: *Cui.*

Gaudia matris habens cum virginitatis honore,
Nec primam similem visa est, nec habere sequentem.
Sola sine exemplo placuisti, femina, Christo ».[39]

Sic omnes sancti Patres ab initio nascentis Ecclesiae Virginem Sanctissimam tanquam veram Dei Matrem summis laudibus celebrarunt.

Deipara etiam a nobis honoranda.

IV. Ostendit autem is titulus quis honor, quaeque reverentia tantae[39a] maiestati debeatur. Ad hoc enim Divina Scriptura ostendit tantum veritatem huius dignitatis, non praecipit honorem aut venerationem; sicut etiam ostendit Christum esse verum Filium Dei, credendumque id esse; non tamen praecipit adorandum. Quid ergo? Adorandus minime est? Imo summa pietate adorandus et colendus. Cur igitur non praecipitur? Quia opus non est, nam ex primo statim sequitur secundum; ipsa enim natura docet principem honorandum esse statim ut cognoscitur. Sic caecus natus, illuminatus a Christo, statim ut Filium Dei agnovit, adoravit.[40] Sic non fuit opus praecipere veris fidelibus, ut veram dignamque Christi Matrem honorarent. Quis enim rex fidelibus suis subditis et popularibus praecipit, ut reginam matrem vel coniugem honorent? Aut quis sapiens timere potest ne regem offendat, si, ut par est, reginam honoret? Quam stulti igitur sunt Novatores sectarii, qui iniuriam Christo fieri dicunt, cum Mater ipsius honoratur. Sapiens princeps potest moleste ferre, ut ipsius causa reginae exhibeatur honor?

Beatus qui Virginem honorat et colit, nam ipsa bona terra est quae centuplum reddit,[41] similis Deo, sicut Adamo Eva. Proprium autem Dei est centuplum reddere; Virgo autem Sanctissima hoc maxime satagit Deo similis esse.

39) *Carm. Pasch.* lib. 2, vrr. 63-69. (P. L. 19. 203-204). Videtur autem Sedulius non fuisse notus Hieronymo. Cf. Migne *Proleg. in Sedulium.* (P. L. 19, 1 sqq.). 39a) Ms.: *Tanti.*
40) Cf. Io 9. 35-38. 41) Cf. Mt 13. 23.

SERMO SECUNDUS

DE VIRGINIS DEIPARAE FECUNDA VIRGINITATE

Beatus venter qui te portavit. [1]

I. Omnibus plane modis laudanda semper nobis est Beatissima Virgo Maria; siquidem in *Canticis* omnibus modis omnibusque et singulis corporis partibus laudata reperitur. Laudatur caput, oculi, nasus, genae, labia, collum, pectus, crura, pedes; [2] sed specialiter venter et ubera, ait enim, cap. 7: *Umbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis; venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis; duo ubera tua sicut duo hinnuli gemelli capreae.* [3] Simul coniungit laudem ventris cum laude uberum, sicut hic. **Semper Virgo laudanda.**

II. Non est autem nunc animus prosequi uberum laudes, sed tantum in uteri laudibus immorari. Semel atque iterum laudat: *Umbilicus tuus crater tornatilis,* hebraice *hasahar,* quae vox *rotundum* significat, quo nomine ab Hebraeis luna appellatur cum plena est; *nunquam indigens poculis,* hebraice *non egebit mistione.* Haec prima laus est. Altera vero: *Venter tuus acervus tritici vallatus liliis.* Duae sunt primariae laudes sanctissimi huius uteri: altera est virginalis castitas, altera materna fecunditas; utramque autem duobus hisce versibus Spiritus Sanctus expressit, priori quidem metaphora virginitatem, posteriori vero fecunditatem. *Umbilicus tuus luna plena.* **Virgo laudanda a virginali fecunditate.** **Castitas.**

1) Lc 11, 27. 2) Cf. cpp. 4. 7. 3) Vv. 2-3.

ut hebr. est. Luna autem humida et frigida est; libido autem in humore et calore vehementi consistit. Hinc luna antiquis dicta Diana[4] est, virginitatis et castitatis dea. Designat itaque ventrem hunc nunquam vel minime tactum esse cupiditate aut ardore vel pruritu libidinis, nunquam experivisse potum ad levandam sitim libidinis; semper fuisse instar lunae plenae, quae virginitatis veluti hieroglyphicum est ob temperatissimum calorem et refrigerantem roridum humorem.

Fecunditas.

Altera vero metaphora fecunditas designatur: *Venter tuus acervus tritici vallatus liliis.* Est autem triticum suapte natura fecundissimum, ita ut bono solo exceptum unum tritici granum producat multas spicas, aliquando, ut Plinius refert,[5] supra centenas spicas. Ob fecunditatem ergo venter hic tritico comparatur. Sequitur autem et dicit quod acervus hic tritici vallatus erat liliis, quoniam fecunditas haec magno miraculo ornata est virginitatis internae et externae floribus; concepit enim et peperit semper manens virgo corpore et mente purissima et integerrima. Hoc divinum mysterium Isaias expressit, dicens: *Ecce Virgo concipiet et pariet filium,*[6] hebraice: *Ecce Virgo concipiens et pariens filium.* Si virgo est viro incognita, virum nunquam experta, quomodo concipit? Quomodo parit? Et si parit filium, quomodo virgo est? Et tamen utrumque dicit: *Ecce Virgo concipiens et pariens filium.* Hae igitur sunt singulares laudes sanctissimi huius ventris: virginitas et fecunditas; quam etiam ab initio Deus ipse designavit, dum serpenti dixit: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et* inter *semen tuum et semen illius: ipsum conteret caput tuum;*[7] ubi Christus filius dicitur mulieris, nulla penitus de viro facta mentione.

Scripturarum figurae.

Ad fidem hanc astruendam voluit Deus ut Isaac miraculo de sterili muliere nasceretur,[8] Iacob de sterili Rebecca,[9] Ioseph de sterili Rachele,[10] Samson de sterili matre,[11] Samuel de sterili Anna,[12] Ioannes Baptista ex sterili Elisabeth,[13] ut crederemus, sicut etiam Gabriel Mariae dixit,[14] non esse Deo impossibile ex virgine hominem procreare, sicut in mundi exordio primum hominem ex terra divino miraculo formavit.[14a] Hoc designat mysterium rubus ardens et incombustus,[15] hoc virga Aaronis, quae miraculo fronduit et fructificavit,[16] hoc tabulae legis absque stilo ferreo et lapicidae instrumentis

4) Cf. Ioseph Perin in *Onomastic.* sub hoc verbo. 5) Cf. *Hist. Nat.* lib. 18, cp. 10, pag. 322. 6) 7, 14. 7) Gn 3, 15. Vulg. habet: *Ipsa.* 8) Cf. Gn 17, 15-19. 9) Cf. ibid. 25, 21. 10) Cf. ibid. 30, 22-24. 11) Cf. Idc 13, 2. 12) Cf. 1 Rg 1. 2. Ms.: *Samuelem.* 13) Cf. Lc 1, 7. Ms.: *Ioannem Baptistam.* 14) Cf. Lc 1, 37. 14a) Cf. Gn 2, 7. 15) Cf. Ex 3, 2. 16) Cf. Nm 17, 8.

Dei digito scriptae,[17] hoc apud Danielem lapis de monte praecisus, sed sine manibus,[18] hoc apud Ezechielem porta semper clausa et tantum principi aperta, porta orientalis ad ortum solis,[19] hoc coelum in quo panis Angelorum divina manu factus populo dabatur,[20] hoc est quod Isaias ait: *Antequam parturiret, peperit: antequam veniret partus eius, peperit masculum. Quis audivit unquam tale, et quis vidit huic simile?*[21] Magnum revera miraculum! Sicut etiam idem ait Isaias: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet et pariet filium;*[22] et Ieremias: *Novum creavit Dominus super terram, femina circumdabit virum.*[23] Et item: *Suscitabo David germen iustum,*[24] quod etiam iterum alio loco replicat;[25] et apud Zachariam: *Ecce vir Oriens,*[26] hebr.: *Germen nomen eius;* et Isaias: *Ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti.*[27] Germen nanque nonnisi terram habet parentem matremque, patrem in coelo habet solem ipsum, qui auctor est omnis in terra generationis. Sic saepe in Divinis Litteris Christus ex Virgine nasciturus indicatur, ac sic laudatur uterus Virginis a virginitate et fecunditate.

Prophetarum vaticinia.

Haec autem duo diximus ab Isaia uno vaticinio complexa: *Ecce Virgo praegnans et pariens filium,* quod item postea per *mem* clausum indicavit 9 cap.[28] Sed aiunt veritatis inimici Isaiam non esse locutum de virgine, sed de puella, de adolescentula, quoniam non est ibi *bethulah* sed *hahalmah,* quam *Prov.* 30, violatam mulierem significare videtur, cum ait: *Et viam viri in adolescentula, vederech ghever hahalmah.*[29] Sed profecto ibi etiam de Virgine Salomon verba facit, ostenditque nihilo facilius esse [scire] veram virginem omnino inviolatam viroque intactam, quam *viam aquilae in coelo, viam navis in mari, viam colubri super petram:*[30] quoniam, sicut haec transitus sui nullum post se relinquunt vestigium, ita etiam negotium hominis cum adolescentula, licet abscondita et quae maxime virgo reputatur, cognosci et certo experimento sciri non posse ait quaenam sit revera intacta et omnino illibata virgo. Quare nul-

Obiectio ex *Proverbiis* cp. 30 et responsio.

17) Cf. Ex 31, 18. 18) Cf. Dn 2, 34. 19) Cf. Ez 44, 1-3. 20) Cf. Ex 16, 15. 21) 66, 7-8. 22) 7, 14. 23) 31, 22. 24) 23, 5. 25) 33, 14-16. 26) 6, 12. 27) 53, 2. 28) Vr. 7, in verbo *multiplicabitur,* hebr. *lemàr'bê ad multiplicandum.* De hoc *mem* et eius significatione cf. Knabenbauer, *Comment. in Is.* loc. cit. 29) Vr. 19 ex hebr. Vulg. habet: *Et viam viri in adolescentia.* 30) Prv loc. cit. Vulg. habet: *Viam aquilae in coelo, viam colubri super petram viam navis in medio mari.*

libi in Sacris Litteris reperitur haec vox ubi non significet virginem, cum e contra *bethulah* inveniatur apud Ezechielem 23[31] et apud Amos[32] mulierem violatam designare.

Antiqui philosophi.

Nasci voluit Dominus ex Virgine, sicut Lactantius Firmianus lib. 4 *De Sapientia* notavit, ut esset apator et amitor, sicut de Melchisedech legimus; nam Deus ita dictus est ab antiquis philosophis apator et amitor, *sine patre, sine matre*, cum sit primum rerum omnium principium et prima causa omnino independens. Christus in coelo erat sine matre, sed non sine patre; venit in mundum,[33] habereque voluit matrem sine patre; sic factus est sine patre in terra, sicut erat sine matre[34] in coelo. Ita revera sine patre et sine matre appellari potest sicut et Pater.[35]

Sibyllae.

Virginitas Deiparae non solum a sanctis Vatibus prophetata fuit, verum etiam a Sibyllis, quae, Divino Spiritu afflatae, multa de Christo mysteria praedixerunt, ut testes sunt locupletissimi Lactantius Firmianus,[36] Eusebius,[37] Arnobius,[38] Augustinus[39] multique alii.

Deus requirit summam animi puritatem et bonorum operum fecunditatem.

III. Voluit Dominus mulierem in matrem eligere virginem et fecundam, ut indicaret se duo haec vel maxime requirere: summam animi puritatem et bonorum operum fecunditatem. Talis erat Virgo Deipara in anima et spiritu qualis in corpore, virgo intacta, sed fecunda. Sicut autem venter a virginitate et fecunditate laudatur; ita cor, animus, lingua, manus, tota denique ipsa. In corde virginitas intacta ab omni mala cogitatione; fecunditas sanctarum cogitationum, nam *conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo,*[40] ita enim de ea semel, iterum et tertio legimus. In animo virginitas ab omni cupiditate et desiderio malo aut vano; fecunditas coelestium divinorumque desideriorum. In lingua virginitas intacta ab omni malo aut otioso verbo; fecunditas sacri et sancti eloquii, maxime in divinis laudibus: *Magnificat anima mea Dominum.*[41] In manibus virginitas ab omni opere malo; fecunditas in bonis et sanctis opera-

31) Vrr. 3. 8. 32) 5, 2. 33) Ms.: *Mundo.* 34) Ms.: *Patre.* 35) Cf. cp. 13, ad sensum, circa princip. (P. L. 6, 482-83). Lact. autem non loquitur de Melchisedech, de quo cf. Hebr. 7, 3. 36) Cf. Lib. *de Falsa Relig.* cp. 6. (P. L. 6, 138 sqq.). 37) Cf. *Constantini Orat. ad Sanctorum Coetum.* cpp. 19-20. (P. G. 20, 593-94). 38) Cf. *Contra Gentes.* lib. 1, cp. 62. (P. L. 5, 801-802). 39) Cf. *Epist.* 258. (alias 155). (P. L. 33, 1073) et alibi. — De testimonio Sibyllarum circa B. V. virginitatem cf. *Carmina Sibyllina*, lib. 8. Edit. 1718. Basileae. 40) Lc 2, 19. 51; 11, 28. De hoc tertio loc. cf. Auct. *Serm. 1 in Beatus Venter.* 41) Lc 1, 46.

tionibus. Ita tota vita ipsius fuit puritate virginali nitidissima, ornata, absque ullo penitus vel minimo peccato aut vitio: *Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te.*[42] Fecunditas sanctarum virtutum etiam totam vitam ipsius mirifice exornavit, sicut coelum multitudo siderum: *Multae filiae congregaverunt sibi divitias, tu supergressa es universas.*[43] Propter hanc igitur virginitatem et fecunditatem cum corporalem tum etiam et maxime spiritualem Virgo Deipara beata praedicatur.

Regius Vates *Psalmo 109* haec etiam duo complexus videtur, dum ait iuxta hebr.: *De matrice ex aurora tibi ros generationis* sive *nativitatis tuae,*[44] ubi Virginis uterum aurorae comparavit, quae humida roridaque est et frigida, roremque terrae saluberrimum summeque utilem parit. Sic Virginis uterus humidus et frigidus fuit absque calore carnalis concupiscentiae et libidinis; sed tamen fecundus, quia Christum virgo peperit: *Tibi ros generationis, nativitatis tuae.* Ros auroram veluti matrem habet, patrem non habet.

42) Ct 4, 7. 43) Prv 31, 29. 44) Vr. 3. Vulg.: *Ex utero ante luciferum genui te.*

SERMO TERTIUS

DE PRAECLARA VIRGINIS DEIPARAE BEATITUDINE

Beatus venter qui te portavit. [1]

Domus Obededom bonis cumulata typus Mariae.

I. Sicut domus Obededom propter mansionem arcae Dei viventis in ea divina benedictione plena fuit multisque bonis divinitus cumulata, [2] ita plane Virgo Sanctissima propter divinam in ea habitationem; ipsa enim revera domus Dei fuit, ita ut cum sancto patriarcha Iacob dicere possimus: *Vere Dominus est in loco isto... Quam terribilis est... locus iste!... Hic... domus Dei est.* [3] An non mundus totus domus Dei est? *Coelum et terram ego adimpleo.* [4] An non Ecclesia item domus Dei? *Templum... Dei sanctum est, quod estis vos.* [5] An non item paradisus? *Beati qui habitant in domo tua, Domine.* [6] Hae enim sunt tres habitationes Dei quas legimus: tabernaculum Moysi, [7] templum Salomonis [8] et coeleste aedificium Ezechielis. [9]

Quid igitur est quod ait: *Hic domus Dei est?* Quoniam hic inhabitavit *omnis plenitudo Divinitatis corporaliter,* [10] multoque maiora miracula hic operatus Deus est, quam vel in mundo, vel in Ecclesia, vel in paradiso. Cum igitur arca illa domum Obededom sua inhabitatione replevit divina benedictione, ita plane Christus, in Virginis utero conceptus, Virginem Sacratissimam. Sic Angelus ad eam: *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* [11]

1) Lc 11, 27. 2) Cf. 1 Par 13, 14. 3) Gn 28, 16-17. 4) Jer 23, 24. Vulg. habet: *Impleo.* 5) 1 Cor 3, 17. 6) Ps 83, 5. 7) Cf. Ex 40, 32-36. 8) Cf. 2 Par 7, 1-3. 9) Cf. Ez 44, 4. 10) Col 2, 9. 11) Lc 1, 28.

Beatitudo bonorum omnium affluentia. Virgo Deipara beatissima, quia possidet pretiosa bona fortunae.

II. Cum primum omnium beatitudinem legimus in Divinis Litteris, simile quid est? Nam cum Liae, uxori patriarchae Iacob, natus esset filius, ait: *Hoc pro beatitudine mea, beatam quippe me dicent* omnes *mulieres; propterea* natum infantem *appellavit... Aser,* [12] quod est *beatitudo* sive *beatus.* Dicitur autem in Scripturis Sanctis beatitudo significare prosperam fortunam, statum vitae felicem, in quo animus hominis quietus sit laetusque, voluptate et consolatione plenus. Sic Regius Vates in *1 Psalmo: Beatus vir, qui non abiit,* etc., hoc est, vir iustus et pius, quoniam *erit sicut lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum... et omnia quaecumque faciet prosperabuntur.* [13] Dicitur autem prosperitas et felicitas haec in bonorum affluentia consistere. Hinc Regius Vates, cum verba fecisset de magna divitiarum copia, ait: *Beatum dixerunt populum cui haec sunt,* hebr.: *Beatus populus cui sic est; beatus populus cuius Dominus Deus eius,* [14] hoc est, multo beatior est, qui Deum habet, quam qui omnia mundi huius bona possidet. Sic alibi idem: *Beatus vir qui timet Dominum,* et *in mandatis eius cupit nimis. Potens in terra erit nomen eius, generatio rectorum benedicetur,* [15] idest, fortunabitur, prosperabitur. Saepe enim in Sacris Litteris felicitas benedictio Dei appellatur; nam benedictio Domini non est nisi divinorum beneficiorum et gratiarum copia. Sic ait Abrahamo: *Benedicam tibi, et magnificabo nomen tuum, erisque benedictus,* [16] idest, fortunatus et felix. Sic: *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Det tibi Deus de rore coeli et de pinguedine terrae abundantiam frumenti et vini; serviant tibi populi et adorent te tribus: esto dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuae.* [17] Sic ponuntur in hac benedictione ea quae homines vel maxime solent appetere, cum existiment in his felicitatem consistere. *Gloria et divitiae in domo eius, et iustitia eius manet in saeculum saeculi.* [18] Causam reddit cur pium hominem beatum praedicavit, nempe quia a Deo mirifice fortunatur bonorum copia et affluentia; siquidem etiam: *Exoritur in tenebris lux iustis, ipse Deus misericors, et miserator et iustus,* [19] quia in adversis tristibusque rebus Deus iustis affulget et consolatur. Sic enim Hebraei in tenebris Aegypti clarissima luce fruebantur, [20] et tres adolescentes in fornace magnum refrigerium sentiebant. [21]

Benedictio Dei beneficiorum copia.

12) Gn 30, 13. 13) Ps 1, 1-3. 14) Ps 143, 15. 15) Ps 111, 1-2. Vulg. loc.: *Cupit* et: *Nomen,* habet: *Volet* et: *Semen.* 16) Gn 12, 2. 17) Ibid. 27, 27-29. 18) Ps 111, 3. 19) Ibid. vr. 4 ex hebr. 20) Cf. Ex 10, 23. 21) Dn 3, 49-50.

Obiectio ex Virginis paupertate et doloribus.

Cum igitur in bonorum copia et florenti rerum statu beatitudo consistat, mirum est quomodo Virgo Beatissima beata praedicetur, cum in hoc mundo pauperem vitam duxerit, pauperi fabro in matrimonio collocata; tam humili fortuna, ut in Bethlehem non potuerit habere locum in diversorio ad pariendum, sed coacta sit in stabulum se recipere, natumque Filium in praesepio collocare;[22] et post haec multos animi dolores: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius;* [22a] multas corporis afflictiones et incommoda pati oportuerit. Quomodo ergo beata? Num beata dici potuit cum in Aegyptum fugere oportuit?[23] Cum duodennem Filium amisit? [23a] Cum Filium mori in cruce pendentem vidit? [24] Et tamen in Divinis Litteris nedum b e a t a , verum etiam b e a t i s s i m a praedicatur. De ea nanque S a l o m o n in *Proverbiis* ait: *Surrexerunt filii eius, et beatissimam praedicaverunt, vir eius* etiam *laudavit eam. Multae filiae congregaverunt* sibi *divitias, tu supergressa es universas:* [24a] et in *Canticis: Viderunt eam filiae, et beatissimam praedicaverunt,* et *reginae et concubinae... laudaverunt eam: Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?* [25] Sic item ipsa: *Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen eius.* [26] Quo loco advertendum est quod Virgo Sanctissima Deum tribus titulis exornat: p o t e n t i a e , s a n c t i t a t i s et m i s e r i c o r d i a e p e r p e t u a e ; quoniam Deus per potentiam auctor naturae est, per sanctitatem fons gratiae in Ecclesia, per misericordiam et bonitatem perpetuam thesaurus infinitus gloriae in paradiso, sicut sol in coelo thesaurus lucis est. Tria nanque bonorum genera a Deo emanant: naturalia, visibilia, temporaria in hoc mundo; spiritualia, supernaturalia divinaque in Ecclesia; et tandem supercoelestia aeternaque in paradiso. Ait autem: *Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est, magna* qui sanctus est, *magna* cuius misericordia aeterna est.

Responsio.

Tria bonorum genera.

Bona naturae in Virgine mirabilia plane.

Est autem graece hoc loco *megalia,* quod noster Interpres vertere solet *magnalia.* Significat autem ea vox, sicut hebraica *ghedaloth, magna miracula, mirabilia opera Dei:* sicut opera, quae in salutem Hebraeorum fecit Deus in Aegypto, in mari Rubro, in deserto et ingressu terrae promissionis, *megalia, ghedaloth, magnalia* appellantur. [27] Haec autem talia et tanta sunt, ut nulla creatura in terra vel

22) Cf. Lc 2, 7. 22*a*) Ibid. 2, 35. 23) Cf. Mt 2, 14. 23*a*) Cf. Lc 2, 42-45. 24) Cf. Io 19, 25-30. 24*a*) Prv 31, 28-29. 25) Ct 6, 8-9. 26) Lc 1, 48-49. 27) Cf. Ps 105, 21.

in coelo dicere possit: *Fecit mihi magna qui potens est.* Nam quod spectat ad mundi huius bona, quae vel naturae sunt, vel, ut aiunt, fortunae, cum tamen bona fortunae, ut etiam Stoici sentiebant,[27a] non mereantur nomen boni, cum saepe in causa sint multorum malorum, unde Salomon Deum orabat, ne sibi divitias daret, sed tantum victui necessaria;[28] quod spectat, inquam, ad bona naturae, quae partim corporis, partim animae sunt, fuit corpore integro, optime temperato, sano, formoso, pulcro, sed summa cum venustate, ex nobilissimo sanguine et illustrissima Davidis regis prosapia;[28a] quoad animam, mirabili ingenio, iudicio, animi candore, naturali sapientia, prudentia, magnitudine et nobilitate praedita, Christo per omnia corpore et animo similis, sicut luna plena soli, sicut prima mulier viro.

Virgo Deipara beatissima, quia possidet Deum, fontem bonorum omnium et amantissimum Patrem, Filium et Sponsum.

III. Sed quoniam infinitum esset omnia bona naturae, gratiae et gloriae in Maria complecti, utamur methodo breviori. *Beatum dixerunt populum cui haec sunt*, idest, qui bona mundi possidet; sed *beatus populus cuius Dominus Deus eius*, idest, populus qui Deum possidet. Omnes creaturae in mundo, in Ecclesia, in paradiso Deum possident: in mundo quidem tanquam auctorem et conservatorem naturae, patrem regemque universi; in Ecclesia tanquam auctorem gratiae, conservatoremque et bonorum omnium causam; in paradiso tanquam auctorem et causam gloriae et felicitatis aeternae.

Deus a creaturis varie possidetur.

Sic omnes creaturae Deum habent primam causam primumque principium omnis boni; sicut stellae in coelo Dei imaginem solem habent fontem perennem omnis luminis et splendoris. Deus enim a creaturis varie habetur et possidetur. Sicut in regno rex a subditis et popularibus tanquam supremus princeps et iudex, a principibus regni tanquam supremum caput, ab aulicis et ministris ut dominus et patronus, a filiis ut pater, a regina uxore ut sponsus, a regina matre ut filius; ita plane Deus a primis parentibus nostri generis possessus fuit in paradiso tanquam auctor vitae felicis et beatae, Patriarchae habuerunt Deum summum protectorem, populus in deserto tanquam providentissimum patrem et pastorem, Prophetae tanquam magistrum et miraculorum operatorem, Apostoli, sicut intimi aulici principem, tanquam familiarissimum dominum, Ecclesia ut amantissi-

27a) Cf. Diog. Laert. *De Vita Philos.* cp. 7, pag. 297. Edit. 1559. Lugduni. 28) Cf. Prv 30, 7-8.
28a) Cf. Lc 1, 27.

mum sponsum, omnes Sancti ut omnis gratiae et sanctitatis fontem, Angeli ut solem gloriae in paradiso.

At vero Virgo Sanctissima non possedit Deum tantummodo ut creatorem et conservatorem, ut originem primam naturae, fontem gratiae et auctorem gloriae; sed possedit et possidet tanquam amantissimum patrem, amantissimum sponsum et amantissimum filium.

Virgo beatissima, quia possidet Deum communicatione et coniunctione maxima omnium.

IV. Regius Vates saepe beatum praedicat hominem, qui quamcumque habet communicationem cum Deo. Hinc: *Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum,* [29] sicut Prophetas, sicut Salomonem. Hinc: *Beatus quem elegisti et assumpsisti, inhabitabit in atriis tuis,* [30] idest, ut servus familiaris et domesticus tuus sit. Hinc: *Beata gens, cuius Dominus Deus eius, populus quem elegit in hereditatem sibi,* [31] beatus qui fuerit de regno Dei. Hinc: *Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius, spes eius in Domino Deo ipsius, qui fecit coelum,* etc. [32] idest, beatus qui Deum fautorem, protectorem et adiutorem habet; sicut regina Saba beatos dixit servos Salomonis: *Beati viri tui, et beati servi tui, qui stant coram te semper, et audiunt sapientiam tuam.* [33] Sic: *Beati qui habitant in domo tua, Domine,* [34] et: *Beatus vir cuius est auxilium abs te.* [35]

Si ergo vel minima communicatio hominis cum Deo potest eum beatum reddere, quid poterit talis et tanta communicatio qualis quantaque est inter patrem et filiam, sponsum et sponsam, matrem et filium? Dixit aliquando Dominus Apostolis: *Beati oculi qui vident quae vos videtis, et aures* quae *audiunt..., dico enim vobis quod multi Prophetae et reges...:* [36] sic Petrum beatum dixit, quia accepit per divinam revelationem quod Christus esset verus Filius Dei: *Beatus es, Simon Bar-Iona;* [37] quid ergo censendum de Virgine? Moyses, *Deut.* 33, ait: *Beatus es tu, Israel: quis similis tui, popule, qui salvaris in Domino? Scutum auxilii tui et gladius gloriae tuae,* [38] idest, quoniam Deus est salvator tuus, protector tuus, propugnator tuus contra inimicos tuos; quoniam ipse rex tuus est, tu vero regnum et populus ipsius. Cum itaque in Divinis Litteris beatus praedicetur quisquis Deum habet dominum protectorem, patronum, ad summum, amicum, sicut Moyses habebat, qui cum Deo familiariter conversabatur ita ut loqueretur secum Deus sicut amicus cum amico; [38a] quid

29) Ps 93, 12. 30) Ps 64, 5. 31) Ps 32, 12. 32) Ps 145, 5-6. 33) 3 Rg 10, 8. 34) Ps 83, 5. 35) Ibid. 83, 6. 36) Lc 10, 23-24. Verba: *Et aures... audiunt* e Mt 13, 16. 37) Mt 16, 17. 38) Vr. 29. 38a) Cf. Ex 33, 11.

igitur de Virgine censendum? Si unus tantum esset totius orbis princeps et monarcha potentissimus, fortunatissimus, optimus; mulier nil amplius desiderare posset in hoc mundo, quam principis illius vel filia, vel uxor, vel mater esse.

Fortunatissima praedicatur Esther, quoniam, cum esset humili loco nata, ab Assuero, rege potentissimo, in uxorem accepta, regina facta fuit;[39] sed Virgo haec Summi Monarchae non dicam totius orbis, sed totius universi simul et filia, et sponsa, et mater est. Quid amplius esse potest? Nec habet filia haec absentem patrem, uxor absentem sponsum, mater absentem filium; sed semper praesentem, semperque eius beatissima praesentia fruitur, adeo ei coniuncta, ut magis non possit; nam primus gradus coniunctionis est inter patrem et filiam, sponsum et sponsam, matrem et filium.

Creatura eo beatior quo Deo coniunctior.

Igitur cum Deus, qui a Paulo *solus beatus* dicitur,[40] sicut a Moyse quod *solus* sit,[41] sicut sol solus lucidus est, prima sit beatitudinis causa; omnisque creatura eo beatior sit quo magis appropinquat Deo, sicut accidit in communicatione lucis solaris; sic enim in coelo Seraphim sunt Angelorum omnium beatissimi, quoniam Deo omnium proximi; sic Apostoli inter Christi electos sunt omnium gloriosissimi, quoniam omnium Christo proximi; quemadmodum in regno, quoniam rex prima dignitas est et fons omnis dignitatis, qui regi proximi sunt, hi sunt in maiori dignitate constituti; sicut in Ecclesia Summus Pontifex summa dignitas est, qui autem Pontifici sunt viciniores praelati, sunt digniores; itaque cum Virgo Sanctissima Deo proxima sit in primo coniunctionis gradu, sicut filia patri, uxor marito, mater filio, quam merito beata praedicatur!

Virgo Deipara beatissima beatitudine interiori.

V. Sed fuit beatitudo Virginis in hoc mundo sicut et gloria Christi. Promissus fuerat in Scripturis Sanctis princeps gloriosissimus, felicissimus, beatissimus, totus divinus, verus Deus; apparuit homo passibilis, mortalis, pauper, humilis, miserabilis. Erat verus Filius Dei, sed non apparebat, quoniam Divinitas in humanitate latebat: *Vere tu es Deus absconditus*, veruntamen in se est *Deus salvator Israel.*[42] Ita Virgo Sanctissima beata, imo beatissima praedicatur in Sacris Litteris, et tamen non videbatur nisi mulier pauper et humilis, quoniam beatitudo ipsius divina, non mundana erat: *Omnis gloria*

39) Cf. Est 2, 5 sqq. 40) 1 Tim 6, 15. 41) Dt 32, 39. 42) Is 45, 15. Vulg. *Deus Israel salvator.*

eius filiae regis ab intus, in fimbriis aureis, circumdata varietate.[43] In eo autem Psalmo et filia dicitur: *Audi, filia, et vide.*[44] *Omnis gloria eius filiae regis;* itemque regina: *Astitit regina a dextris tuis,*[45] hebr. *coniux;* itemque mater, sed recte, dum Christus filius appellatur: *Speciosus forma prae filiis hominum,*[46] qui tamen paulo post Deus nominatur: *Thronus tuus, Deus, in saeculum saeculi.*[47]

Reverentia et fiducia nobis honoranda est Virgo deipara.

Ex autem consideratione tantae beatitudinis in Virgine excitandus in nobis est d u p l e x   a f f e c t u s. Alter quidem r e v e r e n t i a e: nam, cum rex in regno summo sit dignus honore, illi sunt honorabiliores qui regi sunt viciniores, maxime vero omnium filii, uxor, mater. Quanto ergo honore digna est Virgo haec Beatissima, quae Summo Regi Deo adeo coniuncta est? Alter autem affectus d e v o t i o n i s et f i d u c i a e in eam est. Nam cum possit apud Deum quidquid filia apud patrem, sicut legimus de filia Caleb,[48] quod uxor apud maritum, sicut legimus de Bethsabee apud Davidem,[49] quod mater apud filium, sicut legimus de Bethsabee apud Salomonem;[50] illam debemus accedere confidentes, nam novit ipsa nostri causa tantopere se esse a Deo exaltatam, sicut Mardochaeus dixit reginae Esther quod pro salute populi divinitus exaltata erat.[51] Sicut autem Esther non pro se, sed pro populo et gentilibus suis petiit a rege;[52] ita Virgo Beatissima in coelo, quae nil minus, imo multo magis nos diligit quam Esther gentiles suos Iudaeos. Neque enim habet in coelo quid petat, pro quibus oret, si pro nobis [non postulet] quae ad salutem nostram spectant.

43) Ps 44, 14. Vulg. habet: *Circumamicta varietatibus.* 44) Vr. 11. 45) Vr. 10. 46) Vr. 3. 47) Vr. 7 a D. Paulo cit. Hebr 1, 8. 48) Cf. Jos 15, 16-19. 49) 3 Rg 1, 11 sqq. 50) Cf. ibid. 2, 13 sqq. 51) Est 4, 13-14. 52) Cf. ibid. 7, 3-6.

SERMO QUARTUS

DE HONORE VIRGINI DEIPARAE DEBITO

Beatus venter qui te portavit et ubera quae suxisti.[1]

Honorande Virgo Deipara convenienti honore.

I. Sancta haec mulier Virginem Deiparam prout potuit venerata est, et ad Christi gloriam dignis laudibus honoravit. Sic omnes animae piae pro viribus Virginem Deiparam venerantur, honorant, adorant tanquam Dei dignissimam Matrem, sicut ipsa ait: *Beatam me dicent omnes generationes,*[2] non tanquam veram deam, ut haeretici Collyridiani faciebant, contra quos Epiphanius scripsit.[3] Nam Virgo non deus est, sed creatura Dei; non creatrix ipsa est, sed creata.

Collyridiani et nostri haeretici.

Sicut autem satanas daemoniacum illum infelicem nunc in ignem mittebat, nunc in aquam, ab extremo in extremum,[4] ita cum haereticis agit. Illi summum honorem, qui soli Deo debetur, Virgini tribuebant; nostri autem haeretici nullum penitus Matri Christi tribuere volunt honorem, quoniam ait: *Soli Deo honor et gloria,*[5] quasi non scriptum sit etiam: *Gloria et honor... omni operanti bonum:*[6] et non legamus quod *solus* Deus *habet immortalitatem,*[7] cum tamen etiam animae humanae et Angeli sint etiam immortales; et quod *solus* Deus sit *potens* et *beatus,*[8] cum tamen omnes Angeli sint beati in coelo; et non legamus quod *facit mirabilia... solus,*[9] et tamen multi Prophetae et Sancti multa operati sunt miracula; et quod *unus*

1) Lc 11, 27. 2) Ibid. 1, 48. 3) Cf. *Contra Haereses. Haer. 79.* (P. G. 42, 1057 sqq.). 4) Cf. Mt 17, 14-17. 5) 1 Tim 1, 17. 6) Rom 2, 10. 7) 1 Tim 6, 16. 8) Ibid. 6, 15. 9) Ps 135, 4.

tantum sit Deus,[10] et tamen: *Ego dixi: Dii estis et filii Excelsi omnes.*[11]

Veritas in medio.

Sed verum est quod Christus semper inter duos latrones medius consistit; veritas semper in medio posita est inter extrema, sicut et virtus. Sicut de Deo Hebraei credunt quod sit tantum unus, Gentiles quod sint plures, Christiani quod sit unus et trinus; de Christo haeretici, hi quidem quod sit purus homo non Deus, alii quod sit purus Deus non homo, Catholici quod sit Deus et homo; de Virgine, hi quidem quod virgo sit non vera mater, illi quidem vera mater sit non virgo, Catholici quod sit mater et virgo; ita etiam de honore qui debetur ei. Illi quod debetur ei omnis honor sicut Deo,[11a] hi autem quod nullus penitus debetur honor. Veritas consistit in medio.

Doctrina Calvini.

C a l v i n u s sive potius Cainus, inimicus Sanctorum sicut Cain Abelis persecutor et occisor,[12] ait « non esse ullo modo honorandos Sanctos, quoniam duplex tantum est honor: alter religionis, qui soli Deo debetur, alter vero civilis, qui debetur principibus, parentibus, praeceptoribus virisque dignitate, sapientia, eruditione aut virtute aliqua insignibus in republica. Sanctis non potest dari primus honor, quoniam soli Deo debetur, nec honor civilis et politicus, quia non conversantur hic nobiscum ».[13] Ita optimus hic et sapientissimus magister in Israel; sed ita doctus, ut iustus putative; omnem negat honorem Sanctis et una cum eis Deiparae etiam Virgini.

Responsio.

Sed unde novit Calvinus duplicem tantum esse honorem? Nam legimus etiam Deum honorare servos suos: *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus* qui est in coelis.[14] Quo honore? Religionis, an civili? Plane neutro; ergo non duplex tantum est honor. Sic reges dicuntur honorare servos suos, cum eos dignitatibus cumulant, et honorabiles reddunt, non quod eis reverentiam exhibeant, quod est proprie h o n o r a r e. Amplius, R e g i u s V a t e s ait: *Mihi... nimis honorati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum,*[15] ubi Chald. Paraphrastes: *Mihi honorati sunt qui diligunt te iusti.* Quo honore? Civili? Sed hic debebatur ipsi tanquam regi. Quomodo ergo honorabat ipse Prophetas, Sanctos, amicos et veros cultores Dei?

10) Dt 6, 4. 11) Ps 81, 6. 11a) Ms.: *Dei.* 12) Cf. Gn. 4, 8.
13) *Comment. in Act. Apost.* cp. 10. 25. vol. 6. 14) Io 12. 26. 15) Ps 138, 17.

Honor est reverentia in testimonium virtutis et dignitatis secundum proportionem.

II. Est autem honor reverentia quam exhibemus in testimonium virtutis sive dignitatis. Hinc nanque dignitates ipsae dictae sunt honores, uti cum aliquem dicimus amplissimos honores in republica consecutum. Debetur procul dubio honor virtuti, dignitati, excellentiae, et eo maior quo maior fuerit excellentia virtutis sive dignitatis. Hinc Petrus ait: *Deum timete, regem honorificate;* et: *Subiecti estote omni creaturae propter Deum, sive regi quasi praecellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum.* [16]

Dignitatum et honorum gradus.

Sed praeter divinam dignitatem et humanam, reperitur media quaedam dignitas, maior humana sed minor divina. Lazarus mendicus nulla praeditus erat humana civili dignitate, et tamen dignus fuit in morte, ut portaretur ab Angelis in sinum Abrahae. [17] Sic sancti Prophetae Dei et Apostoli Christi in mundo, quemadmodum et Christus ipse, nullo honore digni sunt habiti, nulla in mundo civili dignitate praediti fuerunt, et tamen ab ipso etiam Deo, nedum a veris Dei cultoribus et Christi fidelibus, honorati sunt. Sicut autem Dei suprema dignitas est, summus ei debetur honor. Humana dignitas infinitis partibus minor est, sic debetur ei honor, quatenus imago est divinae dignitatis. Sanctorum dignitas media est, sicut gratia inter Deum et naturam, sicut aer inter coelum et terram; sic huic etiam dignitati suus debetur honor secundum proportionem. Sicut autem humana dignitas multos habet gradus, quemadmodum et ecclesiastica, ita etiam supernaturalis dignitas gratiae et gloriae.

Sancti honorandi sunt; hinc et Virgo.

III. Hinc Abraham patriarcha tres Angelos adoravit; [18] iustus Loth similiter adoravit Angelos. [19] At inquit novus magister in Israel, quod civilis fuit honor, quoniam existimabant homines esse nobiles; [19a] sed Balaam adoravit Angelum, postquam Angelum esse novit, ut in *Numeris* legimus. [20] Similiter Iosue, cum apparuisset ei Angelus et cognovisset, adoravit eum; a quo Angelus maiorem etiam reverentiam requisivit: *Solve calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est,* [21] sicut Angelus etiam, qui Moysi apparuit, idipsum ab eo requisivit. [22] Parentes etiam Samsonis Angelum adoraverunt. [23] Ioannes semel et iterum, in *Apoc.* 19 et 22, voluit angelum adorare, et quidem magna reverentia, et prohibitus fuit propter

16) 1 Petr 2, 17. 13-14. 17) Cf. Lc 16, 22. 18) Cf. Gn 18, 2. 19) Ibid. 19, 1.
19a) Cf. Calvin. *Comment. in Gn.* loc. cit. vol. 1; 2 *Instit.* cp. 12. vol. 9. 20) Cf. 22, 31.
21) Jos 5, 15-16. 22) Cf. Act 7, 30-33. Cf. etiam Sales *Comment. in Ex.* 3. 2.
23) Idc 13, 20.

summam apostolatus dignitatem, qua Angelis factus erat aequalis; hinc ait: *Vide ne feceris; conservus enim tuus sum et fratrum tuorum; Deum adora.* [24] Sicut cum, accepto beneficio, gratias agimus benefactori, et ille, cum pius valde sit, dicat: Non mihi sed Deo gratias agas, quoniam ipse dedit nobis omnia; ita Angelus cum Ioanne egit.

Legimus etiam adoratos esse prophetas. Samuel adoratus fuit a rege Saul, [25] nec tamen propterea arguit eum Divina Scriptura. Elias a vidua Sarepthana, postquam mortuum illi filium suscitavit, [26] licet Scriptura non exprimat, sicut clare expressit in muliere Sunamitide, quae et invocavit Eliseum ut filium suscitaret, et, postquam suscitaverat, adoravit eum. [27] Fuit etiam Elias ab Abdia, magno principe in regno Israel, adoratus; [28] Daniel a rege Nabuchodonosor, postquam, Divino Spiritu afflatus, somnium divinavit, et interpretationem eius regi clarissime explicavit. [29] Si igitur Sancti Dei honorandi adorandique sunt tanquam veri servi, amici, filii Dei, quanto magis Mater Dei?

Imo et arca testamenti adoranda; magis Virgo vera arca Dei.

IV. Regius Vates *Psal. 98*, ait: *Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est.* [30] Honorari iubet Deum et scabellum ipsius, idest, arcam, quae scabellum pedum Dei appellata est. Et iterum eodem *Psal.: Adorate in monte sancto eius*, hebr.: *Adorate montem sanctum eius, quoniam sanctus Dominus Deus noster.* [30a] Similiter *Psal. 131: Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco ubi steterunt pedes eius*, hebr.: *Adorabimus scabellum pedum eius. Surge, Domine, in requiem tuam tu et arca sanctificationis* sive *potentiae tuae.* [31] David rex, *1 Paralip.* 28, ait: *Cogitavi ut aedificarem domum, in qua requiesceret arca foederis Domini, et scabellum Dei nostri.* [32] Quare arca ipsa appellatur scabellum pedum Dei. 2 *Paralip.* 6, cum aedificatum esset templum, ait Salomon: *Surge, Domine, in requiem tuam tu et arca fortitudinis tuae,* [33] quoniam et propter arcam aedificaverat templum; hinc *3 Reg.* 8, ait: *Aedificavi domum nomini Domini, et posui in ea locum arcae in qua est foedus Domini.* [34] *Levit.* etiam 26, legimus: *Pavebitis sanctuarium meum: Ego Dominus*, hebr.: *Timebitis*, idest, *venerabimini sanctuarium meum.* [35] Sic: *Quam terribilis est... locus iste! Hic....*

24) 19, 10; 22, 9. 25) Cf. 1 Rg 28, 14. 26) Cf. 3 Rg 17, 17-24. 27) Cf. 4 Rg 4, 37. 28) Cf. 3 Rg 18, 7. 29) Cf. Dn 2, 46. 30) Vr. 5. 30a) Vr. 9. 31) Vrr. 7-8. 32) Vr. 2. 33) 6, 41. 34) 8, 20-21. 35) 26, 2. Vulg. habet: *Pavete ad sanctuarium*, etc.

domus Dei est;[36] hoc est: quam venerabilis, quanto honore et reverentia dignus, propter Dei praesentiam et inhabitationem. Duo simul iubet Regius Vates: honorari Deum et arcam. Sic sancta haec mulier hodie et Christum laudat, honoratque et matrem, dicens: *Beatus venter qui te portavit.*

Sed mirabile dictu videtur quomodo Regius Vates iubeat adorari arcam Dei, cum scriptum sit: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies,*[37] cum etiam Paulus dicat: *Soli Deo honor et gloria.*[37a] Si solus Deus ex praescripto divinae legis est adorandus, quomodo etiam arca, scabellum pedum Dei, adoranda mandatur? Arca nonnisi creatura erat, facta a Beseleel et Oliab artificibus ex ligno et auro;[38] quomodo etiam creatura adoranda est, non solus Creator? Et tamen utrumque praecipitur: *Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate scabellum pedum eius. Adorate montem sanctum eius. Adorabimus scabellum pedum eius.* Sicut autem absque ulla Divinitatis iniuria adoratur etiam humanitas Christi propter Divinitatem, ita etiam adorari et honorari potest Mater Christi, cum fuerit arca et habitatio Divinitatis.

Causa adorationis: imago Dei.

Solus Deus est honorandus, sed non tantum in seipso, verum etiam in imagine sua; nam iniuria quae infertur imagini principis, ipsi principi illata praesumitur; sic crimen est laesae maiestatis. Quod autem de iniuria, idem etiam de honore censendum. Non exhibetur honor nisi imagini Dei, non enim honoratur lapis, lignum, arbor, animal, sed homo divina insignitus imagine; in hominibus vero princeps, quoniam dignitas principis imago est maiestatis et potestatis divinae; honorantur parentes tanquam imagines divinae caritatis et providentiae; honorantur magistri ut imagines sapientiae; sic viri divina sanctitate praediti, quoniam imagines sanctitatis Dei: sic item Angeli.

Honoranda Virgo Deipara propter divinam praesentiam, dignitatem, sanctitatem et gloriam.

V. Nunc videndum quomodo et quibus de causis honoranda sit Virgo Deipara. In Sacris Litteris, praeter honorem et reverentiam Deo exhibitam, legimus exhibitam magnam reverentiam locis sacris Dei praesentia sanctificatis, prophetis Dei et principibus constitutis a Deo: locis sacris propter divinam maiestatem, prophetis propter sanctitatem, principibus propter dignitatem; Angelis etiam tanquam Dei ministris et imaginibus Dei vivis, Dei naturam ad vivum referentibus, sed praecipue propter divinae gloriae splendorem in eis.

36) Gn 28, 17. 37) Mt 4, 10. 37a) 1 Tim 1, 17. 38) Cf. Ex 36, 1 sqq.

Hisce omnibus de causis Virgo Sanctissima post Deum summopere honoranda et adoranda nobis est.

Virgo Deipara vivum Divinitatis templum.

Primo, inquam, propter divinam praesentiam. Si enim venerabilis supra modum visus est Iacob locus in quo apparuit ei Deus hac solum de causa, et Deus ipse Moysi iussit ut nonnisi summa cum reverentia accederet ad locum in quo ipse erat: *Locus in quo stas terra sancta est,* et hac de causa voluit ut in summo honore haberetur arca, tabernaculum, templum; quo honore, qua reverentia dignum erit vivum hoc Divinitatis templum? Quod quidem et privilegiis et miraculis multis, divinitus honoratum est; privilegiis, inquam, fecundae virginitatis et virginalis maternitatis: concepit sine pudore, peperit sine dolore, miraculo concepit, miraculo peperit.

Summum omnium miraculum est incarnatio propter coniunctionem infinite distantium. Scala, quam vidit Iacob, coniungebat coelum et terram,[39] inter quae magna distantia est; sed incarnatio coniunxit Deum et hominem; Deus autem infinitis partibus multo sublimior homine est quam coelum terra. Item etiam propter Incomprehensibilis comprehensionem, nam comprehendit suo gremio quem coeli capere non possunt;[40] et tandem propter divinorum idiomatum perfectam communicationem. Magnum miraculum coniunctio; maius comprehensio, veluti si circulus intra centrum comprehendatur, coelum totum intra terram, mundus totus in pugillo hominis; sed maximum communicatio, qua Deus factus est verus homo, et homo verus Deus; Christus perfectus Deus et perfectus homo, homo perfectus natura, perfectus gratia, perfectus gloria, perfectus omni Divinitatis plenitudine. Sicut autem propter divinam reverentiam summo in honore habentur sacratissimae reliquiae, maxime quae Christi divino contactu consecratae sunt, ut crux, spinea corona, praesepium et sepulcrum Christi; ita etiam Virgo Sanctissima hunc meretur honorem; Christum enim Dominum non solo tetigit, sed concepit, portavit, peperit, lactavit, educavit.

Virginis Deiparae dignitas, sanctitas, gloria.

Si honorati sunt principes propter dignitatem, huius summa dignitas est, quoniam Sponsa et Mater Dei; si Prophetae propter divinam sanctitatem, huius summa est sanctitas: *Ave, gratia plena:*[41] si Angeli propter coelestem gloriam, huius gloria summa est, supra gloriam omnium Angelorum in coelo, ita ut omnes Angeli tanquam reginam et dominam honorent, venerentur, adorent in coelo, imo etiam ab initio suae creationis una cum Christo venerati sunt et adorarunt.

39) Cf. Gn 28, 10-13. 40) Cf. 2 Par 6, 18. 41) Lc 1, 28.

Angeli Virginem adorarunt iam ab initio.

Nam, priusquam beatificarentur, iussi sunt Christum adorare et in suum dominum recipere: *Adorent eum omnes Angeli Dei,*[42] sicut nunc omnes adorant in coelo: *In nomine eius omne genu flectatur coelestium.*[43] Sed iussi sunt adorare ut hominem Divinitati unitum;[44] ergo ut filium Mariae. In visione autem Dei iam beatificati, mysterium Incarnationis plenissime agnoverunt, quare et Christum et Mariam. Sic ab initio Maria in coelo, ut Mater Christi agnita, ab Angelis honorata adorataque est.

Et nos Mariam colamus.

Quod si Angeli iam beati in coelo, cum gratia et favore Mariae opus non haberent, solum ut Deo morem gerant et propter summam Deiparae dignitatem, eam perpetuo coluerunt et venerati sunt, et nunc etiam perpetuo colunt, honorant, laudibus celebrant et adorant: quid nos facere par est, qui nedum propter divinam reverentiam et summam Virginis dignitatem eam honorare tenemur, sicut Angeli, verum etiam propter accepta beneficia et ad consequendam ipsius gratiam favoremque et intercessionis ipsius suffragium auxiliumque?

42) Hebr 1. 6. 43) Phil 2. 10. 44) Idem sentit Suarez. *De Angelis.* lib. 7. cp. 13, aliique quos ipse ibi citat; e recentioribus cf. Palmieri. thes. 60; Scheeben. § 193. n. 176.

SERMO QUINTUS

DE BEATITUDINE ET PATROCINIO VIRGINIS DEIPARAE

Beatus venter qui te portavit et ubera quae suxisti; at ille dixit: Quinimo beati qui audiunt, etc. [1]

Beatitudo titulus proprius Dei, quem ipse communicat etiam Sanctis.

I. Accidisse visum est huic mulieri quod reginae Sabae, quae, cum vidisset gloriam Salomonis, plena stupore usque ad extasim, exclamavit: *Beati servi tui et beati viri tui, qui stant coram te semper, et audiunt sapientiam tuam:* [2] ita tribuit haec mulier Virgini Deiparae laudem plane divinam, nam b e a t i t u d o Dei titulus et epithetum est. Hinc P a u l u s *1 Timoth.* 1: *Secundum evangelium gloriae beati Dei,* [3] et 6 cap.: *Beatus et solus potens Deus, Rex regum et Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem,* [4] videtur solum Deum beatum dicere: sicut ad *Romanos* 16, solum Deum sapientem dixit, [5] et ad *Timotheum*, solum dignum honore, [6] et quod solus habet immortalitatem: quoniam sicut Deus a seipso habet vitam, sapientiam, gloriam et maiestatem, ita etiam a seipso habet beatitudinem.

Communicat autem Deus beatitudinem suam sicut sol lucem; hinc iusti beati dicuntur: *Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud.* Licet autem saepissime in utroque Testamento iusti et electi Dei propter gratiam et favorem divinum beati dicti sint et praedicati, nemo tamen personaliter beatus dictus est inter Patriar-

1) Lc 11, 27-28. 2) 3 Rg 10, 8. Vulg. habet: *Beati viri tui et servi tui.* etc. 3) Vr. 11. 4) Vrr. 15-16. 5) Cf. 16, 27. 6) Cf. 1 Tim 1. 17.

chas, Prophetas, nisi inter Apostolos unus tantum Petrus, et inter omnes Sanctos Virgo Deipara; sed Petrus quidem semel tantum: *Beatus es, Simon Bar Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in coelis est.*[7]

II. Virgo autem Deipara praeterquam quod ab Angelo dicta est: *Benedicta tu inter mulieres,*[8] hoc est, mulierum omnium beatissima, semel, iterum et tertio singulariter beata dicta est: primo quidem ab Elisabeth: *Beata quae credidisti, quoniam perficientur... quae dicta sunt tibi a Domino;*[9] secundo in suo Cantico per prophetiae spiritum: *Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi* Dominus *magna qui potens est;*[10] tertio ab hac sancta muliere hodie: *Beatus venter qui te portavit.* Quod si Petrus, ex eo quod per divinam revelationem Christum agnovit verum esse Filium Dei verumque Messiam, beatus meruit appellari, et Christi Vicarius, fundamentum Ecclesiae et regni coelestis clavicularius a Domino constitui; quid de Virgine Deipara sentiendum?

Virgo Deipara ter beata, quia possidet triplicem beatitudinem gratiae, gloriae et ipsius Dei.

Nec immerito ter dicta est beata Maria. Nam revera triplex est supernaturalis et supermundana beatitudo: prima est beatitudo gratiae, quae in virtute consistit, secundum quam iusti etiam in hoc saeculo beati praedicantur; secunda est beatitudo gloriae in paradiso, quae in Dei visione et fruitione sita est; tertia est increata infinitaque Dei beatitudo, quae in ipsiusmet natura consistit, cum Deus suapte natura sit infinitus thesaurus omnium bonorum, unde est illud: *Ostendam tibi omne bonum.*[11]

Triplex beatitudo.

In Virgine autem Sacratissima omnis beatitudo reperta est. Beatitudo gratiae: *Ave, gratia plena... benedicta tu in mulieribus... invenisti gratiam apud Deum.* Hinc cum primum beata dicta est, beatitudo cum virtute coniuncta est: *Beata quae credidisti.* Secundo loco cum exaltatione coniuncta est: *Quia respexit humilitatem ancillae suae; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes,* iuxta illud: *Qui se humiliat, exaltabitur.*[12] Sicut autem Paulus de Christo ait quod *humiliavit semetipsum... usque ad mortem... propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen;*[13] ita etiam de Virgine, quae Christo simillima fuit, sentiendum. Notandum vero quod exaltata dicitur a Dei omnipo-

Gratia et gloria Virginis.

7) Mt 16, 17. 8) Lc 1, 28. Vulg.: *In mulieribus.* 9) Ibid. 1, 45. 10) Ibid. 1, 48-49. 11) Ex 33, 19. Vulg. *Ostendam.* etc... *tibi.* 12) Lc 14, 11. 13) Phil 2, 8-9.

tentia: *Quia fecit mihi magna qui potens est:* Deus, inquit, omnipotens multis privilegiis me cumulavit; ita ut gloria Mariae non metienda sit ordinariis legibus, sed ipsa Dei omnipotentia: exaltavit eam quantum exaltare potuit puram creaturam. Habet princeps leges ordinarias, sed habet etiam supremam auctoritatem supra omnes leges suas; non legibus sed omnipotentia sua egit Deus cum Maria. Tandem tertia beatitudo Mariae cum Christo vero Filio Dei veroque Deo[13a] coniuncta est: *Beatus venter qui te portavit;* in hoc enim beatissimo ventre tota Dei beatitudo posita et collocata fuit in Verbi incarnatione. Sic iure ter beata praedicatur, quoniam etiam ab aeterno ad tria praedestinata et praeelecta fuit: ad sublimem gratiam, ad excelsam et ad supremam Matris Dei dignitatem. Sic adeo beata divinitus facta est Virgo Deipara, ut nec ab ipso quidem Deo possit beatior fieri. Propter hanc autem triplicem beatitudinem existimo eam triplici lumine ornatam in Divinis Litteris praesentari.[14]

Deus ipse in Virgine.

III. Cum autem beatitudo in bonitatis possessione et fruitione consistat, magna pars etiam in eiusdem communicatione consistit; hinc Paulus ait: *Beatius est magis dare quam accipere.*[14a] Sic enim coelum dat terrae, non recipit, sol astris, pater filiis, rex ministris et subditis dignitates saeculares, Summus Pontifex dignitates ecclesiasticas; sic Deus dat omnibus creaturis. Amplius, dare virtutis actus est, laude dignus; non autem recipere actus perfectionis: cum arbor perfecta fuerit, tunc dat fructus. Si autem beatius est conferre quam accipere beneficia, profecto, cum Virgo Deipara divinitus omni beatitudine donata sit, non carebit potiori beatitudinis parte. Quomodo enim stella coeli esset, quomodo sol, absque luminis communicatione? Beatitudo ipsius similis est divinae beatitudini, quae maxime est suiipsius communicativa; haec nanque natura boni est sicut natura lucis. Ipsa videtur esse petra illa deserti, de qua dixit Deus: *Loquimini ad petram... et illa dabit aquas,*[15] nam petra deserti dicta est ab Isaia: *Emitte agnum, Domine, dominatorem terrae de petra deserti.*[16]

Virgo Deipara beata potiori beatitudine: beneficiorum effusione.

Nam duas petras legimus in deserto quae populo aquas dederunt: altera in Raphidim in principio peregrinationis,[17] altera in Cades in fine peregrinationis post mortem Mariae sororis Moysi, *Num.* 20.[18] In priore feliciter cessit negotium; in posteriori peccasse dicuntur Moyses et Aaron quod non crediderint Domino, nec sanctificaverint

Virgo petra deserti ex qua aquae beneficiorum.

13a) Ms.: *Dei*. 14) Cf. Ct 6, 9; Apc 12, 1 e loc. paral. 14a) Act 20, 35. 15) Nm 20, 8. 16) 16, 1. 17) Cf. Ex 17, 6. 18) Vr. 11.

cum coram multitudine, existimantes impossibile esse de petra illa aquam educere, cum tamen priorem eductionem possibilem iudicarint: *Rebelles et increduli, num de petra hac poterimus vobis aquas educere?* [19] Et tamen Deus dixerat: *Loquimini ad petram... et illa dabit aquas.*

Putant, maxime haeretici, posse nos iuvare de coelo petram Christum, non autem petram Mariam, quia dicunt Mariam mortuam esse. [19a] Neve videatur nobis impossibile: *Loquimini ad petram... et* ipsa *dabit aquas.* Mortua est; sed etiam Christus mortuus est; resurrexit tamen et ascendit in coelum sedetque ad dexteram Patris; [20] ita Maria suscitata est, assumptaque in coelum sedet ad dexteram Filii. Potest inde Christus nos iuvare precesque nostras audire verus Deus et verus homo; potest etiam Virgo Sanctissima vera Mater veri Dei et veri hominis. Potest Christus iuvare nos divina virtute et auctoritate; potest nos iuvare Maria suis meritis suaque intercessione et protectione.

IV. Nam apud Christum summa valet gratia et auctoritate, et erga nos summa praedita est caritate. Sicut autem pro nobis intercedere potuit in terra, ita et multo magis potest in coelo. P o t e s t, s c i t, v u l t. Ipsa enim arca Dei est in qua virga Dei, thesaurus divinae sapientiae, et vas plenum manna. [21] Si enim non intercedit pro nobis, profecto non intercedat necesse est vel quia non potest, vel quia nescit, vel quia non vult. Sed quomodo possunt, sciunt, volunt Angeli? Et non poterit Regina Angelorum, quae apud Deum, apud Christum maiori praedita est gratia et auctoritate, quam omnes Angeli omnesque simul Beati? Sicut maiori praedita est virtute et caritate, non poterit quod quilibet Angelorum potest?

Virgo Deipara potest, scit, vult beneficare.

Legimus apud D a n i e l e m fuisse contentionem apud duos principes Angelorum, quorum alter protector erat israeliticae gentis, alter vero regni Persarum. [22] Sed si dari posset casus, ut tota simul Curia coelestis resisteret Virgini Deiparae, ipsa sola magis valeret apud Deum quam tota Curia, sicut lumen lunae plenae in nocte superat splendorem omnium stellarum.

19) Nm 20, 10. Vulg. *Num... vobis aquam poterimus eiicere?* 19a) Cf. Luther. *Postil. in Evang. Assumpt.;* Calvin. *Comment. in 1 Cor. 13, 8,* vol. 7; 3 *Inst.* cp. 20, vol. 9.
20) Cf. Mc 16, 19. 21) Cf. Hebr 9, 4. 22) Cf. 10, 13.

Beatus qui vivit sub protectione Virginis Deiparae.

V. O quam beatus est, qui vivit sub protectione Virginis Deiparae! Ipsa enim beatitudinis suae communicatrix est copiosissima. Sicut luna in coelo omne lumen, quod a sole recipit, communicat mundo, ut solem, a quo omne lumen recipit, imitetur; ita, inquam, Regina haec coeli. Beatitudo Dei et Christi est sicut lux solis: *Resplenduit facies eius sicut sol,*[23] qui dat lucem, sed non recipit ab alio luminari; ita Deus a nemine beatitudinem recipit, sed tantum communicat. Beatitudo autem Virginis est sicut lumen lunae, quae recipit a sole et dat mundo. Praedicatur autem luna magnum coeli luminare[24] post solem, non quia recipit, sed quia dat lumen; *Beatius est magis dare quam accipere:* ita plane Virgo Beatissima.

Simile.

Petiit Eliezer aquam a Rebecca, ipsa vero plus dedit et obtulit quam ille petierat;[25] ita Virgo Sanctissima saepe saepius supplicum suorum merita excedit et vota.[26] Bethsabee, cum apud regem David gratia valeret et auctoritate, erga Salomonem autem filium materna praedita esset caritate, etiam non sollicitata a filio, pro eo apud regem intercessit et obtinuit regnum,[27] et nec Adoniae quidem inimico negavit intercessionis suffragium;[28] quid igitur de Virgine Deipara aequum est credere et aestimare?

23) Mt 17, 2. 24) Cf. Gn 1, 16. 25) Cf. Gn 24, 17 sqq. 26) Cf. *Brev. Rom.* Orat. Dominicae 2 p. Pent. 27) Cf. 3 Rg 1, 11 sqq. 28) Cf. ibid. 2, 13 sqq.

6.

SUPER: FUNDAMENTA EIUS

SERMONES SEX

PSALMUS 86.

Fundamenta eius in montibus sanctis; diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.

Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.

Memor ero Rahab et Babylonis scientium me.

Ecce alienigenae et Tyrus et populus Aethiopum, hi fuerunt illic.

Nunquid Sion dicet: Homo et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus?

Dominus narrabit in scripturis populorum et principum, horum qui fuerunt in ea.

Sicut laetantium omnium habitatio est in te.

SERMO PRIMUS

DE FUNDATIONE MYSTICAE CIVITATIS DEI MARIAE

Fundamenta eius in montibus sanctis; diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob. [1]

I. Sanctissimus iuxta ac serenissimus rex David, insignis propheta, de quo scriptum est: *Dixit* de quo *constitutum est de christo Dei, Iacob, egregius psaltes Israel: Spiritus Domini locutus est per me et sermo eius per linguam meam;* [2] et item: *Lingua mea calamus scribae velociter scribentis,* [3] sicut Divino Spiritu afflatus multa christianae philosophiae mysteria divinitus sibi revelata praevidit et praececinit de Christo; ita etiam de Virgine Deipara Maria, Matre Christi.

David multa canit de Christo et de Virgine.

Manifestum est in *Cantico Amorum,* sic enim appellavit *Psalmum quadragesimum quartum,* in quo singulariter de Christo vaticinatur: *Scir iedidoth, Canticum Amorum;* ubi, cum multa de Christo cecinisset: de ipsius gratia et pulcritudine: *Speciosus forma;* de ipsius divina eloquentia: *Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in aeternum:* [4] de illius potentia contra satanam et regnum eius: *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime;* de ipsius virtutibus: *Propter veritatem et mansuetudinem et iustitiam... deducet te mirabiliter dextera tua;* de regia maiestate: *Sedes tua, Deus, in saeculum saeculi, virga directionis, virga regni tui;* de abundantia gratiae: *Dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem, propter-*

Laudes Christi.

1) Ps 86, 1-2. 2) 2 Rg 23, 1-2. 3) Ps 44, 2. 4) Ibid. vr. 3. Sequuntur vrr. 4-5. 7-8. 10.

ea unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis; nunc etiam de Sanctissima Deipara subiunxit: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate.*

Laudes Virginis.

Ubi multa de Virgine Matre vaticinatur et praecinit: ipsius dignitatem: *Astitit regina;* ipsius virginitatem tectis verbis: *Audi, filia, et vide et inclina aurem tuam et obliviscere populum tuum et domum patris tui.*[5] Quasi praesens fuisset Regius Vates cum Gabriel Angelus ad Mariam ingressus fuit, ipsamque audisset dicentem: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?*[6] sic ipse respondet: *Obliviscere populum tuum et domum patris tui,* non concipies et paries naturali ratione, more communi aliarum mulierum. Vaticinatus ipsius pulcritudinem: *Concupiscet rex decorem tuum;*[7] *Invenisti gratiam apud Deum;*[8] ipsius pietatem: *Ipse est Dominus Deus tuus, et adorabis eum;*[9] piam fidelium devotionem ac pietatem erga ipsam: *Filiae Tyri in muneribus, vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis;* praedixit gloriam Virginis: *Omnis gloria eius filiae regis ab intus, in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus,* sive, ut est hebr.: *Tota gloriosa filia regis intrinsecus.* Laudat eam a virtutibus animi, ab ornamento divinarum gratiarum; tandem quod futura erat virginum princeps et corona: *Adducentur regi virgines post eam, proximae eius afferentur tibi; afferentur in laetitia et exultatione, adducentur in templum regis.*[10] Sic in hoc cantico Regius Vates multis laudibus ornavit Christum, multis etiam Deiparam Virginem Matrem Christi, sicut postea Salomon egit in *Cantico Canticorum,* ubi Sponsus et Sponsa, Christus et Ecclesia, miris laudibus exornantur. Sed Maria divinum quoddam compendium est totius Ecclesiae, sicut homo *microcosmos* est, compendium totius magni mundi. Sicut in coelo splendidissima sunt duo luminaria magna sol et luna, in paradiso fuere Adam et Eva, in templo Domini propitiatorium et arca; ita in Ecclesia et in paradiso Christus et Maria.

Ps. 86 totus de laudibus Virginis est.

Sic in Sacris Litteris Christus et Maria divinis laudibus et encomiis ornantur et celebrantur: aliquando simul, sicut a David in *Cantico Amorum,* sicut a Salomone in *Cantico Canticorum,* aliquando vero separatim. Sic Salomon in idea mulieris fortis depinxit vivis coloribus, ac multis laudibus exornavit Deiparam Sanctissimam;[11] sic etiam Regius Vates agere visus est in hoc

5) Ibid. 44, 11. 6) Lc 1, 34. 7) Ps 44, 12. 8) Lc 1, 30.
9) Ps 44, 12. *Adorabis* ex hebr. 10) Ibid. vr. 13. Sequuntur vrr. 14-16.
11) Cf. Prv 31, 10-31.

Psalmo, quem in laudem Virginis Sacratissimae exponendum suscepimus: *Fundamenta eius in montibus sanctis,* qui septem versiculis continetur pro mysterio septem virtutum septemque donorum Spiritus Sancti in Virgine.[11a]

Prima laus Virginis in hoc Psalmo: eius omnimoda perfectio.

II. Primus autem versiculus hebraice decem dictionibus continetur; nam *fundamenta eius, iesudatho* hebr., una est dictio; itemque illud *super omnia, micol,* una dictio est. Denarius iste hic non vacat mysterio. Divinam legem Deus decem tantum praeceptis comprehendit. Mundum universum decem dictis creavit, ut patet ex primo sacrae *Geneseos* capitulo, decies enim replicatur: *Et dixit Deus,* hebr.: *Vaiomer.* In theologia Hebraeorum decem sunt divinae Providentiae rationes quas dicunt *sephiroth,*[12] quae sunt *cheter, chocmah, binnah, chesed, pachod, tiphereth, nezach, hod, iesod, malcuth,* idest, *corona, sapientia, intelligentia, pietas, fortitudo, gloria, perpetuitas, laus, secretum, regnum.* Apud philosophos[12a] sunt decem genera rerum, decem series, quas categorias appellant, quae simul in homine continentur.

Denarius symbolum perfectionis.

Hoc primum caput est laudum Deiparae Virginis: perfectissima observantia omnium mandatorum Dei, thesaurus omnis bonitatis, omnisque virtutis creatae, quae vel in mundo vel in Ecclesia, vel in paradiso reperitur sub Deo; specialissima et singularissima Providentia Dei circa eam, tanquam circa dilectissimam filiam, sponsam et matrem; compendium mirabile omnium categoriarum, quoniam ipsa substantia quidem nobilissima est, quoniam mulier, sed amicta sole;[13] magna quantitate virtutis et potestatis, quia Regina coeli stellis coronata;[13a] magna qualitate, quia gratia plena, super omnes mulieres benedicta;[14] magna relatione, quia Dei Filia, Sponsa et Mater; postea vero magna actione, quia Deum concepit, peperit et educavit hominem factum; magna passione, quia miraculo concepta, divinitus sanctificata et spiritale martyrium passa fuit; magna ubi, quia in coelo; magna situ, quia sedet ad dexteram Filii; magna habere, quia Domina mundi; magna quando, quia in aeternum cum Deo vivit et regnat.

In Virgine perfectissima observantia decem mandatorum et compendium decem categoriarum.

In oraculo *Apocalypsis*[15] sunt omnes categoriae: substantia, quia mulier coelestis; quantitas, quia pedes super lunam et caput inter stellas habet; qualitas, quia amicta sole luce fulget

Mulier Apocalypsis et categoriae.

11*a*) De auctore Ps 86 disputant critici. 12) Cf. *Lex. Chald. Talmud.* Buxtorf sub hoc verbo, a quo tamen Auct. aliquid discrepat. 12*a*) Cf. Aristot. 3 *Metaph.* (tex. 14). 13) Cf. Apc 12, 1. 13*a*) Loc. cit. 14) Cf. Lc 1, 28. 15) 12, 1 sqq.

splendidissima; r e l a t i o, quia Regina, quia Deum conceptum habebat in utero; a c t i o, quia peperit filium masculum; p a s s i o, quia clamabat parturiens; u b i, quia fulget perpetuo sicut sol; s i t u s, quia stans in coelo; h a b e r e, quia coelorum Regina et Domina.

In denario numeri omnes, in Maria dona et gratiae omnes.

Salomon divinum templum ornavit decem aureis candelabris decemque aureis mensis.[16] Est autem numerus denarius sphaera numerorum suprema continens omnes numeros,[17] sicut Deus novem ordines spiritualium substantiarum sub se, sicut suprema coelorum sphaera novem inferiores orbes,[18] sicut homo novem genera rerum infra se, nam sunt tria genera inanimorum, tria plantarum et tria animalium. In Maria continetur omne genus gratiarum et donorum coelestium, quae in Ecclesia reperiuntur; Ecclesia nanque per decem Virgines a Christo designata fuit,[18a] et in tabernaculo Moysi erant decem columnae.[19]

Secunda laus Virginis in hoc Psalmo: eius infinitus valor.

III. *Fundamenta eius in montibus sanctis.* Loquitur de Virgine Deipara sub metaphora civitatis Ierusalem, nam de Virgine in *Cantico Canticorum* dicitur: *Pulcra ut luna... decora tanquam Ierusalem.*[20]

Alibi Virgo multis rebus comparata.

Multis rebus in Sacris Litteris comparatur Virgo Sanctissima: nunc paradiso: *Hortus conclusus, fons signatus, emissiones tuae paradisus:*[21] nunc stellae, lunae, soli: *Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens,* idest, stella matutina, *pulcra ut luna, electa ut sol;*[22] nunc templum, domus, et tabernaculum Dei dicitur: *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus;*[23] *Domum tuam, Domine, decet sanctitudo:*[24] nunc navis: *Facta est* sicut *navis institoris de longe portans panem suum:*[25] nunc thesaurus pretiosissimus: *Mulierem fortem quis inveniet? Procul et de ultimis finibus pretium eius,*[26] hebr. *longe pretiosior margaritis merces eius:* sed in hoc Psalmo civitati comparatur, et civitati Ierusalem; non uni personae, non uni aedificio, palatio, templo, arci, sed toti simul civitati, plane ob incomparabilem infinitumque valorem.

In hoc Psalmo civitati.

S a l o m o n in *Proverbiis* ait quod *frater, qui adiuvatur a fratre, quasi civitas firma.*[27] Mirum videtur quod singularis persona civitati comparatur. Sed si frater, qui adiuvatur a fratre, quasi civitas firma, quanto magis qui adiuvatur a Deo? « Adiuvabit eam Deus vultu suo,

16) Cf. 2 Par 4, 7-8. 17) Cf. August. *Serm. 270 de Tempore.* n. 3. (P. L. 38. 1240). 18) Cf. Cicer. *Somn. Scipionis,* pag. 277. Edit. an. 1540. Lugduni. 18a) Cf. Mt 25. 1 sqq. 19) Cf. Ex 27. 12. 20) 6. 9. 3. 21) Ibid. 4, 12-13. 22) Ibid. 6. 9. 23) Ps 45. 5. 24) Ps 92. 5. 25) Prv 31. 14. 26) Ibid. 31. 10. 27) Ibid. 18. 19.

Deus in medio eius; ergo non commovebitur ».[28] Deus Ieremiae dixit: *Ego... dedi te... in civitatem munitam..., in columnam ferream, et in murum aereum...* Pugnabunt *adversum te et non praevalebunt;*[29] sic Elias dictus est *currus Israel et auriga eius,*[30] sive, ut est hebr. *equites eius,* idest, potentior ad tutelam regni Israel quam potentissimus exercitus falcatorum curruum et equitum; sic David dictus est melior decem millibus militum;[31] ideo ipsa Virgo dicta est: *Terribilis ut castrorum acies ordinata.*[32] Sic civitas dicitur, et civitas Ierusalem, totius regni Israelitici caput et metropolis, civitas omnium maxima, munitissima, pulcherrima, gloriosissima.

Virginis infinitus valor ob pretiositatem fundamentorum.

IV. Primum autem quod laudat in hac civitate est fundamentum: *Fundamenta eius in montibus sanctis.* Civitates laudari solent a situ, a solo, a magnitudine, a munitione et arcibus, ab aedificiis, palatiis, templis, plateis, a viis rectis, latis, planis, pulcris, ab opulentia et copia rerum, a civium multitudine, nobilitate, valore, divitiis, a principibus, magistratibus, regimine optimo et sanctissimis legibus; non a fundamentis, quae ex ruderibus fiunt et vilissimis petris, quae occulta sunt sub terra, in quibus nulla species aut pulcritudo. Huius autem civitatis principe loco fundamenta laudantur, quoniam haec civitas fundata est a D e o, non a m u n d o. Deus autem quae non videntur pretiosiora et pulcriora fecit iis quae videntur. In terra videntur lapides viles in superficie, non pretiosae gemmae, non pretiosa metalla aurum et argentum in visceribus terrae; in coelo videntur stellae non Angeli, qui sunt multo nobiliores; in mundo videtur corporalis machina, sed non spiritus divinus qui eam regit; in homine manifestum est corpus non autem anima; in Ecclesia non videtur Spiritus Sanctus. Imo, quid dico? In fundamentis Deus virtutem omnem collocavit, in radicibus plantarum, quae sunt instar basium, posuit totam virtutem; inde haurit truncus, inde rami, inde arbor tota virtutem omnem. In synagoga tanquam fundamentum totius aedificii posuit Moysem sanctissimum; in Ecclesia Petrum, principem Apostolorum, imo Christum ipsum: *Fundamentum... aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus.*[33] Fundamentum mundi totius nonnisi Deus ipse est, et Verbum Dei, *portans omnia verbo virtutis suae.*[34] Bases tabernaculi Moysi legimus in *Exodo* fuisse ex argento,[35] fundamenta

Auctor fundationis est Deus qui pretiosiora fecit quae non videntur.

28) *Brev. Rom.* in Fest. Comm. Virg. Resp. ad Tertiam. 29) Ier 1, 18-19. 30) 4 Rg 2, 12. 31) Cf. 1 Rg 18, 7. 32) Ct 6, 9. 33) 1 Cor 3, 11. 34) Hebr 1, 3. 35) Cf. Ex 36, 23-34.

templi Salomonis ex lapidibus pretiosis.[36] De coelesti Ierusalem in *Apocalypsi* legimus quod fundamenta civitatis sunt omni lapide pretioso ornata.[37] Sic in primis laudantur fundamenta mysticae huius civitatis Ierusalem.

Virginis infinitus valor ob principalitatem civitatis fundatae.

V. Per civitatem Ierusalem aliquando in Sacris Litteris etiam mundus iste designatur, aliquando Ecclesia, aliquando paradisus. Sic Maria parva, ut ita dicam, Ierusalem est, quia parvus mundus, parva Ecclesia, parvus paradisus. Sed parvus mundus fuit homo creatus a Deo, minor mundo quantitate molis, sed maior quantitate virtutis, quia factus fuit princeps et dominus mundi totius; in homine caput mole minus est toto corpore, sed virtute maius; in mundo sol minor est toto coelo, sed virtute maior. Sic Maria virtute maior est toto mundo, tota Ecclesia, toto paradiso. Sicut civitas metropolis caput et regina dominaque omnium civitatum regni, maior semper et nobilior cunctis est ratione dominii et principatus; Maria autem ut Sponsa Dei et vera Mater Christi Regina est paradisi, Domina omnium creaturarum, Imperatrix Angelorum. Sic ipsa mundus est minor et maior, minor et maior Ecclesia, minor et maior paradisus. Ubi etiam quomodo fundatus est mundus? In Deo et per Deum. Quomodo fundata Ecclesia? In Christo et per Christum. Quomodo fundatus paradisus? In Spiritu Sancto et per Spiritum Sanctum. Mundus fundatus est a potentia Patris, Ecclesia a sapientia Filii, paradisus a bonitate Spiritus Sancti.

Ierusalem regina civitatum. Maria Regina omnium.

Virginis infinitus valor ob solemnitatem fundationis.

VI. Fundamentum rei principium designat et initium rei; initium autem hominis in conceptione est. Quid primum laudatur in hac civitate? Fundamentum. Cum fundatur magnum aliquod templum in honorem Dei in civitate in ecclesiam principalem ac metropolitanam, primus lapis ponitur ab Episcopo magna cum solemnitate multisque sacris cerimoniis benedictus et consecratus. Cum a rege fundatur aliqua civitas vel arx magni momenti, si possit, vult ipse adesse; ponitur primus lapis cum multis numismatibus aureis et argenteis, insculptis regali imagine et nomine principis, cum stemmatibus etiam et gentilitiis insigniis ipsius principis: poniturque primus lapis magna cum solemnitate et laetitia. Ita accidit in conceptione purissimae Virginis. Deus ipse posuit primum lapidem, quoniam fundabatur templum Dei, arx et civitas Dei Summi Regis. Hinc ait: *Fundamenta*

Primus lapis cum solemnitate ponitur ab Episcopo, a rege.

36) Cf. 3 Rg 5, 17. 37) Cf. Apc 21, 19-20.

eius in montibus sanctis, sive, ut hebr. est *in montibus sanctitatis*, sicut dicimus montes aureos.

VII. Ubi fundata est haec civitas? *In montibus sanctitatis.* Magnus altusque sanctitatis mons est fides, altus mons sanctitatis spes, altus mons caritas, alti montes virtutes omnes, montes alti omnia dona Spiritus Sancti, coelestes gratiae divinaque charismata. Sic fundata est *in montibus sanctitatis: Erit... praeparatus mons domus Domini in vertice montium.*[38] Magnum miraculum montes ponere supra vertices montium. Sed miraculum hoc accidit in conceptione Mariae. Alti montes sunt omnes Sancti: *Suscipiant montes pacem populo et colles iustitiam;*[39] sed Maria mons est super omnes montes. Magna sanctitas Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Sanctorum omnium, Angelorum in coelo; sed Maria sanctitate et puritate ipsis etiam Angelis maior, quia Deo multo propinquior. Hanc enim ob causam ponitur civitas haec fundata altissimo loco, supra altissimum montem.

Virginis infinitus valor ob nobilitatem fundationis.

Maria fundata in vertice montium sanctitatis, quia sanctior omnium.

Est enim mundus hic sicut statua Nabuchodonosor, cuius quo altiores erant partes eo erant nobiliores,[40] sicut tabernaculum Moysi[40a] et templum Salomonis,[41] sicut humanum corpus, sicut in natura supra terram lapides et metalla, super haec plantae, supra plantas animalia, supra animalia homo; sic supra terram aqua, supra aquam aer, supra aerem coelum, supra coelum stellae, supra stellas Angeli, supra Angelos Deus; crescit semper nobilitas rerum quo sublimiores sunt et propinquiores Deo. Maria autem proxima Deo est sicut filia patri, sicut sponsa sponso, sicut mater filio; propinquitas autem haec Divinitatis participatio est.

Quo aliquid altius eo nobilius in mundo,

Sicut in ecclesiastica hierarchia sunt clerici, subdiaconi, diaconi, sacerdotes, canonici, Dignitates, Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchae, Cardinales et supra omnes Papa, qui Papae sunt propinquiores hi digniores censentur; sicut etiam in politica monarchia principi, regi, imperatori propinquiores nobiliores sunt et digniores, summo principi dignitate et honoris dignitate multo similiores.

in Ecclesia et in politica monarchia.

Virginis ergo Deiparae summa propinquitas apud Deum summam Dei similitudinem designat. Deus autem suapte natura est summa maiestas, summa beatitudo, summa gloria, infinita potentia, infi-

Maria nobilior quia Deo propinquior.

38) Is 2, 2. 39) Ps 71, 3. 40) Cf. Dn 2, 31 sqq. 40a) Cf. Ex 26, 1 sqq.; Hebr 9, 1-3. 41) Cf. 2 Par 3, 1 sqq.; Hebr 9, 1-3.

nita sapientia, infinita bonitas, caritas, misericordia, sanctitas. Maria igitur Deo simillima, sicut luna soli, creaturarum omnium, Angelorum, Cherubim, Seraphim summe particeps divinae maiestatis, felicitatis et gloriae, summe particeps divinae potentiae, sapientiae, bonitatis, caritatis, misericordiae, sanctitatis.

Hinc Fidelium devotio in Virginem magna, perpetua, universalis.

Hinc orta est summa fidelium devotio erga Virginem Sacratissimam, sicut Vates ait: *Confluent ad eum*, - montem domus Domini -, *omnes gentes.*[41a] Instar, inquit, torrentium ac fluminum, qui a montibus et editioribus locis ad decliviora usque ad ipsum mare cursu rapidissimo feruntur; sic gentes et populi ad altissimum hunc montem domus Domini: *Confluent ad eum omnes gentes.* Ubi tria designantur: magnitudo, perpetuitas et universalitas devotionis in Virginem. Magnitudo: *Confluent*, *venaharu* hebr., fluent instar fluminis, cuius est cursus perpetuus et magnus. Sed mirabile dictu est quod cum excelsiorem cunctis montibus dicat Virginem, concursum tamen devotionis populi fidelis ad eam designat per fluxum aquarum quae naturali et spontaneo motu non sursum feruntur a vallibus et planitie ad montes, sed a montibus ad planitiem vallesque. At vero loquitur de illis aquis, quae saliunt ad vitam aeternam.[42] Sicut gravia corpora spontaneo, veloci et rapido cursu deorsum feruntur, ita levia sursum; manifestum est in flamma ignis; non minus rapido et concitato cursu fertur ignis sursum, quam aqua deorsum. Spiritus autem ignis quidam divinus est, devotio autem spiritualis est. Hinc ad Deum et coelestia spiritus devotionis fertur, sicut aqua fluminis ad mare, cum tamen Deus altissimus sit super omnes deos. Sic spiritus devotionis fertur in Virginem, altissimam coeli Reginam, utique quoniam altissima est et Deo proxima. *Confluent* autem, inquit, *omnes gentes: Beatam me dicent omnes generationes*,[43] scientes quod apud omnipotentem Deum omnia potest, et quod ipsius infinita prope vereque divina bonitas, caritas, benignitas est, infinitum desiderium salutis nostrae, quod diligit nos sicut mater carissima filios dilectissimos.

Virginis infinitus valor ob sublimitatem fundationis. Virgo fundata super altissimos montes gratiarum.

VIII. *Fundamenta eius in montibus sanctis.* Datur civitas mirabilis etiam a fundatione ipsius. Sic enim civitas Venetiarum mirabilis est ac veluti mundi miraculum, quoniam in aquis fundata est. Nostra autem haec civitas mirabilis, quoniam super altissimos montes divinarum gratiarum fundata est.

Fundamenta eius in montibus sanctis. Fundamentum totius Ec-

41a) Is. 2. 2. Vulg. habet: *Fluent* 42) Cf. Io 4. 14. 43) Lc 1, 48.

clesiae Christus est, fides est, sicut Paulus ait: *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.*[44] Haec cum primis laudata fuit a Christo in Petro,[45] in Centurione,[46] in Chananaea,[47] in Magdalena,[48] in caeco illuminato.[49] Haec item laudata in Virgine a Spiritu Sancto per os Elisabeth: *Beata quae credidisti, quoniam perficientur* in te... *quae dicta sunt tibi a Domino.*[50] Haec in Virgine erat in montibus sanctis: *Conservabat omnia verba... conferens in corde suo.*[51] Altus mons est mens, superior animae portio, altus mons intellectus, altus mons animus suapte natura nobilissimus, altus sanctusque mons coelestium rerum contemplatio. In homine ipsa etiam ratio fundamentum est omnium humanarum actionum: sine usu enim rationis homo instar animalis bruti est. In corpore caput est veluti fundamentum ac radix, nam est homo sicut arbor inversa; cor etiam veluti basis et fundamentum est naturalis vitae, quae in vitali calore consistit, hic autem a corde sumit originem.

Virgo fide altissima, natura nobilissima, contemplatione sublimissima.

Virgo Sanctissima fide, animo, spiritu semper in coelestibus erat: *Nostra... conversatio in coelis est;*[52] reposuerat thesaurum suum in coelo; ubi autem thesaurus est, ibi et cor,[53] quoniam fide viva praedita erat, qua fundationem suam cognoscebat a Deo, suam creationem a divina omnipotentia, sapientia, bonitate, vitam et omne bonum suum a Deo. *Quid... habes,* homo, *quod non accepisti?*[54] *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est.*[55] Propterea Deum semper mente et spiritu in veritate colebat totoque et corde et animo diligebat.

Virgo semper in coelestibus.

IX. Sed etiam nos, fratres, fundati sumus in montibus sanctis, commune cum ea habemus fundamentum fidei. Sit fides in nobis viva, sicut fuit in Virgine. Exercebat iugiter Virgo fidem sanctis meditationibus, sicut de anima sancta dicitur: *In lege Domini voluntas eius, et in lege eius meditabitur die ac nocte:* propterea *erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum.*[56] Exerceamus et nos eandem fidem, ne simus instar immundorum animalium quae non ruminant. Ruminemus meditando quae credimus, nam in meditatione exardescet ignis divini amoris.[57] Meditemur et iugiter memoria recolamus divina in nos collata beneficia quae credimus, et magnum inde percipiemus fructum.

Etiam nos commune cum ea habemus fundamentum fidei.

Exerceamus eam in contemplatione.

44) Hebr 11, 1. 45) Cf. Mt 16, 16-17. 46) Cf. ibid. 8, 10. 47) Cf. ibid. 15, 28. 48) Cf. Lc 7, 50. 49) Cf. Mc 10, 52. 50) Lc 1, 45. 51) Ibid. 2, 19. 51. 52) Phil 3, 20. 53) Cf. Lc 12, 34. 54) 1 Cor 4, 7. 55) Iac 1, 17. 56) Ps 1, 2-3. 57) Ps 38, 4.

in humilitate,

Magnum etiam virtutum fundamentum humilitas est, nam *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*[58] Virgo autem humillima erat: *Quia respexit humilitatem ancillae suae. Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.*[59]

in caritate.

Fundamenta eius in montibus sanctis. Fundata erat civitas Ierusalem supra tres montes: supra montem Sion, ubi erat arx David, supra montes Moriah, ubi templum Domini, et supra montem Acra, ubi magna pars civitatis.[60] Unus erat mons, sed triceps, triiugus, quod quidem non vacat mysterio, tum ratione Trinitatis in Deo, qui unus et trinus est, tum ratione gratiae, quae in tribus theologicis virtutibus consistit. Hi sunt montes sanctitatis. Paulus ait: *In caritate radicati et fundati.*[61] En caritas fundamentum salutis.

58) Iac 4, 6; 1 Petr 5, 5. 59) Lc 1, 48. 38. 60) Cf. Ioseph Hebr. *De Bello Iud.* lib. 6. cp. 8. 61) Eph 3, 17.

SERMO SECUNDUS

DE SINGULARI DEI AMORE ERGA MYSTICAM CIVITATEM DEI MARIAM

Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob; gloriosa dicta sunt de te, etc. [1]

I. Dilexit vehementer Adamus Evam, Abrahamus Saram, Iacob Rachelem, Isaac Rebeccam, Assuerus Estheram, estque naturalissimus amor hominis in muliere pulcram et supra modum gratiosam. Hodie autem talis proponitur amor Dei erga Virginem.

Proponitur amor Dei erga Virginem.

Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob. Prosequitur metaphoram civitatis Ierusalem, quod eam dilexit Deus super omnes alias civitates totius israelitici regni, tanquam civitatem omnium maximam, pulcherrimam, amoenissimam, munitissimam. Caput regni erat, civitatum metropolis, in ea templum Domini, sedes magni sacerdotii, summum principum sacerdotum synedrium, concilium, senatus; in ea sedes regia, vires regni totius, supremi magistratus, duces exercitus, thesauri regis, armamentarium regni, et, quod maximum omnium est, ibi summus divinae religionis cultus, ibi sacerdotium, ibi prophetia, ibi studium legis et Prophetarum, ibi sacrificia, ibi veluti thesaurus bonorum omnium totius synagogae: *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.* A magnitudine et copia divinorum beneficiorum colligit Divus Vates magnitudinem divini amoris erga eam.

Dilectio Dei erga Ierusalem supra omnes civitates bonorum collatione.

1) Ps 86, 2-3.

Dilectio Dei erga Virginem super omnes creaturas maxima exaltatione.

Sic utique in Virgine Sacratissima. De ea dixit Gabriel Angelus quod invenerat gratiam apud Deum: *Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum.* Sed qualem gratiam? *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus,*[2] idest, super omnes mulieres: placuisti Deo super omnes mulieres,[2a] imo super omnes animas sanctas: dilexit te Deus super omnes creaturas: *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.* De Esthera legimus quod adamavit eam rex Assuerus plus quam omnes mulieres, habuitque gratiam et misericordiam coram eo super omnes mulieres, et posuit diadema regni in capite eius.[3] Hoc fuit argumentum maximi erga eam amoris, maxima dignitas et exaltatio, qua eam super omnes mulieres exaltavit; maximus amor in causa fuit maximae exaltationis; eam nanque quantum potuit exaltavit; ita Deus summus, *Rex regum,* omnipotens, *Dominus dominantium*[4] Beatissimam Virginem.

Simile: Esther.

Amor Dei causa princeps exaltationis Virginis Deiparae.

II. *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.* Obiectum, cibus et esca amoris pulcritudo est, gratia, bonitas; propterea enim Assuerus Estheram super omnes mulieres amavit, quoniam pulcherrima et gratiosissima omnium visa ei est, omnium maxime placuit; sic Virgo Sacratissima Deo, ideo eam super omnes creaturas dilexit.

Deus, totus amor, diligit omnia,

Quod Deus diligat, mirum non est; nam suapte natura Deus totus amor est: *Deus caritas est,* inquit Ioannes.[5] Et sicut sol, quia totus lux est, totum illuminat susque deque mundum, ita Deus cum totus amor sit omnes creaturas amat, nam: *Vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona.*[6] Sic legimus quod Deus diligit omnia,[7] imo creaturae omnes partus sunt divini amoris: *Fecit coelos in intellectu, quoniam in aeternum misericordia eius; firmavit terram super aquas, quoniam in aeternum misericordia eius: fecit luminaria magna, quoniam in aeternum misericordia eius:*[8] [Hebr.] *chi leholam hasdo, quoniam in perpetuum pietas eius, beneficentia eius.*

praesertim hominem.

Mirabatur beatus Iob quod Deus hominem tantopere diligeret: *Quid est homo quia visitas eum? Aut quid apponis erga eum cor tuum?*[9] Similiter Regius Vates: *Quid est homo quod memor*

2) Lc 1, 30. 28. 2a) Ms.: *Muliere.* 3) Cf. Est 2. 17. 4) 1 Tim 6, 15; Apc 17. 14.
5) 1 Io 4, 10. 6) Gn 1, 31. 7) Cf. Sap 11, 25. 8) Ps 135. 5-7.
9) Iob 7. 17. Vulg. habet: *Magnificas eum.*

es eius? Aut filius hominis quia visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subiecisti sub pedibus eius. [10] Causam admirationis alibi aperit, dicens: *Quid est homo, quia innotuisti ei?* [Hebr.] *Vattedahahu, quia cognovisti eum? Aut filius hominis quia reputas eum? Homo vanitati similis factus est; dies eius sicut umbra praetereunt.* [11] Modica, inquit, res videtur esse homo, prope nihilum, instar umbrae; et tamen memor es eius, visitas eum, cognoscis eum, reputas eum. Propter eum omnia creasti, eius summam geris curam et providentiam paternam, eum, veluti alterum Deum, constituisti mundi principem gloria et honore coronatum ac sublimatum. Ita mirari et prae admiratione exclamare licet: Quid est mulier quod memor es eius, quia visitas eam? Gloria et honore coronasti eam, et constituisti eam super opera manuum tuarum, omnia subiecisti sub pedibus eius, quam non minuisti paulo minus ab Angelis, sed super omnes angelicos ordines exaltasti, sole amictam et stellis fulgentissimis coronatam. [12] Miraculum plane divinae dilectionis erga Virginem! *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.*

supra omnia hanc coelestem mulierem.

III. Divinae dilectionis erga Electos quatuor sunt singulares effectus: praedestinatio electioque, vocatio, iustificatio et glorificatio; de quibus Paulus: *Quos praescivit et praedestinavit... hos et vocavit: ...quos* autem *vocavit, hos et iustificavit; quos autem iustificavit, illos et magnificavit.* [13] Virginem autem Deus praedestinavit, vocavit, iustificavit et glorificavit super omnes Electos, non solum homines verum etiam Angelos.

Amor Dei quadruplex effectus: praedestinatio, vocatio, iustificatio, glorificatio.

Praedestinavit eam super omnes Sanctos, quia praedestinavit ad summum gradum gratiae, ad summum gradum gloriae, ad summum gradum dignitatis, ut esset vera Dei Filia, Sponsa et Mater, Domina Angelorum, Regina Sanctorum omnium.

Virgo praedestinata Mater Dei, Regina omnium.

Divina praedestinatio fuit veluti ichnographia, prima forma et exemplar, archetypum totius Ecclesiae Electorum Dei. Cum Dominus dedit Moysi exemplar divini sanctuarii, primo omnium locutus fuit de arca testamenti; [14] sic prima creatura praedestinata extitit Virgo Beatissima, viva Divinitatis arca.

Vocatio etiam Virginis supra modum mirabilis fuit, quoniam

Virgo vocata simul ad esse

10) Ps 8, 5-8. 11) Ps 143, 3-4. 12) Cf. Apc 12, 1. 13) Rom 8, 29-30. Vulg. loc.: *Magnificavit*, habet: *Glorificavit*. 14) Cf. Ex 25, 1 sqq.

naturae et gratiae.

simul vocata fuit ad esse naturae et gratiae, ad esse et bene esse: anima simul ipsius simul creata et sanctificata, Deo unita, unus spiritus cum Deo facta: nam vocatio tractus quidam est animi et cordis humani ad Deum: *Nemo venit ad me nisi Pater, qui misit me, traxerit eum;* [15] sic etiam per Oseam ait: *In funiculis Adam traham eos, et in vinculis caritatis.* [16] Animus autem Virginis in primo instanti conceptionis eius tractus fuit ad Deum, adhaesit Deo indissolubili nodo caritatis, quae dicitur *vinculum perfectionis,* [17] idest, vinculum perfectum, indissolubile: *Quis nos separabit a caritate Christi?* [18] *Qui... adhaeret* Deo *unus spiritus est* cum Deo. [19] Sicut Eva, statim ut formata extitit, adducta fuit ad Adam, eique arctissimo vinculo amori coniuncta; [20] sic anima Virginis, statim ut creata fuit, a Spiritu Sancto adducta fuit ad Deum.

Virgo iustificata

Sic etiam mirabilis fuit iustificatio Virginis: *Ave, gratia plena... benedicta tu inter mulieres... Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi:* [21] sic meritis et virtutibus super omnes Sanctos exaltata.

et glorificata supra omnes.

Tandem mirabilis glorificatio, nam: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato.* [22] O mirabilis gloria Virginis apud Christum, apud Deum! Salomon in *Cantico* ait: *Sexaginta sunt reginae, octoginta concubinae et adolescentularum non est numerus: una est columba mea,* una est *perfecta mea, una est matri suae, electa genitrici suae. Viderunt eam filiae et beatam dixerunt, reginae et concubinae... laudaverunt eam,* dicentes: *Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol?* [23] Una est et singularissima Deo, una et sanctae matri Ecclesiae, quae eam super omnes animas sanctas honorat, veneratur, colit, adorat ut Deo morem gerat, videns eam Deo tantopere dilectam et caram: *Diligit Dominus portas Sion super omnia.* Sicut respublica Veneta diligit quidem omnes civitates dominii sui, sed super omnes civitatem Venetiarum, reginam et metropolim omnium aliarum civitatum, quia in ea sedes principis, sacrum collegium, senatus rogatorum, magnum concilium: in ea armamentarium, thesaurus, aerarium reipublicae viresque omnes; sic Deus Mariam diligit super omnes animas sanctas, sicut Papa omnes ecclesias diligit, sed maxime omnium Romanam, matrem et reginam omnium ecclesiarum.

Simile: civitas Venetiarum.

15) Io 6, 44. Vulg. loc.: *Venit,* habet: *Potest venire.* 16) Os 11, 4. 17) Col 3, 14. 18) Rom 8, 35. 19) 1 Cor 6, 17. 20) Cf. Gn 2. 22 sqq. 21) Lc 1, 28. 35. 22) Ps 44, 10. 23) Cf. 6, 7-9. Vulg. loc.: *Beatam dixerunt,* habet: *Beatissimam praedicaverunt.* Verba: *Matri suae... genitrici suae* ex hebr.

IV. *Diligit Dominus.* Apud homines in mundo magni fit dilectio, benevolentia, favor et gratia magnorum principum, Romae favor et gratia, Papae, ubi qui Papae est unice carus et dilectus, beatus praedicatur, quoniam Papa pro summa auctoritate et potestate sua multa magnaque praestare potest beneficia, multas magnasque dignitates. Virgo autem Beatissima dilecta dicitur, sed Deo omnipotenti, regi coeli et terrae, creatori omnium, auctori naturae, fonti gratiae, thesauro infinito gloriae.

Ex dilectione Dei oritur potentia Mariae. Maria carior, ideo apud Deum potentior.

Diligit Dominus. Diligere Dei idem est ac favere, non enim otiosus, vanus, inutilis est Dei amor. Dicitur dilexisse Patriarchas, quoniam eos summis bonis cumulavit, dilexisse Iacob quoniam ei dedit primogenituram et benedictionem summe desiderabilem; dicitur dilexisse Ioseph, quoniam principem Aegypti constituit et salvatorem mundi; dilexisse Salomonem, quoniam ei dedit regnum Israelis, thesaurum coelestis sapientiae, summam felicitatem et pacem maximasque divitias; dicitur dilexisse super omnes alias nationes hebraeam gentem, quoniam liberavit eam a servitute Aegypti multis maximisque miraculis, in deserto coelesti manna pavit, legem de coelo dedit, sacerdotium, sacrificia templumque et Prophetas in salutem illius, Terram Promissionis optimam in habitationem dedit, multisque dignitatibus, honoribus, victoriis, potentia divinisque favoribus ad miraculum illustravit ac nobilitavit. Dilexit Dominus Abrahamum super omnes Patriarchas, quoniam primum Patriarcharum elegit; dilexit Moysem super omnes Prophetas, quia principem et legislatorem, fundatorem reipublicae Hebraeorum instituit; dilexit Aaronem super omnes sacerdotes, quoniam primum summum sacerdotem, pontificem et hierarcham totius synagogae creavit; dilexit David super omnes reges, quoniam summum regem totius Israelis ex humili pastore effecit; dilexit Petrum super omnes Apostolos, quoniam eum summum principem Apostolorum, coryphaeum totius Ecclesiae, pontificem optimum maximum esse voluit. Veluti si dicamus, quod in mundi creatione dilexit solem super omnes stellas, quoniam maximam lucis copiam ei dedit; dilexit hominem super omnes alias creaturas, quoniam mundi totius principem ac monarcham super omnia opera sua constituit. Sic super omnia dilexit Deus Mariam.

Amari a Deo idem est ac favoribus cumulari.

V. *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob,* idest, super omnes Electos, nam per tabernacula Iacob Electi intelliguntur: *Iacob dilexi.* [24] O mirabile dictu! Diligit quidem Deus omnes

Maria electior inter Electos, ideo apud Deum potentior.

24) Rom 9, 13.

Gradus amoris Dei.

creaturas coeli et terrae, sed hominem super omnia, nam propter hominem omnia creavit; alioquin ad quid coelum et terra? ad quid mundus? Diligit omnes homines, sed, si inter omnes homines unus tantum reperiretur electus, illum maxime super omnes homines diligeret. Manifestum est in diluvio. Unum Noe reperit iustum, eum dilexit, eum in arca salvavit cum sua familia; omnes alios homines diluvio perdidit.[24a] Sic etiam Moysi dixit iratus in populum perdere se velle universum populum, et ipsum tamen Moysem servare;[25] ostendens quod plus unum ipsum Moysem diligebat ob insignem virtutem et sanctitatem, quam universum populum. Quantus igitur Deo amor est erga unum electum! Sed Mariam diligit super omnes Electos: *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.* Plus amoris et gratiae Dei in una Maria, quam in omnibus Electis; plus ipsa sola apud Deum omnipotentem potest, quam omnes simul Electi.

Maria filia dilecta, ut Christus.

VI. Quare sicut de Christo in transfiguratione ait: *Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, ipsum audite,*[25a] ita et de Virgine: Haec est Filia, imo Sponsa mea dilecta, in qua mihi bene complacui. Maria enim similis per omnem modum Christo est, sicut luna soli, sicut Eva Adamo: similis in praedestinatione, in vocatione, in iustificatione, in glorificatione. Sedet Christus ad dexteram Dei super omnes Angelos rex et summus imperator; sedet Maria ad dexteram Christi summa coeli et Angelorum regina et imperatrix. De Christo ait Paulus quod est compendium omnium bonorum Dei: *Anachephaleosasthe ta panta en to Christo, ta en tis uranis che ta epi ghis* panta *en auto.*[26] Nam quidquid pulchri et boni reperit Deus in hominibus et Angelis, omnia collegit in Christo, sicut fecit in creatione hominis, qui propterea microcosmos dictus est, parvus mundus. Ita etiam cum Virgine egisse ostendit in *Apocalypsi* Ioannes, ubi ostenditur Virgo omnibus coeli luminibus ornata, toto corpore amicta sole, sub pedibus luna pulcra plenaque, in capite corona stellarum.[27] Hoc autem quid designat nisi quod quidquid virtutis, sanctitatis, bonitatis reperit Deus in Ecclesia et in paradiso, in hominibus et in Angelis accepit ad Virginem dignitate Unigeniti Filii exornandam, ut ipsa paradisus esset deliciarum Dei.[28]

Christus rex, Maria regina;

Christus compendium bonorum Dei,

ita Maria

24*a*) Cf. Gn 7, 1 sqq. 25) Cf. Ex 32, 7-14. 25*a*) Mt 17, 5. 26) Eph 1, 10 ex graec. Et iure compendium, nam *anachephaleosasthe* significat *in unum, ad summam redigere.* Cf. Sales, *Comment. in Ephes.* 1, 10. Vulg. habet: *Instaurare.* Ms. adhibet *t* in *anachephaleosasthe* et *th* in *panta* et *auto.* 27) Cf. 12, 1. 28) Cf. Gn 2, 8.

VII. Habuit Salomon mille uxores: septingentas reginas et trecentas concubinas;[29] sed omnium maxime dilecta fuit filia Pharaonis, potentissimi regis Aegypti propter summam tum nobilitatem tum pulcritudinem.[30] Omnes animae sanctae sponsae Dei sunt, sed omnium dilectissima est Beatissima Virgo. Adam super omnia bona quae a Deo accepit Evam dilexit; sic Deus super omnes creaturas Virginem.

Maria Sponsa dilectissima Dei, ideo omnium bonorum Dei possestrix.

Est autem natura amoris, ut quod maxime diligitur maxime pendatur et aestimetur, ut nihil ei optatum gratumque negetur, ut magna dona pretiosaque munera donentur, multa beneficia conferantur. Signa et indicia magni amoris sunt collatio magnorum beneficiorum, dulcis, familiaris, perpetua conversatio, revelatio secretorum animi, fides in amicum ac depositio rerum carissimarum. Diligit vir quam maxime uxorem, quam pro viribus beneficiis afficit, muneribus exornat, a qua divelli vix potest, cui omnia cordis sui arcana patefacit, cui committit claves scriniorum, pecuniarum et quarumcumque rerum pretiosissimarum, cui denique in omnibus satisfacit et oblectat; divinare vellet ut sciret semper quod gratum ei facere posset. Sed quis unquam pro dignitate verbis assequi posset signa haec et indicia amoris erga Virginem? *Diligit Dominus portas Sion super omnia.*

Natura amoris, nihil amanti negare.

VIII. Sunt decem sphaerae divini amoris in creaturas. Diligit enim Dominus terram, quia Dei possessio est: *Domini est terra et plenitudo eius;*[31] diligit coelum, quoniam veluti domus ipsius est, regale palatium: *Coelum coeli Domino;*[32] diligit omnes creaturas inanimatas, lapides, marmora, gemmas, metalla, aurum, argentum, quoniam inquit: *Meum est argentum... meum est aurum;*[33] diligit plantas omnes, quia opera sunt manuum eius, ipse dixit: *Germinet terra,*[34] ipse plantavit paradisum; diligit omnia animalia, quoniam ipsa quoque opera ipsius sunt, ipse pascit et conservat omnia; diligit homines, quia ad imaginem Dei sunt; diligit Ecclesiam fidelesque omnes, quoniam Ecclesia sponsa Dei est, fideles autem filii Dei; diligit omnes Angelos ministrantes, diligit omnes Angelos assistentes, coelestis curiae principes.

Maria sphaera suprema amoris Dei, ideo ipsius cordis Dei possestrix.

Sed super omnes has sphaeras divini amoris, decima, suprema sphaera est amoris Dei in Virginem: *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.* Est Virgo super omnes Sanctas, sicut Christus super omnes Sanctos: *Ecce plus quam Ionas hic... ecce plus*

Suprema sphaera divini amoris Maria.

29) Cf. 3 Rg 11, 3. 30) Cf. 3 Rg 3, 1; 11, 1. 31) Ps 23, 1.
32) Ps 113, 16. 33) Agg 2, 9. 34) Gn 1, 11.

quam Salomon hic;[35] sic utique super omnes Sanctos qui in Sacris Litteris laudantur; ita plane et Virgo Beatissima. Laudatur Eva, quia Dei manu innocens sanctaque formata:[36] ecce plus quam Eva; laudatur Sarah, quia sancta,[37] Rebecca quia pia,[38] Rachel quia pulcra,[39] Lia quia fecunda:[40] ecce plus haec; laudatur Maria soror Moysi ut religiosa et spiritu prophetiae plena:[41] ecce plus haec; sic enim ipsa benedicta, laudata super omnes mulieres, quia gratia plena, omni gratia, omni virtute, omni sanctitate.[42] Hinc super omnes dilecta, quoniam super omnes bona, sancta, virtute praedita; Deus enim summus est bonitatis, virtutis, sanctitatis amator, haec nanque est quae animam Deo similem dignamque reddit divino amore. Virginem summae sanctam, puram, omni virtute ornatam Deus summo est prosecutus amore; et quoniam Deus thesaurum suum in Virgine posuit, in ea etiam posuit et cor suum; nam ait: *Ubi... est thesaurus..., ibi est et cor...*[43] Legimus de templo Salomonis dictum a Deo: *Ut permaneat cor meum ibi cunctis diebus.*[44] Virgo Beatissima est verum templum Dei; ideo in ea Dei cor perpetuo reperitur. Virgo Beatissima cor Dei secum habet; cor autem suum in Deo, quoniam in Deo omnem thesaurum suum reposuit; nam Virgo prudentissima non thesaurizavit sibi thesauros vanitatum in terra, sed thesauros virtutum in coelo.[45] Sic ipsa totum cor et animum animamque suam Deo dedit.

In Virgine cor Dei, et in Deo cor Virginis.

Ex reciproco amore Dei et Mariae oritur misericordia eius erga nos.

IX. *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.* Ait autem: *Ego me diligentes me diligo, et qui mane vigilaverint ad me invenient me. In viis iustitiae ambulo..., ut ditem diligentes me.*[46] *Qui operantur in me non peccabunt: qui elucidant me vitam aeternam habebunt.*[47] Diligebatur Virgo a Deo super omnes creaturas; ipsa etiam reciproco amore Deum super omnia diligebat ac redamabat. Ipsa nanque plenissime observavit praeceptum dilectionis divinae: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex omnibus viribus tuis,*[48] quod est mandatum primum et maximum in lege.[49] Hinc nanque dicta est ab Angelo *plena gratia,*

35) Lc 11, 32. 31. 36) Cf. Gn 1. 27; Eccle 7, 30. 37) Cf. 1 Petr 3, 6. 38) Cf. Gn 24, 15-21. 39) Cf. ibid. 29. 17. 40) Cf. ibid. 29. 31-35. 41) Cf. Ex 15, 20. 42) Cf. Lc 1, 28. 43) Mt 6. 21. 44) 2 Par 7, 16. Vulg. habet: *Ut..... et permaneant oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus.* 45) Cf. Mt 6, 19-20. 46) Prv 8, 17. 20-21. Vulg. habet: *Et qui mane vigilant*, etc. 47) Eccli 24, 30-31. 48) Lc 10, 27. 49) Cf. Mt 22, 38.

idest, caritate in Deum, nam: *Dominus tecum;* maior fuit caritas et amor Mariae in Deum, in Christum caritate et amore omnium sanctarum animarum, omnium etiam Angelorum erga Deum.

Est autem unus caritatis habitus quo Deum diligimus et proximum: una arbor cum duobus ramis eandem virtutem a radice trahentibus, unus fons per duos fistulos emittens aquam. Sicut ergo Beatissima Virgo maxima caritate Deum diligit, ita et nos creaturas Dei, filios Dei, fratres Christi, imo membra Christi, unici et dilectissimi Filii sui. Quia Virgo maxime a Deo dilecta est, nihil apud Deum non potest; quia vero Deum et nos creaturas Dei maxime diligit, nihil non desiderat quod sit ad gloriam Dei et salutem nostram.

Maria omnia potest, et omnia nobis desiderat.

X. Oritur in viris amor erga mulieres a naturali similitudine, sic enim Adam dilexit Evam; oritur a sanguinis coniunctione, sic pater diligit filiam; oritur a dilectione, frater enim diligit sororem a qua plurimum diligi se novit; oritur a beneficiis acceptis, sic filius diligit matrem; sed maxime oritur a pulcritudine et gratia, haec enim rapiunt cor. Quod si virtus adsit aequalis pulcritudini et gratiae, tunc vere incomparabili amore digna est mulier; virtus enim mulieris maximum ac plane divinum ornamentum est. Deus autem has omnes causas amoris in Virgine Beatissima reperit; propterea dilexit eam super omnes mulieres, super omnes animas sanctas.

Synthetica conclusio. Omnes causae amoris in Virgine, ideo arx Trinitatis facta.

Diligit Dominus portas Sion. Erat Sion arx fortissima, castrum munitissimum civitatis Ierusalem, plane inexpugnabile aedificatum a David [50] natura situs et arte munitissimum ad sustinendas quascumque impugnationes hostium. Capi potest castrum ab hostibus vel irruptione et vi potentissimi exercitus, vel astutia militari, stratagemate aliquo deceptis defensoribus, vel tandem obsidione, ut, fame cogente, ex penuria et caritate annonae se dedat. Quoniam vero est nobis colluctatio adversus principes tenebrarum, [51] multae animae deveniunt in manus daemonum hisce viis, potentia, astutia et diuturnitate satanicarum tentationum superatae, in peccatum ruentes vel ex impotentia, vel ex ignorantia, vel ex malitia cordis humani. Ne autem Virgo Beatissima, quae modis omnibus tentanda erat a satana, sicut et Christus, [52] quemadmodum Eva tentata fuit in paradiso, [53] ne, inquam, sic deveniret in manus satanae, superata atque

Sion arx natura et arte inexpugnabilis.

Homines in peccata ruunt impotentia, ignorantia, malitia;

Maria ab iis omnibus libera, quia arx Trinitatis facta, gratia

50) Cf. 2 Rg 5, 9. 51) Cf. Eph 6, 12. 52) Cf. Mt 4, 1 sqq. 53) Cf. Gn 3, 1 sqq.

decepta sicut Eva, facta fuit habitaculum totius divinae Trinitatis, munita potentia Patris, sapientia Filii, bonitate Spiritus Sancti, ne vel per impotentiam[54] victa, vel per ignorantiam decepta, vel malitia cuiusvis vitii depravata peccaret, et in satanae manus deveniret. Dedit ei Deus contra satanam maiorem copiam gratiae, virtutis omnis, sapientiae, caritatis et sanctitatis, quam dederit aliis omnibus quibusvis Sanctis, etiam Angelis; ideo *diligit Dominus portas Sion*, etc.

et natura munitissima.

Arx natura inexpugnabilis, quia voluntas hominis libera cogi non potest ab aliqua virtute vel creata hominum aut Angelorum, vel etiam increata ipsius Dei; mutari potest, nam solus Deus est immutabilis, sed cogi non potest; decipi etiam potest, impugnari potest, sed vi capi non potest, nisi ipsa se dedat. Talis fuit animus Virginis Beatissimae: castrum natura munitissimum, deinde vero arte per supernaturalem gratiam et dona Spiritus Sancti divinasque virtutes, quas accepit in maxima copia super omnes creaturas.

54) Ms.: *Impotentia*.

SERMO TERTIUS

DE MAGNITUDINE MYSTICAE CIVITATIS DEI MARIAE

Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. Memor ero Rahab et Babylonis scientium me; ecce alienigenae et Tyrus... hi fuerunt illic. [1]

Ierusalem laudata ut civitas perfecti decoris et gaudium universae terrae.

I. Prosequitur adhuc Regius Vates divinas laudes Divinissimae Virginis sub metaphora civitatis Ierusalem, quae quidem in Sacris Litteris laudatissima est. De qua alibi sic Regius Vates: *Magnus Dominus et laudabilis nimis in civitate Dei nostri in monte sancto eius. Fundatur exultatione universae terrae mons Sion, latera aquilonis, civitas regis magni,* ubi hebr.: *Pulcra regio, gaudium universae terrae mons Sion.* [2] *Deus in domibus eius, in palatiis eius, cognoscetur, cum suscipiet eam* hebr. *in arcem, in praesidium.* [3] Deinde subiungit: *Circumdate Sion et complectimini eam, narrate in turribus eius; ponite corda vestra in virtute eius, ad propugnaculum eius, et distribuite domos eius,* vel *celebrate palatia eius, ut enarretis in progenie altera.* [4] Ubi civitatem Ierusalem a multis laudat atque celebrat: a principe et habitatore, a situ, a pulcritudine, ab arcibus, a palatiis, a copia bonorum omnium desiderabilium; nam propterea dicitur *gaudium universae terrae,* sicut apud Ieremiam etiam in *Lamentationibus* legimus: *Haeccine est ista urbs..., perfecti decoris, gaudium universae terrae?* [5]

1) Ps 86, 3-4. 2) Ps 47, 2-3. 3) Ibid. vr. 4. *In palatiis* ex hebr.
4) Ibid. vr. 13-14. *Ad propugnaculum* et *celebrate palatia eius* ex hebr. 5) 2, 15.

Virgo Maria mystica Ierusalem multiplici ratione celebrata.

Sed altiori intelligentia in civitate Ierusalem Virgo Divinissima laudatur et celebratur: *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.* Dicitur *Dei civitas* a conditione, a dominio, ab habitatione et a magnificentia mirabili et ineffabili, quia fundata et aedificata a Deo est, ab ipso semper possessa, semper inhabitata, mille modis glorificata et illustrata. Et quidem fundator huius civitatis Deus est: *Ipse fundavit eam Altissimus;* [6] cuius conditor et artifex Deus ipse est Dominus: *Civitas regis magni;* ipse habitator: *Fluminis impetus laetificat civitatem Dei: sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. Deus in medio eius, non commovebitur.* [7] Ideo *civitas Dei,* quia *Deus in medio eius,* ipse eius singularis fautor: *Adiuvabit eam Deus mane diluculo.* [8] Tandem dicitur *civitas Dei* more Divinae Scripturae, quo divina dicuntur quae supra modum mirabilia sunt sic: Mons Dei, [9] spiritus Dei, [10] ignis Dei, [11] paradisus Dei. [12]

Magnus Dominus in omnibus operibus suis, maior in hac mystica civitate Dei Maria.

II. Nec sine causa, ut existimo, ait Regius Vates: *Magnus Dominus et laudabilis... in civitate Dei nostri.* Non dicit magnum esse Deum, suamque magnitudinem demonstrasse in creatione mundi, non magnum in natura universali, non magnum in Ecclesia, non magnum in paradiso gloriae; sed: *Magnus Dominus,* Deus omnipotens, nec tantum *magnus,* sed etiam *laudabilis nimis,* sed *in civitate Dei nostri, in monte sancto eius.* Magnus fuit Deus in creatione maioris mundi; sed itidem magnus in creatione mundi minoris, hominis, quem principem et dominum mundi universi constituit; [12a] multo maior in Ecclesia, multo maior in paradiso, ubi multo perfectiora sunt opera; sed, ut quid sentio dicam, maior visus est mihi Deus in Virgine quam in mundo, in Ecclesia, in paradiso. Maior perfectio Virginis, nobilitas, dignitas quam mundi totius; maior gratia quam omnium Sanctorum et Sanctarum simul in universa Ecclesia, maior ipsius gloria quam omnium Angelorum et beatorum hominum in paradiso. Ideo: *Magnus Dominus et laudabilis nimis.* Magnus nimis, laudabilis nimis in omnibus operibus suis, tum in natura universali, tum in Ecclesia, tum in paradiso, creando, iustificando, glorificando; magnus est et laudabilis Dominus, quoniam *Dei perfecta sunt opera,* [13] quoniam *vidit... Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona;* [14] sed

6) Ps 86, 5. 7) Ps 45, 5-6. 8) Ibid. vr. 6. 9) Cf. Ps 67, 16. 10) Cf. Ex 35, 31 et alibi. 11) Job 1, 16 (secundum aliquos). 12) Cf. Ez 31, 8 (secundum aliquos) et alibi. 12a) Cf. Gn 2, 8. 13) Dt 32, 4. 14) Gn 1, 31.

in hoc opere *magnus Dominus et laudabilis nimis in civitate Dei nostri, in monte sancto eius,* quoniam *pulcra regio, gaudium universae terrae.* Hoc igitur est quod ait: *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei,* sicut ipsamet Virgo Beatissima in suo Cantico dixit: *Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen eius, et misericordia eius a progenie in progenies timentibus eum.* [15]

III. Magnitudinem suam Virgo supra tres bases et columnas constituit: super columnam divinae potentiae: *Fecit mihi magna qui potens est;* super columnam divinae sanctitatis: *Et sanctum nomen eius;* et super columnam divinae misericordiae et caritatis erga Electos: *Et misericordia eius a progenie in progenies timentibus eum;* sicut Isaias ait quod Deus tribus digitis appendit orbem terrae, [16] idest, magnitudo mundi totius tribus Dei digitis sustentatur, divina utique potentia, sapientia et bonitate. Sed singulariter tria haec considerantur in Virgine, et de tribus his locutus fuit Angelus Gabriel ad eam, postquam eam salutavit gratia plenam et super omnes mulieres benedictam; [17] locutus inquam, de divina erga Virginem caritate: *Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum,* ideo *concipies in utero et paries Filium* Dei; [18] de divina sanctitate: *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi... quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei;* [19] et de divina potentia: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* [20] Sic civitas Ierusalem supra tres montes fundata erat: supra montem Sion, supra montem Moriah et supra montem Acra, [21] vel supra unum montem tricipitem.

Tres bases magnitudinis Virginis: divina potentia, sapientia, bonitas.

Tria haec in colloquio Gabrielis.

IV. *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei;* hebr. est: *Nicbadoth medubar bach hir Haelohim. Selah,* hoc est: *Gloriosa dictum est de te, civitas Dei.* Quisnam hic barbarismus, aut soloecismus, error grammatices? Nesciebat loqui sua lingua Regius Vates? Imo Spiritus Sanctus, qui per eum loquebatur, ignorabat regulas grammaticalium concordantiarum? *Nicbadoth medubar, gloriosa dictum est.* Sed mysterium est.

Magnitudo Mariae erigitur super basim divinae sapientiae.

Regina Saba multa audierat de sapientia Salomonis, et incredibilia videbantur ei, donec ipsa Ierosolymam ab Austro venit, et invenit quod vicit veritas famam. Hinc admiratione et stupore plena ait ad Salomonem: *Verus est sermo, quem audivi in terra mea super*

Salomonis magnitudo admiranda, magis magnitudo Mariae.

15) Lc 1, 48-50. 16) Cf. Is 40, 12. 17) Cf. Lc 1, 28-29. 18) Ibid. 1, 30-31.
19) Ibid. 1, 35. 20) Ibid. 1, 37. 21) Cf. Ioseph Hebr. *De Bello Iud.* lib. 6, cp. 8.

sermonibus tuis et super sapientia tua, et non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni, et vidi oculis meis, et probavi quod media pars mihi nunciata non fuerit. Maior est sapientia et opera tua quam rumor quem audivi. [22] Hoc indicare voluit Spiritus Sanctus, dum ait: *Gloriosa dictum est de te;* quod licet multa dicantur in Sacris Litteris de divina magnitudine, sanctitate gloriaque coelesti Divinissimae Virginis, veritas tamen rei multo maior est, vix medietas dicitur, sicut etiam de laudibus Christi, de laudibus paradisi. Sicut enim totum coelum videri a nobis non potest, sed vix medietas eius conspicua nobis est, hemisphaerium sub polo Artico cum sex tantum aquilonaribus signis obliqui circuli, qui zodiacus dicitur; alia sex signa, aliam coeli medietatem, aliud hemisphaerium videre non possumus; ita plane de magnitudine Virginis sentiendum. Vix Angeli ipsi totam Mariae magnitudinem comprehendunt; neque enim sacerdotes, quibus tantum licebat templum Domini ingredi, totum Dei templum videre poterant, non enim licebat visere sanctum sanctorum, [23] qui locus templi sacratissimus erat; ita nec Angeli totam capiunt Virginis magnitudinem.

Simile: hemisphaerii tantum medietas videtur; ita de Virgine sentiendum.

Admiratio Psalmistae.

Gloriosa dictum est de te civitas Dei. Selah. Vox est hebraica ab *elevatione* dicta, quasi tunc in contemplatione mirum in modum elevaretur mens Prophetae magna cum admiratione divini mysterii. Aiunt etiam nonnulli quod idem designat *quod in aeternum*, sic Divus Hieronymus, [24] Aquila, [25] Chaldaeus Paraphrastes [26] et Talmudistae; [27] alii quod nota sit affirmationis et asseverationis: [28] ita est, ita res est, ita veritas est. *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei,* profecto ita est, magna cum elevatione mentis et admiratione, ita est. O rem magnam, o magnum, o divinum mysterium, vere mirabile!

Magnitudo Mariae erigitur super basim divinae potentiae.

V. *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei: hir Haelohim,* idest, civitas plane divina. Nomen *Haelohim* hoc in loco adaequat duo magna Dei nomina, *Iehovah,* quod est nomen tetragrammaton, et *Adonai* simul iuncta, sicut in Sacris Litteris *Adonai Iehovih.* [28a] Dicitur autem *Elohim* hebr. ab *el* quod est *potestas: Iese leel iadi, est in potestate manus meae.* [29] Sic Deus dicitur *Potestates* plurali numero, quia in

22) 3 Rg 10, 6-7. 23) Uni enim tantum summo sacerdoti semel in anno licebat. Cf. Lv 16, 34: Hebr 9, 7. 24) Cf. *Epist. 28* (alias 138) *ad Marcellam.* (P. L. 22, 135 sqq.). 25) *In Psalm.* in quinta et sexta edit. 26) *In Psalm.* 27) Cf. *Lexic.* Vigouroux et Buxtorf sub hoc verbo. 28) Cf. Calmet, *Praefat. in Psalm.* 28*a*) Cf. Gn 15, 2. 8; Is 22, 12. 14 et alibi. 29) Gn 31, 29.

creaturis quidem potestas operandi divisa est: potest luna quod non potest stella, potest sol quod non potest luna; potest coelum quod non potest terra, potest terra quod non potest aqua, et aqua quae non potest terra; potest planta quod non potest lapis, animal quod non potest arbor, homo quod non potest animal, Angelus quod non potest homo; sed Deus omnia potest, sicut sol quod possunt omnia simul sidera et multo amplius, sicut rex in suo regno iudicare omnia quae iudices et ministri ab ipso constituti, sicut Papa in Ecclesia omnia potest quae simul omnes Episcopi et Sacerdotes et multo amplius. Ita Deus potest omnia, ideo dicitur *Elohim, Potestates.*

In creaturis potestas operandi divisa.

Deus omnia potest.

Ait ergo: *Civitas Dei*, idest, in qua supra modum resplendet divina potentia; veluti si rex civitatem fabricaret totam ex auro et lapidibus pretiosis, sicut Cyrus Persarum rex aedificavit palatium, quod inter miracula orbis numeratur,[30] profecto in illa civitate supra modum splenderet regis potentia et gloria. Deo autem nihil est impossibile. Civitatem coeli maximam quis non videt totam ex argento et auro constare? Nec nisi virtute coelestis influxus aurum et argentum in terra generantur.[31] I o a n n e s autem in suis revelationibus vidit in coelo civitatem Ierusalem totam a fundamentis ex auro et gemmis pretiosissimis a Deo fabricatam, nec erat civitatula, sed civitas maxima in quadro posita aequalis longitudinis et latitudinis.[32] Sed quanta erat longitudo aut latitudo civitatis? *Mensus est*, inquit, *civitatem... per stadia duodecim millia*,[33] idest, longitudo civitatis erat mille quingentorum milliarum, et tanta etiam erat latitudo. Quis unquam audivit civitatem tantae magnitudinis? Murus vero centum quadraginta quatuor cubitis altus erat, habebat duodecim portas ex gemmis pretiosis custoditas ab Angelis; per medium civitatis excurrebat perpetuum flumen procedens ex throno Dei, clarum instar crystalli; ex utraque autem parte fluminis lignum vitae, arbor paradisi novis semper et maturis fructibus onusta; civitas in qua dies perpetuus est, quoniam divina claritas illam perpetuo illustrat, cuius cives omnes Sancti sunt sicut Angeli; immundis enim non patet in eam aditus. Mirabilis etiam altitudo aedificiorum civitatis erat, nam inquit: *Longitudo et latitudo civitatis aequalia sunt*,[34] idest, omne civitatis aedificium tantae erat altitudinis, quantae longitudinis erat

Resplendet divina potentia in civitate hac tota ex auro et pretiosis.

Ioannes admirabilem coelestem civitatem describit.

30) Cf. Ampel. *Libr. Memorial.* 8. Edit. 1638, Lugd. Bat. 31) Ut patet. Auctor loquitur secundum notiones scientif. sui temporis. 32) De his et sqq. cf. Apc cp. 21 et 22. 1-5. 33) Ibid. 21, 16. 34) Ibid. loc. cit. Vulg. habet: *Longitudo et altitudo*, etc.

civitatis murus. O mirabilem aedificiorum altitudinem! Sunt aedificia civitatis huius instar altissimarum turrium, sicut erat templum Domini sexaginta cubitorum longitudinis, viginti latitudinis et centum et viginti cubitorum altitudinis[35] instar turris. Incredibilia videntur quae de magnitudine et gloria civitatis huius dicuntur; sed tamen omnia quae dicuntur de ea vix medietatem attingunt gloriae ipsius, quoniam fundator et habitator ipsius Deus est, quem *coelum et coeli coelorum capere... non possunt.*[36] *Gloriosa dictum est de te, civitas Dei.*

Tria oracula de Virgine in Vet. Test.

Parca admodum visa est Divina Scriptura in Virgine collaudanda. Pauca legimus de ea in Veteri Testamento, tria fere tantum oracula: unum in *Genesi: Inimicitias ponam inter te et mulierem, et* inter *semen tuum et semen illius; ipsa conteret caput tuum;*[37] alterum apud Isaiam: *Ecce Virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel,* sive ut hebr. *vocabit ipsa nomen eius Emmanuel;*[38] postremum apud Ieremiam: *Novum creavit Dominus super terram, femina circumdabit virum.*[39]

Duodecim mysteria de Virgine in Novo Test.

In Novo item Testamento pauca: matrimonium ipsius cum Ioseph, conceptionem et partum Unigeniti Filii Dei, educationem ipsius, praesentationem in templo, fugam in Aegyptum et reditum in terram Israel, et alia pauca, ita ut nonnisi duodecim mysteria in universa evangelica historia de ea legamus. Primum desponsationis ipsius:[40] secundum annunciationis;[41] tertium divinae gravidationis: *Inventa est in utero habens de Spiritu Sancto;*[42] quartum visitationis:[43] quintum divini partus;[44] sextum quod cum Christo inventa fuit a Magis;[45] septimum praesentationis et purificationis in templo;[46] octavum fugae in Aegyptum et reditus in terram Israel cum Christo;[47] nonum inventionis amissi Christi in templo;[48] decimum interventus in nuptiis in Cana Galilaeae, ubi mediatrix fuit miraculi, quod primum Christus edidit;[49] undecimum tempore passionis quod stabat iuxta crucem Christi;[50] et tandem duodecimum post Christi in coelum ascensionem cum Apostolis perseverabat in oratione, quoadusque Spiritum Sanctum acciperent a Christo promissum.[51] Alia de ea non legimus, non parentes, non natalem, non infantiam, non tempus vitae, non mortem.

35) Cf. 2 Par 3, 3-4. 36) Ibid. 2, 6. Vulg.: *Capere nequeunt.* 37) 3, 15. 38) 7, 14.
39) 31, 22. 40) Cf. Mt 1, 18; Lc 1, 27. 41) Cf. Lc 1, 26 sqq. 42) Mt 1, 18.
43) Cf. Lc 1, 39 sqq. 44) Cf. Mt 1, 25; Lc 2, 7. 45) Cf. Mt 2, 11.
46) Cf. Lc 2, 22-38. 47) Cf. Mt 2, 13-23. Ms.: *Fuga.* 48) Cf. Lc 2, 41-50.
49) Cf. Io 2, 1-10. 50) Cf. ibid. 19, 25. 51) Cf. Act 1, 14.

Quoad laudes ipsius vero tria legimus singularia encomia: ab Angelo Gabriele, ab Elisabeth et a muliere de turba vocem extollente. In laudem ipsius Gabriel ait: *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus;*[52] Elisabeth: *Benedicta tu* in mulieribus, *et benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi,* etc.;[53] mulier illa sancta: *Beatus venter, qui te portavit, et ubera quae suxisti.*[54]

Tria encomia de Virgine in Evangelio respondent tribus encomiis Sion et mulieris Apocalypsis.

In civitate Ierusalem tria singulariter laudantur: pulcritudo et magnitudo civitatis, arx Sion et templum Domini. Ioannes in *Apocalypsi* tria specialia vidit in Virgine Deipara: ornatum caput stellis, corpus sole, pedes luna.[55] Tria praecipue laudantur in Virgine: fides viva, virginitas illibata mentis et corporis, et profunda humilitas; praedestinata fuit ad tria: ad gratiam, ad gloriam, et ad dignitatem maternitatis.

Duodecim autem mysteria supra posita sunt veluti duodecim fundamenta magnitudinis civitatis huius; et duodecim portae per quas animae piae et spiritus devoti et puri ingrediuntur ad videndam gloriam civitatis huius, quae dicitur *pulcra regio et gaudium universae terrae.*[56] Oritur gaudium ex praesentia et fruitione alicuius boni,[57] dignitatis, honoris, laudis, beneficii, utilitatis, aut magnae alicuius voluptatis. Terrena autem Ierusalem non potuit mundum universum hisce bonis replere nisi per Christum: *Quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Ierusalem.*[58] Sed Maria mundo ipsum peperit Christum, mundi totius Salvatorem, desideratum cunctis gentibus.[59]

Duodecim mysteria Virginis respondent duodecim fundamentis civitatis.

VI. *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.* Gloria dicitur a claritate, claritas autem lumen est quo clare videntur quae oculis patent. Lux autem bonitatis symbolum est: *Vidit... lucem quod esset bona:*[60] symbolum est nobilitatis, prosperitatis omnisque desiderabilis felicitatis; copia etiam divitiarum gloria appellatur, sicut patet in Abraham, Iacob, Salomone. Virgo autem Beatissima glorificata a Deo est in mundo, in Ecclesia, in Scripturis, in paradiso apud Deum et Christum Filium eius.

Magnitudo Virginis erigitur super basim divinae bonitatis.

52) Lc 1, 28. 53) Ibid. 1, 42-43. 54) Ibid. 11, 27. 55) Cf. 12, 1. 56) Ps 47, 3 ex hebr. 57) Ms.: *Bonis.* 58) Is 2, 3. 59) Cf. Agg 2, 8; Gn 49, 10. 60) Ibid. 1, 4.

Deus iustorum meritis, praecipue Christi et Virginis, mundum servat.

VII. *Memor ero Rahab et Babylonis scientium me. Ecce alienigenae et Tyrus... hi fuerunt illic*, etc.[61] Proponuntur merita Sanctorum apud Deum, maxime vero Christi et Mariae, qui inter Sanctos sunt sicut duo luminaria magna in coelo. *Memor ero Rahab*, idest, Aegypti, *et Babylonis, propter scientes, propter cognoscentes me*, idest, propter electos meos filios Israel, nam: *Notus in Iudaea Deus, in Israel magnum nomen eius.*[62] Populus autem Dei captivus detentus fuit tum in Aegypto tum in Babylone; saepe etiam afflictus ab alienigenis, idest, Palaestinis allophilis. Deus autem iustorum meritis mundum conservat atque sustentat.

In Rahab, Babylone etc. mundus significatur.

Per Aegyptum enim, Babylonem, Philisthaeos *pulverulentos*[63] et Tyrios *angustiatos*[64] mundus hic intelligitur, regnum tenebrarum, confusionis, pulverulentum, terrenum, angustiosum, calamitosissimum. Regnum tenebrarum, quia *non est scientia Dei in terra:*[65] *Lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt;*[66] regnum confusionis, quia *mundus totus in maligno positus est;*[67] regnum pulverulentum: *Vos de deorsum estis*[68] propter terrenos affectus; et tandem regnum angustiae et calamitatis, quia nemo est sua sorte contentus, quia animus inordinatus infernus est sibi ipsi, unde: *Non est pax impiis, dicit Dominus.*[69]

In diebus Noe impius mundus castigatus;

Cum autem nunc videat Deus mundi iniquitatem et malitiam, sicut vidit in diebus Noe: *Vidit* enim *Deus quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis intenta esset* tantum *ad malum omni tempore, poenituit eum quod hominem fecisset in terra, et tactus dolore cordis intrinsecus: Delebo, inquit, hominem, quem* formavi, *a facie terrae:*[70] sic misit diluvium aquarum et magno illo cataclysmo impium mundum perdidit; cur nunc etiam, cum *mundus totus in maligno positus* sit, cum *omne quod est in mundo* sit *concupiscentia carnis... et concupiscentia oculorum et superbia vitae:*[71] cur, inquam, non simili modo castigat, sed conservat et multis providentiae suae beneficiis afficit? Utique, inquit, *propter scientes me memor ero Rahab et Babylonis;* sicut recordatus fuit Noe et cunctorum animalium quae erant in arca[72] *propter scientes me*, iustorum meritis. Nam ait Dominus, quod Deus *oriri facit solem suum super bonos et malos, et pluit super iustos et iniustos,*[73] iustitia

61) Ps 86, 4. 62) Ps 75, 2. 63) Forsan ab hebr. *phâlase, se conspersit pulvere;* alii aliter. 64) Ab hebr. *tzór. angustia;* alii aliter. 65) Os 4, 1. 66) Io 1, 5. 67) 1 Io 5, 19. 68) Io 8, 23. 69) Is 48, 22. 70) Gn 6, 5-7. 71) 1 Io 2, 16. 72) Cf. Gn 8, 1. 73) Mt 5, 45. Vulg. habet: *Solem suum oriri* etc.

nanque basis, fundamentum et firma columna mundi est, sicut Salomon ait: *Zadik iesod holam, iustus fundamentum mundi.*[74]

Quod si iustorum meritis Deus mundum hunc servat, maxime profecto omnium meritis Christi et Sanctissimae Virginis Deiparae. Sicut enim Moyses veluti ligavit manus Dei, ne perderet populum in deserto propter idololatriae impietatem,[75] et sicut prudens Abigail quodammodo ligavit manus David, ne perderet domum et familiam Nabal Carmeli;[76] ita Virgo Sanctissima cum Deo agit, ne peccatores perdat, ne pro delictorum meritis mundum puniat, immo ne in nihilum redigat, ut peccata merentur.

nunc meritis iustorum, Christi praecipue et Mariae, servatus.

74) Prv 10, 25. 75) Cf. Ex 32, 7-14. 76) Cf. 1 Rg 25, 14-35.

SERMO QUARTUS

DE NOBILITATE MYSTICAE CIVITATIS DEI MARIAE

Nunquid Sion dicet: Homo et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus? [1]

In arce Sion omnis nobilitas Israel et Ierusalem collecta.

I. Prosequitur Regius Vates in spiritu praevisas laudes praestantissimas Virginis Divinissimae dulcissime decantare: *Ulezion icamer isc veisc iullad bah, vehu ieconeneah Helion: Sioni dicetur: Vir et vir natus est in ea, et ipse firmavit eam Altissimus.* In quo quidem Psalmo iterum Virgo Beatissima Sion appellatur, nam in primo versu dictum est: *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.* [2]

Erat autem Sion arx et propugnaculum validissimum civitatis Ierusalem: quae quidem arx singulari nomine *civitas David* appellatur, ut in *Libris Regum legimus,* [3] et in *Cantico Canticorum* dicta est turris David: *Collum tuum sicut turris David, quae aedificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium:* [4] erat enim propugnaculum civitatis metropolis et armamentarium totius regni. Ibi erat regia, [5] ibi natus fuit rex Salomon, [6] regum omnium sapientissimus et fortunatissimus, singularis figura et imago Summi Regis Christi; [7] erat etiam in Sion sanctuarium Domini, templum, [8] inquam, et summi pontificis sedes sacerque senatus prin-

1) Ps 86, 5. 2) Ibid. vr. 2. 3) Cf. 2 Rg 5. 7. 9 et alibi. 4) 4. 4. 5) Cf. 2 Rg 5, 9; 1 Par 15, 1. 6) Cf. 2 Rg 5. 14. 7) Ita communiter Patres, e quibus cf. Ambros. *De Instit. Virg.* cp. 16. (P. L. 16. 270); August. *Enar. in Ps. 126*, n. 2. (P. L. 37, 1668). 8) In monte Sion sensu stricto inveniebatur tantum tabernaculum, quod David arcae tetenderat (1 Par 15, 1); templum situm erat in monte Moria (2 Par 3, 1), qui tamen, praesertim post templum aedificatum, Sion communiter appellabatur (Ps 75, 3; 1 Mac 4, 37).

cipum sacerdotum et consistorium septuaginta seniorum; ita ut nobilitas quidem totius regni israelitici reducta esset atque collecta in civitate Ierusalem; nobilitas vero Ierusalem in Sion, quae civitas superior[9] dicebatur, sedes principum et magistratus utriusque fori.

Ita plane in Virgine. Sicut enim Deus totius maioris mundi nobilitatem collegisse visus est et posuisse in homine; ita totius Ecclesiae et militantis in terra et triumphantis in coelo nobilitatem collegit in Virgine. Quod insinuasse visus fuit Ioannes in suis revelationibus, dum eam sole, luna et stellis ornatam in coelo se vidisse scribit;[10] sic enim ex auro et lapidibus pretiosis optimisque Libani cedris aedificatum fuit templum Domini.[11] Sic Virgo Divinissima civitas superior est, quae erat thesaurus nobilitatis totius israelitici regni, et regina erat nobilissima omnium civitatum totius regni.

In Virgine omnis nobilitas totius Ecclesiae et militantis et triumphantis.

II. Quod autem singulariter canit hodie Divinus Psaltes est quod in hac civitate natus est Altissimus qui fundavit eam: *Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus.* In ea creator factus est creatura, Deus factus est homo, pater natus est ex filia et architectus natus est in domo, quam ipse a fundamentis aedificavit.

Singulariter nobilis mystica Sion, Maria, quia in ea Altissimus natus.

Praedicatur Virgo Divinissima in Sacris Litteris vera *Theotocos*, Dei Genitrix, vera Mater: *Ecce Virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel, nobiscum Deus,*[12] ait Isaias. *Quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei... Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur,*[13] ait ad eam Gabriel Angelus. *Unde hoc mihi ut Mater Domini mei veniat ad me?*[14] ait Elisabeth Spiritu Sancto plena. Non dicat impius Nestorius quod Virgo fuit *Christotocos*, Christipara, et non *Theotocos*, Deipara. Fuit enim vera Dei parens et genitrix, sicut Christus verus Deus et homo in una persona, in una hypostasi: *Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus.*

Maria vera *Theotocos.*

Hic autem philosophandum nobis est. Hebr. *Veisc iullad bah, homo nobilis natus est in ea;* in lingua enim hebraica homo ignobilis appellatur *adam* sive *ben adam*, homo autem nobilis *isc*, sive *ben isc*. In Evangelio secundum Lucam Christus homo nobilis ap-

Christus nobilis omni humana

9) Cf. Ioseph Hebr. *De Bello* I. lib. 6, cp. 8; 2 Rg 5, 9 text. graec. 10) Cf. Apc 12, 1.
11) Cf. 3 Rg cpp. 6-7. 12) 7, 14. 13) Lc 1, 35. 32. 14) Ibid. 1, 43.

pellatur in parabola decem minarum: *Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum et reverti.* [15] Sed qualis et quanta Christi nobilitas sit, excogitari non potest. Regius Vates, cupiens utcumque explicare Christi nobilitatem ait plenus admiratione et stupore usque ad extasim: *Quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quia visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subiecisti sub pedibus eius;* [16] omnia, etiam Angelos. Hinc Paulus ait: *Sedet ad dexteram Maiestatis in excelsis, tanto melior Angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen hereditavit.* [17] Homo nobilis dicitur clarus et illustris; qualis Christi claritas? *Resplenduit facies eius ut sol.* [18] Hinc eum Paulus splendorem divinae gloriae appellavit: *Qui, cum sit splendor gloriae et figura substantiae eius.* [19] Saepe Dominus in Evangelio *Filius hominis* appellatur, *ios tu anthropu,* non *tis anthropu,* ut filius intelligatur mulieris, quia de Virgine natus est; sed filius hominis, idest, filius Adam legitimus, heres omnium bonorum quae Deus ab initio dedit Adamo, cum eum mundi principem et monarcham constituit; [20] hinc Regius Vates ait: *Quid est homo et filius hominis, ben adam, filius Adami,* heres totius gloriae, quae Adamo collata fuit.

et divina nobilitate.

Talis autem est Christi nobilitas qualis et Dei est: *Homo nobilis natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus. Quoniam tu Dominus Altissimus super omnem terram; nimis exaltatus es super omnes Deos.* [21] Sic visus fuit Deus in vertice scalae coelestis, [22] sic ab Isaia Rex exercituum sedens super solium excelsum et elevatum. [23] Hinc Isaias verba haec: *Homo natus est in ea,* veluti paraphrasticos [23a] interpretatus, ait: *Parvulus... natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius, et vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis. Multiplicabitur imperium eius, et pacis non erit finis,* [24] sive, ut hebr. *lemarbeh hamiscrah vesalom en kez, amplitudinis imperii et pacis non erit finis.* Infinita plane est Christi nobilitas, ait enim: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra.* [25]

Virgo nobilis nobilitate

Nobilitas autem Virginis Beatissimae a Christi nobilitate pendet.

15) 19, 12. 16) Ps 8, 5-7. 17) Hebr 1, 3-4. 18) Mt 17, 2. 19) Hebr 1, 3. 20) Cf. Gn 1, 26. 21) Ps 96, 9. 22) Cf. Gn 28, 13. 23) Cf. Is 6, 1. 23a) *Paraphrasticos* graec. loc.: *Paraphrastice.* 24) Ibid. 9, 6-7. Vulg.: *Eius imperium.* 25) Mt 28, 18.

Christi, quia vera Mater eius.

Mulier enim nobilitatem accipit vel a patre, sicut filia Pharaonis regis Aegypti, uxor Salomonis; vel a sponso, sicut Esther, humili loco nata, desponsata Assuero regi, facta fuit nobilissima et serenissima regina; vel a filio, sicut Bethsabee mater Salomonis, cum prius fuisset uxor Uriae militis stipendiarii, Salomone coronato rege Israelis, tanquam nobilissima regina ab omnibus honorabatur, quoniam vera mater regis cognoscebatur. Ita Virgo Divinissima, cum sit vera Mater Christi, summo digna honore est. Ipsa vera B e t h s a b e e, *domus septenarii*, propter plenitudinem gratiae virtutumque omnium et donorum Spiritus Sancti. Bethsabee dicitur vera mater Salomonis, licet non animam ipsius genuerit; anima enim a solo Deo per creationem pendet. Quoniam vero ex anima et corpore unus constat homo, totus homo natus ex muliere dicitur filius mulieris; licet secundum animam non dependeat a muliere, sed tantum secundum carnem et corpus, dicitur tamen mater hominis, non mater corporis. Ita in Virgine; non dependet Christus a Virgine secundum divinitatem, secundum quam a solo Patre trahit originem, sed secundum humanitatem: *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem.* [26]

Christus nobilis nobilitate naturae: Deus.

III. Non *factum* simpliciter dicit A p o s t o l u s Christum, sed *secundum carnem;* sed tamen *praedestinatus*, declaratus, demonstratus, *Filius Dei ex virtute*, ex potentia, *secundum spiritum sanctificationis,* [27] idest, secundum divinitatem, nam *Spiritus est Deus;* [28] demonstratus est autem Christus verus Deus *ex resurrectione mortuorum.* [29] Cum igitur nonnisi secundum carnem Christus a Virgine dependeat, quoniam tamen ex divinitate et humanitate una est Christi persona: *Verbum caro factum est;* [30] nec sit persona Christus secundum humanitatem, sed secundum divinitatem, propterea dicitur Christus filius Virginis absolute et Virgo Mater Christi et Mater Unigeniti Filii Dei.

Christus nobilis nobilitate gratiae: Salvator.

Hinc P a u l u s ad *Galatas* absolute locutus fuit, dicens: Cum *venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret,* et *adoptionem filiorum reciperemus.* [31] Absolute dicit Filium Dei factum ex muliere. Hinc Angelus ad pastores, annuncians Christi nativitatem, ait: *Evangelizo vobis gaudium magnum..., quia natus est vobis hodie Salvator,*

26) Rom 1. 3. 27) Ibid. 1. 4. 28) Io 4. 24. 29) Rom loc. cit.
30) Io 1. 14. 31) 4. 4-5.

qui est Christus Dominus.[32] *Natus est,* inquit, *hodie,* utique ex Virgine. Sed quisnam natus est? *Salvator,* Christus, Messias, Summus Rex, Dominus hominum et Angelorum, Rex coeli et terrae. Sic Matthaeus: *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus qui vocatur Christus,*[32a] idest, Messias, verus Deus et homo. Sic igitur: *Homo natus est in ea.*

Christus nobilis nobilitate gloriae: Comprehensor.

Hac phrasi dicendi usus est etiam Angelus ad Ioseph, dicens: *Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est de Spiritu Sancto est.*[33] Non dixit: Quod in ea nascetur, sicut Angelus Gabriel Virgini dixit ante conceptionem Christi: *Quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei;*[34] sed: *Quod... in ea* natum est, *de Spiritu Sancto est;* siquidem Christus ab ipsa conceptione fuit homo perfectus natura, gratia et gloria. Hinc Ieremias ait: *Novum creavit Dominus super terram, femina circumdabit virum.*[35] Hinc Ioannes ait: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis; et vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.*[36] Fuit enim Christus non solum viator, verum etiam comprehensor: *Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis qui est in coelo;*[37] sic in monte sancto manifestavit gloriam suam electis discipulis in beata transfiguratione.[38] *Homo nobilis,* omni nobilitatis genere insignis, nobilitate naturae, gratiae et gloriae.

Maria nobilis eadem triplici nobilitate: verus paradisus.

Hinc Maria thesaurus fuit divinarum perfectionum, thesaurus gratiae, thesaurus gloriae, verus paradisus; nam ibi verus est paradisus, ubi Deus vere videtur, possidetur et dulcissima fruitione gustatur. Christus autem in utero Virginis Deum, ut Beati in patria, Angeli in coelo *semper vident faciem Patris,*[39] stellae in firmamento faciem solis aspiciunt, vidit, possedit, fruitione gustavit. Ergo Beatae Virginis uterus procul dubio verus paradisus fuit; unde sancta illa mulier: *Beatus venter qui te portavit, et ubera quae suxisti.*[40] *Homo nobilis natus est in ea et ipse* fundator eius *Altissimus.* O Deum infinitae maiestatis, quisnam vel cogitatione et mente capere possit Divinissimae huius Virginis altissimam ac plane infinitam dignitatem?

Gradus nobilitatis Virginis incomprehensibilis.

Si enim a nobilitate filii etiam mater nobilitatem sortitur; nobilior enim est mater viri patritii quam privati civis, mater comitis quam privati patritii, mater marchionis quam comitis, ducis quam marchionis, regis quam ducis, imperatoris quam regis; ita ut pro nobi-

32) Lc 2, 10-11. 32a) Mt 1, 16. 33) Mt 1, 20. 34) Lc 1, 35. 35) 31, 22. 36) 1, 14. 37) Ibid. 3, 13. 38) Cf. Mt 17, 1-8. 39) Ibid. 18, 10. 40) Lc 11, 27.

litate filii crescat nobilitas, gradus et dignitas matris; intelligi non potest qualis et quanta sit dignitas Virginis, nisi intelligatur qualis et quanta sit dignitas Christi, dignitas et nobilitas Dei: *Ipse fundavit eam Altissimus.*

Ab Isaia Sion laudata a fortitudine, a fundatore, a sanctitate habitatorum, a divina protectione.

IV. *Nunquid Sion dicet: Homo et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus?* Isaias propheta in laudem Sion canticum composuit, Divino Spiritu afflatus, dicens: *In die illa cantabunt canticum istud in terra Iuda: Urbs fortitudinis nostrae...; Salvator ponetur in ea murus et antemurale. Aperite portas et ingrediatur gens iusta, custodiens veritatem.*[41] Hebr. est: *Iesuhah iascith chomoth vachel, Iesus ponet muros et propugnaculum*, idest, ipse fundabit et aedificabit civitatem hanc, fortissimam et munitissimam arcem. Sed ad quid? Ut a iustis tantum inhabitetur: *Aperite portas et ingrediatur gens iusta, custodiens veritates,*[41a] fidelitates, idest, servans fidem integerrimam. Sequitur autem in hebr.: *Iezer samuch tizor salom, figmentum firmatum custodies pacem*, idest, ipsam civitatem custodies, ut in ea semper sit pax et felicitas; *servabis pacem, pacem* utique, *quia in te speravimus,*[42] *in te speratum est*, confisum est. Sic alibi apud eundem Vatem legimus de beata Ierusalem: *Occupabit portas tuas laudatio, muros tuos salus,*[43] ubi hebr. est: *Vekarath iesuhah chomothaich uscheharaich thehillah, vocabis salutem muros tuos et portas tuas laudem*, sive laetitiam, idest, eris civitas absque ulla formidine mali et fruens omnibus bonis. Sic ait: *Servabis pacem, pacem quia in te speravimus. Sperastis in Domino in saeculis aeternis, in Domino Deo forti in perpetuum:*[44] *Bithchu baihovah hadehad chi beiah Iehovah zur holamim, sperate in Deum usque in aeternum, quia in Deo Dei petra saeculorum*, idest, firmitas perpetua, robur aeternum.

Laudatur ergo civitas a fortitudine: *Urbs fortitudinis nostrae;* a fundatore: *Salvator ponet in ea muros et antemurale*, Deus qui est ipsamet salus; sive *salutem ponet muros et antemurale,*[44a] idest, ponet muros inexpugnabiles, sicut Ieremiae dicit: *Ego quippe dedi te in civitatem munitam et in columnam ferream et in murum aeneum.*[45] Si civitas muros ferreos haberet, profecto diceremus muros habere inexpugnabiles. Laudat etiam a sanctitate habitatorum: *Aperite por-*

41) 26, 1-2. Vulg. habet: *Cantabitur canticum*, etc. 41a) *Veritate* ex hebr. 42) 26, 3. *In te speratum* ex hebr. 43) 60, 18. Vulg. habet: *Occupabit salus muros tuos et portas*, etc. 44) Is 26, 4. 44a) Sic etiam hebr. verti potest. 45) Jer 1, 18.

Ita etiam a David in hoc Psalmo.

tas et ingrediatur gens iusta; tandem a divina protectione: *Servabis pacem.* Ita etiam Regius Vates in hoc Psalmo hisce titulis laudat civitatem Sion a firmitate, a sanctitate, a fundatore et a divina protectione: *Fundamenta eius in montibus sanctis; diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob. Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.*[46]

Mystica Sion, Maria, praeter haec, laudata quia in ea natus est Deus.

Civitas Sion dicta fuit speciali nomine *civitas David,* quia eam aedificavit, quia in ea inhabitavit, quia possedit et sedem regni posuit, quia eam summopere dilexit et multis aedificiis exornavit, multisque gratiis et privilegiis nobilitavit ac illustravit. Sic Virgo Beatissima omnibus hisce titulis *civitas* Dei appellata est.

Sed adhuc alius superadditur titulus, cuius causa civitas Dei nuncupatur, quia in ea natus est Deus; qua ratione Sion dici non potuit civitas David, nam David non in Sion aut in Ierusalem, sed in Bethlehem natus fuit. De Sione autem hac mystica hodie dicitur: *Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam altissimus.* Moyses laudavit paradisum a plantatore, a plantis, a fundo, a regione et a fine, dicens: *Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio,* sive *in Eden ab Oriente,*[47] et: *Tulit Dominus Deus hominem, et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum:*[48] plantator Deus; plantae nobiles:[49] *Omne lignum pulcrum visu et ad vescendum suave: lignum etiam vitae in medio paradisi;*[50] fundus in Eden, loco amoenissimo, a plaga orientali, sub benigniori utique coelo; tandem ut esset habitatio felix et beata hominis, quem ad imaginem et similitudinem suam formaverat.[51] Ita plane ab his omnibus titulis laudatur Virgo Beatissima, paradisus deliciarum Dei, sed praecipue quod in ea et ex ea natus est homo Deus: *Homo natus est in ea,* qui *fundavit eam Altissimus.*

A Moyse laudatus paradisus a plantatore, a plantis, a regione, a fine. Maria, paradisus Dei, praecipue laudata quia in ea natus Homo Deus.

Maria Mater Christi et omnium Christianorum.

V. *Nunquid Sion dicet: Homo, et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus?*[51a] *Sioni dicetur: Vir et vir,* nobilis et nobilis, *natus est in ea, et ipse firmavit eam Altissimus.* Phrasis hebraica videtur esse *vir et vir,* multi viri, sicut: *Generatio et generatio laudabit opera tua,*[52] idest, multae generationes, et apud Zachariam: *Familia et familia,*[52a] idest, multae familiae; ita hic: *Vir et vir,*

46) Ps 86. 1-3. 47) Gn 2, 8. *In Eden ab Oriente* ex hebr. 48) Ibid. 2, 15. 49) Ms.: *Nobile.* 50) Ibid. 2, 9. 51) Cf. ibid. 1, 27. 51a) Ps 86. 5. Sequitur idem vers. ex hebr. 52) Ps 144, 4 52a) 12. 12. 14. Vulg. habet: *Familiae et familiae.*

multi viri nascentur. Ex Virgine autem nonnisi Christus natus est, ipse Virginis et primogenitus et unigenitus exstitit; quomodo ergo *vir et vir dicitur*? Sed forte ita dictus est propter duas naturas, unde saepe nunc *Filius Dei* [53] nunc *Filius hominis* [53a] appellatur; vel propter multiplicem in eo nobilitatem divinam et humanam, increatam et creatam; vel quia unus ipse pro multis est; vel tandem quia Christus non est privata persona tantum, sed publica, ita ut universalis Ecclesia, omnis fidelium multitudo, corpus ipsius sit, [54] et quilibet fidelis membrum est Christi; [55] ideo dicitur *vir et vir, isc veisc*, non *adam veadam*, non enim infideles, sed fideles tantum spectant ad hoc corpus.

Christiani nobiles dicti ut coelestia petant.

Est autem discrimen inter fideles et infideles, sicut inter nobiles virosque patritios et ignobiles homines de plebe. Sic Beatissima Virgo Mater est Christi et mater etiam omnium Christianorum, qui vere sunt fideles et electi Christi, vere membra Christi. Dicitur autem hic homo christianus non *adam*, idest, terrenus, sed *isc* quasi *esc, ignis*, qui coelestia petit. Unde et Christus dictus est homo coelestis: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de coelo coelestis.* [56] Et quidem suapte natura nobiles alta petunt, vilia dedignantur. Ita Paulus monet: *Si consurrexistis cum Christo*, idest, si vere christiani estis, *quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens, quae sursum sunt sapite, non quae super terram.* [57]

53) Mt 16, 16; Mc 3, 12; Io 1, 34 et alibi. 53a) Mt 8, 20; Mc 2, 28; Lc 7, 34 et alibi.
54) Cf. Eph 1, 23; 5, 23. 55) Cf. 1 Cor 12, 12. 27 et alibi. 56) 1 Cor 15, 47.
57) Col 3, 1-3.

SERMO QUINTUS

DE DIGNITATE MYSTICAE CIVITATIS DEI MARIAE

Dominus narrabit in scripturis populorum et principum, horum qui fuerunt... [1]

Tanta dignitas est matrem Dei esse, ut ad eam credendam divina opus sit auctoritate.

I. Cum Regius Vates multa cecinisset in laudem civitatis Ierusalem et Sionis, quae incredibilia videbantur, et omnem fidem humanam excedere; imo, inquit, tanta est dignitas huius civitatis, ut solus Deus eam digne celebrare possit, - sicut ait quod Deus *numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat,* [2] quod solus Deus novit magnitudinem coeli; - loquitur adhuc Regius Vates de Matris Dei dignitate. Siquidem hebraice est: *Iehovah iisphor bictob hamim zeh iullad scham. Selah: Dominus narrabit, cum describet populos: Hic natus est ibi,* sicut superius dixerat: *Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus.* [3] Matrem autem Dei veri mulierem esse tanta res est, ut ad eam credendam, imo ad persuadendam ut vere credatur, divina opus sit auctoritate: *Dominus narrabit.* Hinc, nato ex Virgine Christo, non homo, sed Angelus, imo Angelorum princeps nunciavit ipsius nativitatem pastoribus, dicens: *Natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus... Et* statim *facta est cum Angelo multitudo coelestis exercitus,* tanquam cum suo duce et imperatore, *laudantium Deum, et dicentium: Gloria in excelsis Deo.* [4] Sic igitur ait: *Dominus narrabit.*

1) Ps 86, 6. 2) Ps 146, 4. 3) Ps 86, 6. 5. 4) Lc 2, 11. 13-14. Vulg. habet: *Multitudo militiae coelestis;* et: *Gloria in altissimis Deo.*

Legimus Virginem Beatissimam laudatam ab hominibus et ab Angelis: ab hominibus tum Veteris tum Novi Testamenti, a Prophetis [5] et ab Apostolis ac Evangelistis; [6] laudatam [6a] etiam a sexu femineo: *Beatus venter qui te portavit et ubera quae suxisti.* [7] *Benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi ut Mater Domini mei veniat ad me?... Beata quae credidisti, quoniam perficientur* in te... *quae dicta sunt tibi a Domino.* [8] Archangelus Gabriel eam illustrissimo encomio divinis laudibus exornavit, dicens: *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus;* et item: *Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum.* [9] Sed quasi impar fuerit omnis lingua cum hominum tum Angelorum ad Virginem pro dignitate et merito collaudandam, ait: *Dominus narrabit:* ad eam digne laudandam solius Dei lingua potens et sufficiens est.

et ad eam laudandam solius Dei lingua sufficiens.

II. Usque ab initio Deus Virginem hanc laudavit, dicens ad serpentem: *Inimicitiam ponam inter te et mulierem, et* inter *semen tuum et semen illius; ipsa conteret caput tuum;* sive, ut hebr. *ipsum* semen, ipse filius *conteret tibi caput, hu iesuphcha rosc; et tu conteres calcaneum eius.* [10] Intellexit autem tunc Eva quod nasciturus hic de muliere filius natura et virtute futurus erat Lucifero Angelisque superior, ut potens esset satanae vires superare; natura enim et viribus nonnisi Deus Angelis superior est. Hinc cum filium primogenitum peperit, gaudio perfusa, dixit: *Acquisivi virum per Deum;* [11] ubi hebr. est: *Kanithi isc eth Iehovah, acquisivi virum Deum,* sive *virum cum Deo,* ubi nomen est *tetragammaton,* quod soli divinae naturae convenit. Ait igitur: *Acquisivi virum Deum,* arbitrata tunc adimpletum esse quod a Domino dictum fuerat serpenti.

Dignitas divinae maternitatis prope infinita, ideo iam ab initio a Deo laudata.

Quare vaticinium illud fuit quod Christus, Deus et homo, fortior satana nasciturus erat de Virgine; unde Dominus seipsum satana fortiorem significavit in sua apologia contra scribas et pharisaeos, calumniantes quod in Beelzebub eiiceret daemonia: *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt* omnia *quae possidet:* cum *autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma eius auferet, in quibus confidebat, et spolia... distribuet.* [12] Non, inquit, dividuntur et distribuuntur hostium spolia, nisi parta victoria, hoste su-

5) Cf. Is 7, 14; Jer 31, 22; Ez 44, 1-3. 6) Cf. Lc 1, 28-56; 2, 19. 51; Io 2, 1-10. 6a) Ms.: *Laudata.* 7) Lc 11, 27. 8) Ibid. 1, 42-43. 45. Vulg. habet: *Benedicta tu inter mulieres,* et: *Ut veniat Mater Domini mei ad me?* 9) Ibid. 1, 28. 30. 10) Gn 3, 15. *Inimicitiam* ex hebr. 11) Ibid. 4, 1. *Acquisivi virum* ex hebr. 12) Lc 11, 21-22.

peraio; nec superatur hostis, maxime constitutus in arce armis munitissima, nisi ab hoste viribus et potentia validiore multoque superiore. Hoc autem dixit Dominus, alludens ad vaticinium et oraculum illud. Quare usque ab initio saeculi Virgo Beatissima a Deo ipso praedicta et praedicata fuit Mater Dei: *Dominus narrabit, cum describet populos: Hic natus est ibi.*

Dignitas divinae maternitatis prope infinita, ideo inter laudes Canticorum praecipua.

III. In *Cantico Canticorum* Virgo Divinissima multis mirisque laudibus divinitus exornatur. Saepe appellatur *pulcherrima mulierum,* [13] et ab ipsis etiam mulieribus laudatissima. [14] Aliquando eam Sponsus veluti cum admiratione laudat: *Ecce tu pulcra es, amica mea, ecce tu pulcra es;* [15] aliquando eam sic laudat ut insinuet se vix eam satis pro dignitate laudare valere: *Quam pulcra es et quam decora, carissima!* [16] Laudatur autem caput ipsius, [17] capilli, [18] oculi, [19] genae, [20] dentes, [21] labia, [22] pectus, ubera, [23] gressus; [24] sed praecipue venter, [25] plane propter mysterium divinae Incarnationis, nam etiam ibi mater agnoscitur: *Filiae Ierusalem, egredimini et videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis* suae *et in die laetitiae cordis* sui. [26] Sacra nanque humanitas, quam verus Salomon Unigenitus Filius Dei ex Virgine Sacratissima accepit, veluti corona [est] in capite Verbi, corona utique infinitae benignitatis et humanitatis, quae summam laudem meretur: nam, cum homo facinus aliquod operatus fuerit dignum insigni laude et honore, dicimus eum sibi coronam in capite posuisse. Deum autem hac redimitum corona ostendit Paulus, dicens: *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiae, quae fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit.* [27] Dicitur autem Christus coronatus hoc diademate in die desponsationis suae, idest, in die incarnationis suae cum factus est sponsus Ecclesiae; quod quidem tempus appellat diem laetitiae cordis sui, quoniam tunc quam maxime laetatus dicitur Dominus, sicut homo in die nuptiarum, cum votis optatissimis potitur.

Sacra humanitas corona benignitatis infinitae.

In hoc autem oraculo ostenditur Virgo Divinissima mater et coronatrix Christi; siquidem etiam Christus eatenus est filius David et

13) 1, 7; 5, 9. 17. 14) Cf. 6, 8-9. 15) 1, 14. 16) 7, 6. 17) Cf. 7, 5. 18) Cf. 4, 1; 6, 1. 19) Cf. 1, 14; 4, 1; 5, 12. 20) Cf. 1, 9; 5, 13. 21) Cf. 4, 2; 6, 5. 22) Cf. 4, 3, 11. 23) Cf. 4, 5; 7, 3. 24) Cf. 7, 1. 25) Cf. 7, 2. 26) 3, 11. Vulg. habet: *Egredimini et videte, filiae Sion, regem,* etc. 27) Tit 3, 4-5. Vulg. habet: *Cum autem benignitas et humanitas apparuit..., secundum suam,* etc.

heres coronae israelitici regni quatenus filius Virginis est de stirpe David. In eodem etiam libro dicitur Christo: *Sub arbore malo suscitavi te, ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua;* [28] hebr. *ibi parturivit te mater tua, parturivit te genitrix tua,* quia mortalem et passibilem peperit moriturum in cruce pro salute totius generis humani.

Dignitas divinae maternitatis prope infinita, ideo super omnia opera sua a Deo laudata.

IV. Est Deus parcus admodum et sobrius in laudandis operibus suis. *Dixit... Deus: Fiat lux... Et vidit Deus lucem quod esset bona.* [29] *Fiant luminaria in firmamento coeli... Et vidit Deus quod esset bonum.* [30] Quanta potuisset dicere in laudem lucis, in laudem stellarum! Unum tantum dixit, quod bona essent. Nec laudat Deus nisi perfecta opera. Hinc non legimus laudatam terram in creationis initio, non laudatum coelum, aut firmamentum; sed terra laudata fuit tertio die, quando, divinitus fecundata, ornata fuit plantis tot generum et specierum; [31] firmamentum vero quarto die laudatum fuit, quando ornatum fuit stellis. [32] Non laudavit Deus mare secundo die quando factum fuit, sed quarto quando piscibus plenum fuit. [33] Conditum hominem non laudavit Deus; non legimus post formatum Adamum, post aedificatam Evam: *Et vidit Deus quod esset bonum,* quoniam natura humana perficienda adhuc erat virtutum meritis in hoc saeculo, et praemio atque corona in paradiso. Deus ergo nonnisi perfectissima laudat opera sua numeris omnibus absoluta, et sobrie valde atque parcissime.

In Virgine autem collaudanda multus est, et cum admiratione laudat: *Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te:* [34] summis quibus potest laudibus effert, nihil in ea non laudatum relinquens, ut in *Cantico Canticorum* manifestum est. Sic: *Dominus narrabit.*

Dignitas divinae maternitatis prope infinita, ideo usque ad admirationem a Deo laudata.

V. *Selah.* Quam quidem vocem nonnulli aeternitatem interpretantur, alii affirmationem, alii elevationem, quod ubicumque ponatur magnum aliquod insit mysterium, magna cum attentione et elevatione mentis contemplandum, ita ut, in consideratione tanti mysterii mens veluti suspensa, remaneat attonita, obstupefacta. [34a] In hoc autem Psalmo bis legitur *selah: Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. Selah.* Et: *Dominus narrabit in scripturis populorum: Hic natus*

28) Ct 8, 5. 29) Gn 1, 3-4. 30) Ibid. 1, 14. 18. 31) Cf. ibid. 1, 25.
32) Cf. ibid. 1, 18. 33) Cf. ibid. 1, 21. 34) Ct 4, 7.
34a) De *selah* cf. ipsum Auctorem *Serm. 3 in Ps. 86.* circa medium.

est ibi. Selah. Quasi dicat: O magnum mysterium, o ineffabile sacramentum, o rem infiniti stuporis, o miraculum divinum! Cum admiratione etiam Deus ipse Virginem laudare videtur et significare quod vix pro dignitate laudare eam possit: quoniam dignitas divinae maternitatis in Virgine prope infinita est, quam vere nec omnes homines nec omnes simul Angeli capere possunt, sicut nec infinitam dignitatem humanitatis et personae Christi. Et catenus dicitur quod vix potest Deus pro dignitate eam exprimere, quoniam infinitam hanc dignitatem creati omnes intellectus vix possunt capere. Vere est ineffabilis, quoniam vere est incomprehensibilis, sicut infinita dignitas Christi. O magnum miraculum! *Dominus narrabit.*

Dignitas divinae maternitatis prope infinita, ideo similibus laudibus quibus Christus ab omni lingua laudata.

VI. Sicut Christus laudatus est lingua humana Prophetarum, Apostolorum et totius sanctae Ecclesiae; lingua etiam angelica: in nativitate: *Evangelizo vobis gaudium magnum..., quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus;*[35] in resurrectione: *Iesum quaeritis Nazarenum crucifixum: surrexit, non est hic,*[36] *venite et videte locum ubi positus erat Dominus;*[37] in ascensione: *Hic Iesus, qui assumptus est a vobis in coelum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in coelum;*[38] et tandem lingua divina: in baptismo: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui;*[39] in transfiguratione, cum *resplenduit facies eius sicut sol,* iterum: *Hic est filius meus dilectus;*[40] et in die palmarum, cum intrasset Iesus civitatem et orasset Dominus, ut I o a n n e s refert, venit ad eum vox de coelo: *Clarificavi et iterum clarificabo;*[41] nam ad hoc misit Spiritum Sanctum de coelo, ad Christum per linguas Apostolorum e discipulorum ora digne laudandum; ita etiam Virgo Beatissima laudata reperitur lingua tum humana, a tota etiam universali Ecclesia, lingua angelica et lingua divina; quoniam est ipsa similis Christo, sicut luna soli, sicut Eva Adamo, et Christus similis ei sicut filius amantissimae matri. Sicut igitur similes sunt Christus homo et Virgo Deipara natura, gratia, virtute, dignitate et gloria; ita similibus laudibus exornantur apud Deum et homines in coelo et in terra.

35) Lc 2. 10-11. 36) Mc 16, 6. 37) Mt 28. 6. 38) Act 1. 11. 39) Mt 3. 17. 40) Ibid. 17. 5. 41) Io 12, 28.

Dignitas divinae maternitatis prope infinita, ideo fides in eam ab ipso Deo in hominum cordibus plantata.

VII. *Dominus narrabit.* Scio, inquit, quod existimat mundus me stultitiam loqui et deliramenta docere, quod Deus infinitae maiestatis et magnitudinis concludendus sit in utero mulieris, et quod ex muliere nasciturus sit in mundo; sed tamen veritatem hanc, quae incredibilis et impossibilis videtur, Deus ipse, apud quem nihil est impossibile,[42] et qui facturus est opus hoc mirabile, quod nemo credet cum narrabitur, ipse, inquam, *Dominus narrabit,* ipsemet praedicabit, docebit, testificabitur veritatem hanc, ipse sua auctoritate confirmabit, fidemque hanc plantabit in hominum cordibus, in mentibus fidelium suorum. Incarnatio Verbi, Dei humanatio, passio, mors stultitia et deliramentum[43] videbatur; et tamen plantavit hanc fidem Deus in Ecclesia sua, sicut nunc clare videmus, quoniam *Dominus narrabit in scripturis populorum, cum describeret populos,* ut factum est in nativitate Christi, quando *exiit edictum... ut describeretur universus orbis.*[44] Quando singuli describebantur, tunc natus est Dominus, et ab Angelo Domini praedicata est nunciataque pastoribus ipsius nativitas.

Scripturae populorum sacrae imagines.

Dominus narrabit in scripturis populorum: Hic natus est ibi. Scripturae populorum sunt sacrae Sanctorum imagines, quae pia veneratione colendae sunt, quoniam simplicibus populis divina mysteria praedicant, et quae a Deo gesta sunt pro mundi salute narrant;[45] ita ut sacrae imagines fidelem populum doceant pium cultum et religionem erga Deum et Sanctos eius, praecipue vero erga Virginem Beatissimam, Christi Matrem.

42) Cf. Lc 1. 37. 43) Cf. 1 Cor 1. 23. 44) Lc 2. 1. 45) Cf. Damasc. *Orat. 3 De Imag.* nn. 17. 12. (P. G. 94, 315. 363).

SERMO SEXTUS

DE FELICITATE MYSTICAE CIVITATIS DEI MARIAE

Sicut laetantium omnium habitatio est in te. sancta Dei Genitrix. Amen.[1]

Civitas ab habitatoribus maxime commendatur.

I. Nobili et illustri corona Regius Vates encomiasticum hoc canticum redimitum esse voluit. Civitas enim ab ipsis etiam habitatoribus civibusque quam maxime commendatur, ne sit, ut dici solet, concha auri, sed plena serpentibus; aut paradisus a daemonibus habitatus, sicut legimus de Pentapoli, quae erat sicut paradisus Domini, sed tamen habitatores eius pessimi erant.[2]

Felix civitas ob concordiam et pacem. Maria semper in pace.

II. De civitate hac alibi cecinit, dicens: *Ierusalem quae aedificatur ut civitas, cuius participatio eius in idipsum,*[3] cuius societas unita est, habitatores quidem vere pacifici sunt, vere civium unitas. Quod quidem potissimum est in civitate, siquidem: *Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum!*[4] idest, pacifice, in caritate et amore, absque ulla discordia et dissensione: haec nanque magna pars est publicae felicitatis, universalis pax civitatis, civium concordia et reciprocus amor. Nunc autem dicit habitatores civitatis huius laetos beatosque esse: *Sicut laetantium omnium nostrum habitatio est in te;* hebr. autem est: *Vesarim checholelim, col mahianai bach, principes quasi choros ducentes, omnes fontes mei*

1) Ps 86, 7; *Brev. Rom.* Comm. Fest. B. M. V. 3 Ant. 2. Noct. 2) Cf. Gn 13, 10. 13. 3) Ps 121, 3. 4) Ps 132, 1.

in te: principes huius civitatis erunt semper gaudio perfusi, laeti, exultantes ac si iugiter nuptias celebrarent, tanta est pax, concordia, felicitas publica civitatis huius. Ubi enim Deus est, ibi pax summa est. Saepe in Sacris Litteris coniuncta simul legimus iustitiam et pacem: *Orietur in diebus eius iustitia et abundantia pacis;*[5] *Suscipiant montes pacem populo et colles iustitiam;*[6] *Iustitia et pax osculatae sunt,*[7] quoniam, ut Isaias ait, *opus iustitiae pax;*[8] hinc Regius Vates: *Pax multa diligentibus legem tuam.*[9]

Virgo Beatissima semper summa in pace spiritus vixit, omni spirituali laetitia plena, quoniam semper summa cum sanctitate vixit; fuit ipsa semper paradisus deliciarum Dei, sicut in *Cantico Canticorum* legimus: *Hortus conclusus, fons signatus, emissiones tuae paradisus;*[10] fuit sanctissimum cor Virginis sicut vas coelesti manna plenum.[11]

Felix civitas ob bonorum copiam. In Maria omnes fontes bonorum Dei.

III. Quod autem ait: *Omnes fontes mei in te,* metaphoricos [11a] dictum est. Sicut, cum orator aliquis in oratione aliqua plurimum laboris et diligentiae adhibuit omnesque ingenii sui vires ac nervos, dici solet in ea oratione omnes ingenii sui fontes effudisse, idest, adhibuisse omne studium, pro sua virili provinciam illam obivisse, nullum non movisse lapidem; ita ait: *Omnes fontes mei in te.* Magna haec laus, mirabile encomium, nam Deus est qui loquitur.

Cum in laudem divinae huius civitatis multa dixisset, incipiens a fundatione eius: *Fundamenta eius in montibus sanctis;* [12] cum divinos favores erga eam in medium adduxisset: *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob;* cum cecinisset gloriam ipsius: *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei;* cum Deum ipsius conditorem, natum in ea docuisset: *Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus;* cum ab ipso etiam Deo laudibus celebratam ac celebrandam praedicasset: *Dominus narrabit in scripturis populorum;* tandem concludit: *Omnes fontes mei in te;* sicut Sponsa in *Canticis* laudat Sponsum a singulis partibus: a capite, crinibus, oculis, genis, ore, pectore, cruribus, pedibus, [13] tandem concludit: *Totus ipse desiderabilis,* [14] idest, omni ex parte dignus est summa laude, nihil in eo est

5) Ps 71, 7. 6) Ibid. vr. 3. 6a) Ms.: *Populi.* 7) Ps 84, 11. 8) 32, 17. 9) Ps 118, 165. 10) 4, 13. 11) Alludit ad Ex 16, 33-34. 11a) *Metaphoricos* graec. loc.: *Metaphorice.* 12) Ps 86, 1. Sequuntur vrr. 2-3. 5-6. 13) Cf. Ct 5, 10-15. 14) Ibid. 5, 16.

quod non sit laude dignissimum; *totus ipse desiderabilis*, sicut apud logicos ex particularium inductione fit universalis propositio vera.

Fontes bonorum Dei.

Omnes fontes mei in te. Plures fontes ex Divina Scriptura sacraque theologia reperiuntur in Deo. Divinus intellectus est fons perennis et aeternus genitae Sapientiae Verbique increati Unigeniti Filii Dei, qui a Patre procedit, sicut radius a sole, sicut rivus a fonte; divina voluntas fons est caritatis et amoris, fons Spiritus Sancti, qui nexus est et reciprocus amor Patris et Filii; divina potentia fons est totius naturae universalis bonorumque omnium, quae in coelo et in terra sunt, visibilium omnium et invisibilium; divina caritas est fons bonorum omnium supernaturalium gratiae in sancta Ecclesia; divina sapientia fons totius scientiae creatae in Angelis et hominibus; divina bonitas fons gloriae vitaeque aeternae et omnis felicitatis in paradiso; divina iustitia fons praemiorum et poenarum pro meritis virtutum et vitiorum; divina misericordia fons divinorum beneficiorum, ad sublevandam humanam miseriam.

Maria mare omnium gratiarum.

De Virgine autem Beatissima dicit: *Omnes fontes mei in te*. Sicut flumina omnia ex omnibus fontibus intrant in mare, sic Maria vere est mare omnium gratiarum et bonorum Dei: *Omnes fontes mei in te*. Fuit enim ipsa templum Dei, arca totius Divinitatis: in ea Filius: *Quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei;* [15] in ea Spiritus Sanctus, nam: *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi;* [16] in ea fons naturalium perfectionum.

De Eva in Sacris Litteris legimus decem praerogativas, sicut et de Adamo. [17]

15) Lc 1. 35. Vulg. habet: *Nascetur ex te*. 16) Ibid. loc. cit. 17) Ms. deficit.

7.

SUPER: SALVE REGINA

SERMONES SEX

Salve, Regina, Mater misericordiae: vita, dulcedo et spes nostra, salve. Ad te clamamus exules filii Evae. Ad te suspiramus gementes et flentes in hac lacrimarum valle. Eia ergo, advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Et Iesum, benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende. O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria.

SERMO PRIMUS

DE EXORDIO INVOCATIONIS: POTENTIA VIRGINIS

Salve, Regina, Mater misericordiae, vita, dulcedo et spes nostra, salve. Ad te clamamus.

I. Sicut coelum sideribus ornavit Deus, ita Ecclesiam Christo, Maria et sanctis Apostolis, Martyribus, Confessoribus; nam Christus sol est iustitiae, Maria luna sanctitatis, Sancti stellae firmamenti, multo utiliores [1] sanctae Ecclesiae in coelo cum Deo regnantes, quam sidera naturali huic mundo. Invocat sancta Ecclesia Sanctos omnes, tanquam fidelissimos Dei servos, amicos carissimos, domesticos Dei familiarissimos fidissimosque ac tandem filios dilectissimos; sed praecipue Mariam. Muri templi Domini intrinsecus ornati erant figuris Cherubim, palmarum et variarum picturarum, sive sculpturarum, aut florum apertorum; [1a] ita nanque sancta Ecclesia ornata est Doctoribus, Martyribus, Virginibus, Sanctisque, virtutum floribus ornatissimis; sed praecipuum et singulare ornamentum templi illius arca erat testamenti sub divino propitiatorio in medio Cherubim. [2]

In Ecclesia praecipuum ornamentum sanctitatis, Maria; invocatio et cultus eius similis invocationi et cultui Christi.

Virginem hanc Beatissimam, Sanctorum omnium coronam, cultu piissimo semper venerata fuit sancta mater Ecclesia, eamque fusis precibus magna cum devotione in necessitatibus suis post Christum invocavit. Quoniam autem Maria similis Christo est, sicut Eva Adamo, cui [2a] similis formata fuit, [3] invocatio Virginis similis esse debet invocationi Christi, honor et cultus Mariae exhibitus similis honori et cultui Christi.

1) Ms.: *Utiliore.* 1a) Cf. 3 Rg 6, 29 sqq. 2) Cf. 3 Rg 8, 6-7. 2a) Ms.: *Quam.*
3) Cf. Gn 2, 18.

Sicut in oratione ad Deum, ita et ad Virginem, a laudibus exordium capiendum, quia magna est gratiarum copia.

II. Cum Dominus orare nos docuit, iussit ut a divinis laudibus orandi caperemus exordium, dicentes: *Pater noster, qui es in coelis, sanctificetur nomen tuum;*[4] ut prius divinam tum bonitatem tum omnipotentiam commemoraremus, Deum Optimum Maximum invocantes; sic enim et ipse ad Patrem fundens preces in horto iturus ad passionem, ait: *Pater mi, omnia tibi possibilia sunt: transfer calicem hunc a me.*[5] Ita, cum invocanda nobis est Virgo gloriosa, a divinis ipsius laudibus sumendum principium est. Sic enim cum ea egit Archangelus Gabriel, cum ad eam missus a Deo fuit; miris laudibus eam prius exornavit et postea quod in mandatis habebat exposuit. Prius dixit: *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres;* et item: *Invenisti enim gratiam apud Deum;* et postea: *Ecce concipies in utero, et paries filium.*[6] In *Canticis* etiam ita legimus: *Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te;* et postea advocatur: *Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano.*[7]

Exemplum Christi et Archangeli.

Exemplum Ecclesiae.

Sic igitur sancta Ecclesia, Deiparam Virginem invocatura, prius multis titulis atque nominibus eam honorat et laudat, dicens:[7a]

« Salve, Regina, Mater misericordiae...
Ave, Regina coelorum, - Ave, Domina Angelorum...
Alma Redemptoris Mater, quae pervia coeli
    Porta manes et stella maris...
Ave, maris stella, - Dei Mater alma,
Atque semper Virgo, - Felix coeli porta... ».

Sic ab omnibus fidelibus sanctisque animabus miris modis multisque honestissimis illustrissimisque encomiis celebrata est, sicut in *Canticis* legimus: *Sexaginta sunt reginae... octoginta concubinae, et adolescentularum non est numerus; una est columba mea,* una est *perfecta mea, una est matri suae, electa genitrici suae: viderunt eam filiae et beatam dixerunt, reginae et concubinae... laudaverunt eam: Quae est ista quae progreditur, quasi aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?*[8] Laudatur ab omnibus reginis, concubinis, idest, uxoribus inferioris ordinis, et adolescentulis regi dedicatis in sponsas, quibus designantur omnes ani-

4) Mt 6, 9. 5) Mc 14. 36. 6) Lc 1, 28. 30-31. Vulg. habet: *Benedicta tu in mulieribus.*
7) 4, 7-8. 7a) Sequuntur initia antiphonar. et hymni B. M. Virginis e *Brev. Rom.*
8) 6, 7-9. Vulg. habet: *Beatissimam praedicaverunt,* et: *Matris suae.*

mae fideles, incipientes, proficientes atque perfectae; hinc ipsa ait: *Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen eius, et misericordia eius a progenie in progenies.*[9] Tres causas divinae magnitudinis suae recenset: divinam potentiam, sanctitatem et misericordiam Dei aeternam. Quanta lux a tribus hisce immensis solibus! Quanta aquarum copia a tribus his fontibus infinitis!

In oratione ad Virginem a laudibus eius exordium capiendum, quia magna est multis titulis, Reginae praesertim.

III. Nec tantum propter hanc infinitam gratiarum copiam laudanda erat ab omnibus fidelibus animabus, verum etiam multis modis. Hinc appellatur aurora consurgens, luna pulcra, sol perfectus, acies castrorum terribilis. Sic igitur sancta Ecclesia multis modis Virginem Deiparam pro viribus laudat; hinc ait: *Salve, Regina, Mater misericordiae; vita, dulcedo et spes nostra, salve.* Videtis quot titulos, quot nomina, quam ardentem affectum! Sed praecipue R e g i n a m appellat: *Salve, Regina:* ita saepe: « Ave, Regina coelorum, - Ave, Domina Angelorum; Regina coeli, laetare;[9a] O gloriosa Domina, - Excelsa super sidera ».[10]

A Regio Vate Maria Regina dicta.

Dum sancta mater Ecclesia Deiparam Virginem Reginam appellat, alludit plane ad illud *Ps. 44: Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.*[11] Quo loco R e g i u s V a t e s Reginam hanc multis nominibus laudat. Non solum a dignitate qua Regina est, sed a summo dignitatis et honoris gradu, nam prius ait: *Filiae regum in honore tuo,*[12] et postea: *Astitit regina,* ita ut Regina haec pedissequas habeat nobilissimas filias regum. Praeterea ab honore, quo ab ipso rege afficiebatur, nam ait: *Regina a dextris tuis,* sicut Salomon, ad Bethsabee matrem honorandam, sedere eam fecit supra thronum regium ad dexteram suam.[13] Itemque ab ornatu vestium: *In vestitu deaurato,* hebr.: *In auro ophir,* idest, ornata pretiosissima veste aurea, sicut arca Dei tota induta erat auro purissimo intus et foris.[14] Praeterea ab amore regis erga eam ob insignem pulcritudinem « quia concupivit rex speciem tuam »,[15] *cum* tamen *ipse sit Dominus... tuus, et adorabis eum,* quem tu summa reverentia colis. Insuper ab honore accepto a proceribus: *Filiae Tyri in muneribus, vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis,*[16] idest, proceres et primates populi. Adhuc etiam a splendore virtutum in ani-

9) Lc 1, 48-50. 9a) Initia antiphonar. B. M. Virginis e *Brev. Rom.* 10) Ex hym. ad Laudes in Fest. B. M. V. secundum vetus Brev. 11) Vr. 10. 12) Ibid. loc. cit. 13) Cf. 3 Rg 2, 19. 14) Cf. Ex 25, 11. 15) Ps 44, 12 ex *Brev. Rom.* Fest. Comm. Virg. 1 Resp. ad Noct. Sequitur pars eiusdem vers. ex hebr. 16) Ps 44, 13.

mo: *Omnis gloria eius filiae regis ab intus*, sive tota gloria filiae regis intrinsecus est, tota inclyta et gloriosa est intrinsecus; etiam: *In fimbriis aureis*, in vestitu ex auro contexto atque acu picto, opere phrygionico elaborato.[17] Tandem ab honestissimo famulitio: *Adducentur regi virgines post eam, proximae eius afferentur tibi; afferentur tibi in laetitia et exultatione, adducentur in templum*, sive *palatium, regis;*[18] hebr. autem transferri potest: *In acu pictis adducetur regi* ipsa scilicet regina: deinde: *Virgines post eam*, idest, ad regem adducetur elegantissimis induta vestibus et magno pedissequarum numero honestissime comitata, magna cum laetitia et exultatione. Et tandem a fecunditate: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii;*[19] hebr.: *Erunt filii tui; constitues eos principes super omnem terram*. Nam omnes Apostoli fuerunt Virgini tanquam dilectissimi filii, sicut de cruce dixit ei Christus, Ioanne indicato: *Ecce filius tuus;*[20] Apostoli autem pro antiquis Patriarchis constituti sunt principes universalis Ecclesiae, quae toto orbe terrarum longe lateque diffusa est.

A S. Ioanne Evangelista Regina praedicata.

Cum etiam Reginam eam appellat sancta Ecclesia, alludit ad illud *Apocalypsis: Signum magnum apparuit in coelo, mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim;*[21] nam, si coronata est, Regina est, corona enim insigne regium est. Sed, bone Deus, qualis Regina? Quae filium parit, qui mox natus ad Deum rapitur et ad thronum ipsius.[22] Ergo Sponsa et Mater summi Regis Dei et Christi Unigeniti Filii Dei, veri Dei, summi Dei.

Summae Virginis dignitati et auctoritati respondet quoque erga nos caritas.

IV. Regina appellatur ad designandam summam ipsius dignitatem et auctoritatem, maiestatem et potentiam. Sicut enim summa ipsius dignitas est, ita etiam auctoritas, uti et in Christo: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra;*[23] dignitas sine auctoritate contemnitur. Ab initio Deus homini non solum summam dignitatem contulit, verum et auctoritatem; non solum dixit: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, verum etiam: *Dominetur piscibus maris et volatilibus coeli*, etc.[24] Hinc Regina haec *sole amicta* dicitur, qui suapte natura et luce splendidissimus et potentissimus est, naturae princeps: *Nec est qui se abscondat a calore eius;*[25] sic quanta ipsius est dignitas, tanta et auctoritas.

17) Vr. 14 text. hebr. illustrat. 18) Vr. 15-16. *Palatium* ex hebr. 19) Vr. 17.
20) Io 19, 26. 21) 12, 1. 22) Cf. Apc 12, 5. 23) Mt 28, 18.
24) Gn 1, 26. Vulg. habet: *Praesit piscibus*, etc. 25) Ps 18, 7.

Sed, quod nostra maximi refert, quanta ipsius est dignitas et auctoritas, tanta quoque est erga nos caritas; hinc Regina Mater misericordiae appellatur: *Salve, Regina, Mater misericordiae,* nam a Christo in cruce mater nostra facta est, dum dictum illi fuit: *Ecce filius tuus,* et Ioanni: *Ecce mater tua.*[26] Beatos Christianos, qui beatissimam hanc et divinissimam Virginem tanquam Reginam et Matrem venerantur, diligunt, colunt magno pietatis et devotionis affectu!

26) Io 19, 26-27.

SERMO SECUNDUS

DE EXORDIO INVOCATIONIS: POTENTIA ET MISERICORDIA VIRGINIS

Salve, Regina, Mater misericordiae.

Virgo Deipara invocatur Regina et Mater similis Deo, Regi potentissimo et Patri clementissimo.

I. Duobus titulis ac nominibus Virgo Beatissima invocatur: Regina, Mater, quoniam ipsa Divinitatis quaedam imago est sicut luna solis; Christo simillima, sicut Eva Adamo.[1] Deo autem duo vel maxime tribuuntur: omnipotentia et bonitas summa, hinc Optimus Maximus appellatur; et in Sacris Litteris Deus exercituum et Deus uberum,[1a] Rex et Pater, hinc apud Malachiam: *Si Pater ego sum, ubi est amor meus? Et si Dominus ego sum, ubi est timor meus?*[2] Christus etiam propter haec duo dicitur Rex et Pastor: *Rex regum*,[3] idest, potentissimus, maximus; *Pastor bonus*.[4] Sic igitur Virgo Sanctissima appellatur Regina et Mater; ideo Virgo Regina, quia Deus Rex, Christus Princeps, nam ipsa Sponsa Dei est, Mater Christi; Regina Regi simillima. Thronus Salomonis terribilibus leonibus ornatus erat hinc inde ex utraque parte,[5] quoniam reges hominibus formidabiles sunt, tribunal regis tremendum. Leo nanque animal terribile admodum est; leo rugiet, quis non timebit? Thronus autem Dei non sic. In templo thronus Dei propitiatorium appellabatur,[6] et Paulus thronum Dei appellat thronum gratiae, dicens: *Adeamus... cum fiducia ad thronum gratiae* eius, *ut misericordiam consequamur*.[7] Hinc

Thronus Salomonis et thronus Dei.

1) Cf. Gn 2, 18. 1a) *Deus uberum*, idest, *Deus amoris*; de quo cf. etiam Ct 1, 1.
2) 1, 6. 3) 1 Tim 6, 15. 4) Io 10, 11. 5) Cf. 3 Rg 10, 18-20.
6) Cf. Ex 25, 22. 7) Hebr 4, 16.

Ezechiel,[8] et Ioannes[9] circa thronum Dei iridem viderunt, arcum coelestem, signum misericordiae et gratiae, ad designandum quod Deus rex est, sed clementissimus atque piissimus. Hinc etiam Dominus noster Christus Unctus dicitur: *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae;* [10] oleum autem misericordiae symbolum est. Hinc Regis nostri facies sicut sol resplenduit, [11] qui princeps coeli est potentissimus et liberalissimus.

II. Ad haec autem duo in Virgine designanda, appellatur Regina, Mater misericordiae. Hinc dicta est *sole amicta,* [12] hinc *electa ut sol,* [13] ut sciamus Reginam esse maximam et optimam, potentissimam et clementissimam. Sicut enim cum ad orandum ad Deum accedimus, duo haec consideranda nobis sunt, quod sit maximus et quod optimus, quod potest et quod vult praestare beneficium et gratiam, quam desideramus et petimus; ita, cum Virginem invocamus, duo haec consideremus, quod potest et quod vult praestare beneficium. Potest, quia Regina potentissima; vult, quia Mater misericordiae optima, Mater clementissima, nam Regina coeli est. Virgo Deipara est Regina potentissima.

Luna olim regina coeli [14] appellabatur, sicut sol rex. [14a] Magna est in coelo post solem lunae potentia, sed per virtutem et lucem quam accipit a sole; sic Virginis Beatissimae post Deum magna potentia est, virtute accepta ab ipsomet Deo. Ipsa sanctuarium Dei est, in quo perpetuo asservabatur virga potentiae Dei, [15] qua innumera operata fuere miracula, [15a] et urna mannae. [16] In Virgine Beatissima virga Dei est, quia Regina; urna autem mannae, quia Mater misericordiae. Ad haec duo designanda, Virgo Sanctissima dicta est *quasi aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol,* [17] et *sole amicta.* Non enim dedit Deus [17a] soli, lunae et stellis talem tantamque lucis copiam propter ornatum eorum, sed pro mundi beneficio; hinc ait: *Fiant luminaria in firmamento, et dividant diem ac noctem, et sint in signa et tempora et dies et annos, ut luceant in firmamento coeli et illuminent terram.* [18] Sic Deus Virginem Beatissimam tanto honore et gloria coronavit, ut esset in salutem totius Ecclesiae, totius mundi; fecit eam Reginam similem Christo, de quo ait: *Gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum: omnia subiecisti sub pedibus eius,* [19] ut esset Mater misericordiae. Sicut Christus dictus fuit Christus sol, Maria luna.

8) Cf. 1, 28. 9) Cf. Apc 4, 3. Ms.: *Ioanne.* 10) Ps 44, 8. 11) Cf. Mt 17, 2. 12) Apc 12, 1. 13) Ct 6, 9. 14) Cf. Jer 44, 17. 14a) Plin. *Hist. Nat.* lib. 2, cp. 6. 15) Cf. Nm 17, 10. 15a) Cf. Ex cpp. 7-9. 16) Cf. Ex 16, 33-34; Hebr 9, 4. 17) Ct 6, 9. 17a) Ms.: *Dei.* 18) Gn 1, 14-15. 19) Ps 8, 6-8.

a Balaamo stella ex Iacob et virga ex Israel: *Orietur stella ex Iacob, et exurget virga ex Israel;* [19a] et cum declaratus fuit rex a Patre, medius visus fuit inter Moysem [20] mitissimum et Eliam [20a] ardentissimum ac potentissimum prophetam; [21] sic Regina haec nostra similis Christo est, quia rex venit in mundum potens ad salvandum: *Ecce rex tuus venit tibi iustus et salvator.*[22] Esther divino beneficio sublimata fuit ad coronam regni pro salute populi sui; ipsius enim opera a persecutione gravissima impii Aman populus Iudaeorum liberatus fuit; [23] Virgo autem Sanctissima multo amantior est fidelium Christi quam Esther Iudaeorum.

Virgo Deipara est Mater misericordiae, mare gratiarum.

III. Fons ille magnus positus fuit in paradiso, ut paradisum irrigaret et terram etiam extra paradisum. [24] Sic in *Canticis* legimus: *Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus: emissiones tuae paradisus. Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quae fluunt impetu de Libano.* [25] Magnus fons est, sed vivus et copiosarum multarumque aquarum; hinc dicitur *fons hortorum, puteus aquarum viventium.* Quis dubitabit unquam ad fontem vivum aquarum multarum iturum se, et non inventurum aquas? Maria m a r e interpretata est; [26] in mari non inveniemus aquas? Maria mare illud est, de quo ait: *Omnia flumina intrant in mare, et mare non redundat.* [27] Omnia nanque flumina gratiarum Dei influunt in Mariam: hoc est enim illud *gratia plena.*[28] Videmus enim quod, ut Regina facta est, Mater evasit misericordiae. Nam statim, in incarnatione plena Spiritu Sancto et vera Dei Sponsa effecta, *abiit in montana cum festinatione... et salutavit Elisabeth. Et... ut audivit vocem Mariae Elisabeth, impleta est Spiritu Sancto... et ait: Unde hoc mihi ut Mater Domini mei veniat ad me?* [29] Videtis quomodo divinus iste fons aquas coelitus divinitusque acceptas refundit. Plena Spiritu Sancto replevit Spiritu Sancto Elisabeth et Ioannem in utero matris: *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suae;* [30] hinc: *Ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo.* [31] Sic, statim ut Regina facta est, ostendit Matrem se esse misericordiae, fontem gratiarum: *Ut veniat Mater Domini mei ad me?*

Visitatio ad Elisabeth.

19a) Nm 24, 17. Vulg. habet: *Et consurget... de Israel.* 20) Cf. Nm 12, 3. 20a) Cf. 4 Rg 1, 1 sqq. 21) Cf. Mt 17, 3. 22) Zac 9, 9. 23) Cf. Est cp. 7. 24) Cf. Gn 2, 10. 25) 4, 12-13. 15. 26) Cf. ipsum Auct. *Serm. 3 in Salut. Ang.* 27) Eccle 1, 7. 28) Cf. Lc 1, 28. 29) Ibid. 1, 39-41. 43. Vulg. habet: *Repleta*, loc.: *Impleta.* 30) Lc 1, 15. 31) Ibid. 1, 44.

Mater misericordiae. Quam dulce est nomen matris! Dici non potest, comprehendi non potest. Virgo autem Beatissima non solum Mater, sed Mater misericordiae dicta est, hoc est, misericordissima, Mater clementissima, Mater tenerrima, amantissima.

Eva dicta est *mater... cunctorum viventium;* [32] Maria mater est amantissima omnium fidelium qui ad vitam ordinati sunt.

Nuptiae in Cana Galilaeae.

Caritatem suam erga homines Virgo Sanctissima ostendit in nuptiis; nam, deficiente vino, etiam non rogata, rogavit Dominum, dicens: *Vinum non habent;* et in causa facta fuit, ut Dominus primum omnium miraculorum ederet in salutem hominum, ad ostendendam divinam erga homines caritatem. Sic Virgo hominibus vinum optimum a Christo obtinuit. [33]

Virgo Deipara Mater misericordiae, fons gratiarum, sed pro nostra utilitate.

IV. In mysterio Annunciationis Maria ostensa est Regina; in mysterio autem Visitationis Mater, fons spiritualium gratiarum: *Fons signatus, fons hortorum, puteus aquarum viventium.* Non fons horti, sicut fons qui paradisum et hortum Domini irrigabat, sed *fons hortorum,* quia paradisum irrigat coelestem et terrestrem, Ecclesiam triumphantem in coelo et Ecclesiam militantem in terra; *fons hortorum,* quia sufficit non unum tantum hortum irrigare, sed multos: etiam si Ecclesia infinitis partibus maior esset, totam irrigare valeret quam copiosissime. Nec tantum *fons signatus* et *fons hortorum,* sed etiam *hortus Domini* et *paradisus* dicta est: *Plantavit autem Dominus... paradisum deliciarum,* [34] non pro se sed pro hominibus; paradisus ille non sibi sed hominibus fructificabat. Ita nunc Virgo Sanctissima in coelo non sibi sed nobis fructificat, non pro se sed pro nobis orat et impetrat, sicut Esther non pro se sed pro populo suo salutem a rege impetravit. Est autem infinitis partibus maior auctoritas Virginis apud Deum, apud Christum, quam Esther apud Assuerum; et quanto Christus maior est Assuero, tanto auctoritas Virginis apud Christum utilior nobis est, quam auctoritas Esther apud Assuerum utilis fuit Iudaeis. Multo etiam maior est caritas Virginis erga fideles, quam caritas reginae Esther erga Iudaeos. Nam illa Iudaeos diligebat tanquam gentiles suos, populum et nationem suam; nos autem Virgo diligit tanquam filios suos, tanquam membra Christi, unici et dilectissimi Filii sui: Ecclesia enim corpus Christi est, [35] fideles omnes membra Christi sunt. [36]

32) Cf. Gn 3, 20. 33) Cf. Io 2, 1-10. 34) Gn 2, 8. Vulg. habet: *Plantaverat... voluptatis.*
35) Cf. Col 1, 24. 36) Cf. 1 Cor 12, 27.

In mysterio Visitationis Maria fontem se ostendit magnum et mirabilem, nam *abiit in montana cum festinatione.* Ut aqua fontis deorsum descendat mirum non est, ut a monte descendat in vallem; sed ut a valle ascendat ad montem et cum impetu, hoc magnum est et mirabile. Maria autem, ad gratiam suam communicandam, *abiit in montana* et *cum festinatione.*

SERMO TERTIUS

DE VIRGINE DEIPARA ARBORE MAGNA GRATIARUM

Salve, Regina, Mater misericordiae, vita, dulcedo et spes nostra, salve.

I. Veluti arbor ostenditur Virgo Beatissima onusta optimis et suavissimis fructibus: misericordia, vita, dulcedo, spes nostra; nam Virgo Sanctissima arbor dicta est: *Ascendam in palmam et apprehendam fructus eius... statura tua assimilata est palmae et ubera tua botris.* [1] *Ascendam in palmam.* Christus etiam dictus est arbor: *Sub umbra illius quem desideraveram sedi, et fructus eius dulcis gutturi meo.* [2] *Lignum vitae est iis qui apprehenderint eam,* ait de sapientia Salomon. [3] Arbor Christus, Maria arbor; arbor fructifera Christus, arbor fructifera Maria. *Lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo* [4] Christus est, arbor semper onusta fructibus, nam lignum illud est quod in *Apocalypsi* Ioannes [4a] vidit iuxta flumen paradisi plantatum, quod per singulos menses fructificabat. [5] Christo autem Maria similis est sicut luna soli, sicut Eva Adamo, sicut regi regina; quare sicut arbor Christus, ita et Maria.

Maria et Christus arbores dicti quia magni et onusti fructibus.

Apud Danielem legimus quod Nabuchodonosor, quia rex magnus, ditissimus et potentissimus erat, in visione designatus est per arborem maximam, altissimam, latissimam, quae totum mundum occupare videbatur; fructibus autem onustissima erat, ita ut infinitam

Nabuchodonosor magna arbor, magnus princeps.

1) Ct 7, 8. 7. 2) Ibid. 2, 3. 3) Prv 3, 18. 4) Ps 1, 3. 4a) Ms.: *Ioanne.* 5) Cf. 22, 2.

pene multitudinem animalium, quae sub ipsa degebant, et avium, quae in ramis eius morabantur, suis fructibus perpetuo pasceret.[6] Per magnam arborem fructibus onustam magnus princeps designatur, quia, cum multis divitiis abundet, servis et popularibus suis multa beneficia praestat. Quot millia hominum vivunt hodie sub umbra regis Hispaniarum! Quot ministri, quot equites, quot duces, quot milites, quot millia hominum vivunt sub umbra Summi Pontificis, quia multa, innumera beneficia confert. Sic magnus princeps, magna arbor est. Christus autem maximus princeps, quia *Rex regum et Dominus dominantium*,[7] maxima igitur arbor; Maria autem Regina est in Christi regno unica, summa, ergo et ipsa arbor maxima.

Maria arbor summe utilis et iucunda, quia fructus eius: vita, dulcedo et spes nostra.

II. Sed summe utilis et iucunda. En fructus arboris huius: *Mater misericordiae, vita, dulcedo et spes nostra, salve.* Arbor est, quia Mater misericordiae est; unde, sicut Eva *mater viventium* appellata est,[8] ita et multo potiori iure Maria. Huius autem arboris fructus sunt: *vita, dulcedo, spes nostra.* Vita nostra dicitur, sicut et Christus: *Ego sum via, veritas et vita.*[9] *Ego sum resurrectio et vita.*[9a] Dicitur autem Christus vita, quoniam auctor est salutis et vitae nostrae: hinc fons vitae est appellatus: *Quoniam apud te est fons vitae, et in lumine tuo videbimus lumen.*[10] Ipsa autem Virgo dicitur *vita, dulcedo et spes*, quoniam *Regina* est et *Mater misericordiae.*

Saepe Deus in Divinis Litteris Pater misericordiae appellatur. Hinc Regius Vates ait: *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se.*[11] Hinc Paulus ait: *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.*[12] Sic ostenditur in parabola filii prodigi[13] pater amantissimus, misericordissimus, tenerrimorum viscerum, cordis dulcissimi et supra modum amantissimi; hinc ait: *Per viscera misericordiae Dei nostri visitavit nos Oriens ex alto.*[14]

Hinc Dominus noster in mundo viscera semper divinae misericordiae ostendit; nam omnia miracula, quae operatus est ad faciendam fidem Divinitatis suae, beneficia fuerunt operaque magnae misericordiae. Nec tantum exigentibus praestitit, ut Cananitidi: *Miserere mei, Domine, fili David,*[15] ut caeco Bartimaeo: *Iesu, fili David,*

6) Cf. Dn 4, 7 sqq. 7) 1 Tim 6, 15. 8) Cf. Gn 3, 20. 9) Io 14, 6. 9a) Ibid. 11, 25. 10) Ps 35, 10. 11) Ps 102, 13. 12) 2 Cor 1, 3-4. 13) Cf. Lc 15, 11-32. 14) Ibid. 1, 78. 15) Mt 15, 22.

miserere mei,[16] ut decem leprosis: *Iesu, praeceptor, miserere nostri;*[17] sed etiam non requirentibus. Sic enim caecum natum illuminavit,[18] sic languidum in piscina curavit,[19] sic turbas famelicas pavit: *Misereor super turbam,*[20] sic filium viduae Naimitis suscitavit: *Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus..., dixit...: Noli flere.*[21] Sic, inquam, Dominus misericordissimum fontemque perennem et inexhaustum divinae misericordiae se ostendit.

Maria vita, dulcedo, spes quia Mater misericordiae.

III. At vero aliquando Virginem Beatissimam reperimus viscera quodammodo teneriora ac multo ad miserendum promptiora habuisse ad subveniendum miseris in necessitate constitutis, uti luce clarius manifestum est in nuptiis, ad quas invitatus Christus fuit, in Cana Galilaeae, cum vinum defecit. Defectum vini novit Christus, novit Maria; pietate autem magis mota videtur Maria quam Christus. Ac ne sponsi ex re cognita moestitia afficerentur, et pudore suffunderentur, ipsa ad Christum accedens, pietate mota, ait: *Vinum non habent.* Intercedit pro eis, ut necessitati miraculo succurratur: *Vinum non habent.* Nec fuit inefficax apud Christum ipsius supplicatio, nam [ad] intercessionem ipsius magno miraculo magnam vini copiam providit, sex hydrias plenas, quae singulae capiebant metretas binas vel ternas. Metreta autem continet decem congios, congius autem sextarios sex, sextarius vero duas heminas, hemina libram liquoris appendit, libra sex ciatos, ciatus autem duas uncias liquoris; quare metreta una continet sexaginta sextarios, heminas autem sive libras centum viginti. Quam magnam ergo vini copiam dedit Dominus ad Virginis intercessionem, cum sex hydriae caperent singulae metretas binas vel ternas! Concessit quindecim circiter vini metretas, dicere possumus sex dolia vini; nam hydriae adeo magnae erant, quod vinum inde non effundebatur, sed hauriebatur: *Haurite nunc, et ferte,* ait, *architriclino.* Sua igitur intercessione Virgo Beatissima iis, qui benevolentiae causa eam cum Christo ad nuptias invitaverant, magnum operata est, obtinuitque beneficium et perfectum, nam vinum erat optimum. Et non requisita intercessit; sed prudentia sua, praevidens necessitatem, providit quod opus erat sua benignitate.[22]

Magnum miraculum vini in nuptiis.

16) Mc 10, 47. 17) Lc 17, 13. 18) Cf. Io 9, 1 sqq. 19) Cf. ibid. 5, 1-16. 20) Mc 8, 2. 21) Lc 7, 13. 22) Cf. Io 2, 1-12. De mensuris, de quibus Auctor loquitur, videsis Forcellinum.

Beati qui Virginem colunt.

IV. O beatos, qui erga Virginem hanc divinissimam benevoli sunt, pio sunt animo, devoti sunt! Agit enim cum ipsis, sicut amantissima mater cum dilectissimis filiis carissimisque pignoribus, quoniam vere Mater misericordiae est. Mater autem, visceribus pietatis ipsaque natura mota, filiis suis et praevidet et providet quaecumque necessaria sunt.

SERMO QUARTUS

DE VIRGINE DEIPARA ADVOCATA NOSTRA

Ad te clamamus exules filii Evae, ad te suspiramus gementes et flentes... Eia ergo, advocata nostra.

Christus advocatus, Maria advocata nostra.

I. Recurrit sancta Ecclesia in necessitatibus suis, quandiu versatur in hac lacrimarum valle, ad Virginem Beatissimam, Matrem misericordiae, tanquam ad suam apud Deum patronam et advocatam: *Eia ergo, advocata nostra.* Est quidem Christus Dominus, mediator Dei et hominum, advocatus noster apud Patrem: *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis.* [1] *Advocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum.* [2] *Christus Iesus qui mortuus est* pro nobis... *qui est ad dexteram* Patris, *qui etiam interpellat pro nobis,* [3] sicut Moyses in monte pro populo. [4] Dicitur autem a Ioanne Christus *advocatus iustus,* quoniam advocatus vir probus est dicendi peritus. [4a] Sicut autem Christus advocatus noster est apud Patrem, ita Virgo Beatissima advocata nostra est apud Christum omnipotentem Filium.

Magni refert habere pro se advocatum.

II. Et certe magni refert apud regem optimum habere advocatum, patronum, protectorem. Ioseph advocatus fuit apud Pharaonem pro fratribus suis, et quidem optimus, obtinuit a rege pro fratribus quidquid petiit. [5] Regina Esther optima fuit advocata pro Iudaeis, obtinuit quidquid voluit. [6] Ita etiam apud Deum, Regem omnipoten-

1) Io 14, 16. 2) 1 Io 2, 1. 3) Rom 8, 34. 4) Cf. Ex 32, 7 sqq.
4a) Ita M. Cato apud Quintil. *Inst. Orat.* lib. 12, cp. 1, prope initium. Edit. Lugduni 1536.
5) Cf. Gn 47, 12. 6) Cf. Est cpp. 5 et 7.

tem, habere optimum advocatum maximi refert christianae reipublicae totique mundo. Est autem Christus apud Deum optimus advocatus, sicut Ioseph apud Pharaonem, infinitis partibus melior Moyse, qui tamen apud Deum magnam vim habebat, et Deum quodammodo cogebat ut postulata concederet.[6a] Virgo autem Beatissima apud Christum optima pro nobis advocata est, sicut Esther apud Assuerum pro gentilibus suis, sicut Bethsabee apud regem David pro filio Salomone; tam sapienter enim oravit, quod Salomoni filio regnum obtinuit ut Davidi in regno atque imperio totius Israelis succederet.[7] Magni refert clientibus advocatum habere vere amantem sicut pater, sicut mater diligit filios; amor enim verba suggerit ad movendum et persuadendum efficacissima, maxime cum agitur de re gravi. Bethsabee optimam egit advocatam apud Davidem pro Salomone dilectissimo filio; at non sic apud Salomonem pro Adonia, potens Abisag reginam illi in uxorem; nam potius ad iram provocavit Salomonem, ita ut nedum petitam uxorem non dederit, sed vita eum privaverit.[8]

Qualitates advocati plenissime in Christo et in Maria.

III. Requiritur in advocato primo quidem sapientia dicendique peritia et gratia, hinc mulier Thecuitis, quae advocatam egit pro Absalomo apud regem David, sapientiae [ratione] commendatur;[9] deinde vero probitas, diligentia, caritas erga clientes suos, nam, si haec desit, non intendit nervos, non effundit ingenii fontes, non adhibet vivacitatem spiritus et energiam, languida erit oratio; tandem vero gratia et favor apud principem apud quem orat, ut non habeat principem iratum, infensum, male affectum, ut apud principem bonae sit exsistimationis, illique non sit ingratus. Quod si familiaris fuerit, amicus intimus, agaturque de causa vel iusta, vel pia, obtinet quod petit; si de principe optime meritus est, sicut fuit Ioseph Pharaonem, nihil non obtinet.

Talis advocatus Christus est apud Patrem omnipotentem, talis Virgo Beatissima apud omnipotentem Filium. Mulier sapientissima est, optima, nostri amantissima, sicut Esther Assuero. O qualem habemus advocatam apud Christum, de quo, ut mater optima, optime merita est! Vel nutibus omnia potest. Advocatam egit in nuptiis in Cana Galilaeae, paucissimis verbis usa fuit, sed efficacissimis; duo tantum verba dixit: *Vinum non habent*, nihil aliud; et obtinuit sex

6a) Cf. Ex 32, 7-14. 7) Cf. 3 Rg 1, 11-40. 8) Ibid. 2, 13-25. 9) Cf. 2 Rg 14, 1 sqq.

hydrias, multas metretas vini optimi praestantissimi magno miraculo.[10] Cum regina Bethsabee abiit ad regem Salomonem ad petendam gratiam pro Adonia, honoravit eam Salomon tanquam matrem optimam, surrexit de throno in occursum illius, adoravit eam, sedere eam fecit ad dexteram suam, et dixit: *Pete, mater mea; neque enim fas est ut avertam faciem tuam,*[11] idest, ut negem quae postulas, ut repulsam patiaris, ut contemnam praesentiam tuam, sicut suscipere faciem est honorare alicuius praesentiam in Sacris Litteris; nam faciei vocabulo utuntur Hebraei, sicut nos Itali maiestatis, celsitudinis, excellentiae, reverentiae et similibus. Sicut igitur multis modis Salomon sapientissimus matrem honoravit, ita Christus Dominus Virginem Beatissimam honorat in coelo coram Angelis Dei.

IV. Quam grata autem sit advocata haec nostra Domino, expressit Angelus, dum eam gratia plenam dixit, et quod invenit gratiam apud Deum;[12] sed ipse etiam Dominus in *Canticis: Ostende... faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, et facies tua decora.*[13] Omnium quidem sanctarum animarum oratio grata Deo est, sed Virginis Beatissimae oratio super omnia gratissima est, ita ut nihil ab omnipotente Deo non obtineat. Si enim reginae Esther ait Assuerus: *Pete a me quod vis, et dabo tibi, licet dimidium regni mei,*[14] eo quod eam valde diligeret; cum igitur Christus infinitis pene partibus ardentius Virginem diligat, quam rex Assuerus Esther, quid dicet, aut aget cum ea, cum ad interpellandum pro Ecclesia ad ipsum accedit?

Praesertim qualitas gratiae et favoris apud Deum est in Maria.

10) Cf. Io 2, 1-12. 11) 3 Rg 2, 19-20. 12) Lc 1, 28. 30. 13) Ct 2, 14.
14) Est 5, 3. Vulg. habet: *Etiam si dimidiam partem regni mei petieris, dabitur tibi.*

SERMO QUINTUS

DE VIRGINE DEIPARA SUMMA ADVOCATA NOSTRA

Eia ergo, advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte, et Iesum benedictum fructum...

Magnum beneficium synagogae Moyses, Aaron et Maria, quia advocati inter Deum et populum iudaicum.

I. Inter magna beneficia, quae Deus per Michaeam recensei praestitisse se populo suo, quem de Aegypto eduxit, singulariter unum veluti omnium maximum recenset, dicens: *Misi ante faciem tuam Moysem et Aaron et Mariam:*[1] Moysem ducem et principem divinumque legislatorem, Aaronem sacerdotem magnum summumque pontificem, Mariam prophetissam populi veluti matrem. Haec autem singulariter in Divinis Litteris prophetissa dicta est, et prima omnium quam legimus Divino Spiritu afflatam: *Sumpsit Maria, soror Aaron prophetissa, tympanum in manu sua, egressaeque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis et choris, quibus praecinebat, dicens: Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est; equum et ascensorem deiecit in mare.*[2]

Praecipuum autem munus prophetae est advocatum esse hominum apud Deum, cum enim primo legimus prophetam in Sacris Litteris, hoc munus ipsius legimus; sic enim Deus ad Abimelech regem dixit de Abrahamo: *Orabit pro te, quia propheta est, et vives;*[3] postea vero, orante Abraham, sanavit Deus Abimelech.[3a] Sic Prophetae omnes sequestres erant et mediatores, advocati hominum apud Deum; sic Moyses in monte,[4] sic Aaron ingrediens in sanctum sanctorum.[5]

Abraham pro Abimelech,

1) 6, 4. 2) Ex 15, 20-21. 3) Gn 20, 7. Vulg. habet: *Quia propheta est; et orabit pro te, et vives.* 3a) Cf. ibid. 20, 17. 4) Cf. Ex 32, 7 sqq. 5) Cf. Ex 28, 38; Hebr 9, 7.

Hoc vere magnum divinumque beneficium ut populus apud Deum haberet tres optimos advocatos et patronos, Moysem, Aaron et Mariam. Multos etiam postea habuit patronos et advocatos. Nam cum cognovisset universus Israel quod fidelis Samuel propheta esset Domini, ingruente necessitate et in periculo constituti, ad eum recurrebant, ut pro ipsis oraret ad Dominum.[6] Sic Ezechias rex, videns civitatem obsessam ab exercitu Sennacherib, misit ad Isaiam prophetam ut oraret ad Dominum.[7] Sic Prophetae omnes interpretes Dei erant ad homines, divina referentes oracula, ed advocati hominum apud Deum. Singularissimi autem omnium in synagoga fuerunt Moyses, Aaron et Maria.

Samuel pro Israel et Isaias pro Samaria.

II. Ecclesia autem sancta, cum innumeros habeat in coelo patronos et advocatos, duos tantum habet singularissimos: Christum, qui simul summus est princeps ut Moyses, et sacerdos ut Aaron, rex et sacerdos ut Melchisedech: *Advocatum habemus apud Patrem;*[8] post Christum vero Mariam, quae propterea dicta est prophetissa, ut apud Isaiam legimus: *Accessi ad prophetissam, et... peperit filium;* illam dicit prophetissam, de qua prius dixerat: *Ecce Virgo concipiet et pariet filium.*[9] Fuisse autem eam veram prophetissam Canticum ipsius luce clarius ostendit: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.*[10] Cum autem proprium prophetae munus sit Deum orare, et pro hominibus apud Deum advocatum et patronum agere, Maria propterea dicta est prophetissa, [quia] advocata nostra est.

Maximum beneficium Ecclesiae Virgo Deipara quia advocata summa inter Deum et Christianos.

Fuit quidem Maria soror Moysis prophetissa nobilissima, dux et princeps omnium sanctarum mulierum, sicut frater ipsius princeps summus totius populi; sed ut imago quaedam esset divinissimae huius prophetissae quae princeps est omnium sanctarum animarum, Sanctorum omnium sanctissima, quae nunquam, sicut illa, lepra respersa fuit,[11] nulla unquam peccati vel minimi macula infecta. Illa virgo habetur, quoniam non legitur ipsius coniugium; haec autem Virgo purissima semper virgo est, corona virginum: *Adducentur regi virgines post eam, proximae eius afferentur... in laetitia et exultatione.*[12] Sic igitur synagogae magnum Dei donum et beneficium fuit Maria soror Moysis; quale beneficium Ecclesiae existimanda est Maria, Mater Christi, divinissima haec prophetissa?

6) Cf. 1 Rg 3, 20; 7, 7-8. 7) Cf. Is 37, 1 sqq. 8) 1 Io 2, 1. 9) Is 8, 3; 7, 14.
10) Lc 1, 48. 11) Cf. Nm 12, 10. 12) Ps 44, 15-16.

Oratio advocatae Deiparae super omnes orationes Sanctorum Deo gratissima.

III. Sunt quidem Sanctorum omnium orationes Deo carae et supra modum gratae. Hinc legimus quod *viginti quatuor seniores* stantes coram Deo habebant in manibus *citharas et phialas... plenas odoramentorum, quae sunt orationes Sanctorum;* [13] et iterum quod stetit Angelus Domini iuxta aram... *habens thuribulum aureum, et data sunt illi incensa multa ut daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei.* [14] Alludit ad altare aureum incensi in antiquo sanctuario, ubi a sacerdote adolebatur Domino thymiama odoris suavissimi; [15] ad quod alludens Regius Vates, ait: *Dirigatur, Domine, oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.* [16] Erat illud incensum odoratissimum simul et pretiosissimum; hinc iussit Deus ut supra altare aureum adoleretur, nec nisi a sacerdote poterat adoleri. [17] Designatur gratas esse Deo Sanctorum orationes, sicut homini suavissimus odor et sicut musica. Hinc ait Ioannes quod audivit in coelo vocem laudantium Deum sicut vocem citharoedorum citharizantium; [18] hinc cum musicis instrumentis laudabatur Dominus in templo, [19] et David cum cithara divinos Psalmos canebat, [20] ut sciamus orationem Deo suavissimam esse harmoniam. Sic seniores habebant citharas in manibus et phialas aureas plenas odoramentorum. Pretium etiam orationis ostenditur, et quanti fit a Deo, dum in vasis aureis offertur.

Simile: odor incensi et sonus musicae.

Sed quam grata Deo sit Beatissimae Virginis Matris oratio, quis unquam vel mente vel verbis assequatur? Hoc in *Canticis* saepe indicatur: *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis et facies... decora* nimis. [21] *Sicut vitta coccinea labia tua, et eloquium tuum dulce:* [22] *favus distillans labia tua, soror mea sponsa, mel et lac sub lingua tua.* [23] Et adhuc: *Guttur tuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, dentibusque et labiis ipsius ad ruminandum;* [24] hebr.: *Guttur tuum sicut vinum bonum quod defluit dilecto meo quam directissime, loquens labiis dormientium;* idest, sermo tuus tam suavis mihi est, quam suave esse solet amico vinum optimum, quo epoto, veluti balbutiendo instar dormientium loquitur, nam vinum optimum mentem etiam sicut somnus alienat. Indicatur autem quod Sponsae Virginis oratio summam habet apud Deum efficaciam.

Simile: vinum optimum.

13) Apc 5, 8. 14) Ibid. 8, 3. 15) Cf. Ex 30, 7-10. 16) Ps 140, 2. 17) Cf. Ex loc. cit. 18) Cf. Apc 14, 2. 19) Cf. 1 Par 25, 6. 20) Cf. 2 Rg 23. 1 ubi *Psaltes Israel* dicitur; Ps 42, 4; Ps 70, 22. 21) 2, 14. 22) 4, 3. 23) 4, 11. 24) 7, 9. Vulg. habet: *Labiisque et dentibus illius.*

IV. Quoniam autem in mundo hoc Virgo Beatissima sanctitati studuit et orationi, propterea in *Canticis* dicitur mons myrrhae et collis thuris: *Vadam ad montem myrrhae et ad collem thuris. Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te.*[25] Designat myrrha[25a] incorruptam vitae sanctitatem, thus autem orationem. Quod si in hac vita Virgo Beatissima perpetuo operam dedit studio sanctae orationis, quid agere eam in coelis censendum est? Ipsa tabernaculum et templum Domini dicta est,[26] templum autem domus Dei, domus orationis est;[27] ipsa igitur perpetuo orat apud Deum. Sed pro quibus orat? Non pro Filio, quia bonorum nostrorum non indiget;[27a] non pro se, quia iam beatissima est; non pro Angelis et Beatis, qui sunt in paradiso, quia iam Deo, infinito bonorum omnium thesauro, fruuntur. Non potest ergo nisi pro nobis orare, mater pro filiis adhuc in periculis constitutis.

Oratio advocatae Deiparae pro nobis continua est.

V. Sed, o beatos illos, qui vera animi devotione feruntur in Virginem. Mater quidem est omnium, sed tamen praecipua quadam caritate prosequitur eos, qui in ipsam intima cordis devotione feruntur. Rebecca mater erat Esau sicut et Iacob, sed tamen hunc magis dilexit et benedictionem paternam ei procuravit, quoniam ipse Iacob matrem multo magis diligebat et venerabatur, quam Esau; ille nanque venatione delectabatur, hic autem, non ut ille ferus, sed lenis et mitis, domi libenter manebat cum matre; hinc magnam pietatis retributionem accepit.[28]

Beati qui vera animi devotione feruntur in Virginem, quia ipsa est causa omnium beneficiorum Dei.

Misi ante faciem tuam Moysem, Aaron et Mariam. Multa et quidem magna beneficia praestita recensere praetermittit: quod mare diviserit, quod manna pluerit de coelo, quod aquam de petra dederit, quod serpentem exaltaverit, quod hostes prostraverit, quod legem de coelo dederit aliaque innumera; et hoc singulariter commemorat, quod Moysem, Aaron et Mariam miserit, plane, quod hoc in causa exstiterit aliorum. Sic Maria post Christum maximum Dei beneficium est universali Ecclesiae, beneficium beneficiorum, quo maius excogitari non potest, cum apud omnipotentem Deum pro nobis omnia possit; et, sicut Deo non deest velle aut posse concedere omne bonum, ita nec Virgini Deiparae posse aut velle deest intercedere.

25) 4, 6-7. 25a) Ms.: *Myrrham.* 26) Cf. Ps 45, 5 ex locis parallelis.
27) Cf. Is 56, 7; Lc 19, 46. 27a) Cf. Ps 15, 2. 28) Cf. Gn epp. 25-27.

SERMO SEXTUS

DE DUODECIM TITULIS SANCTISSIMI MARIAE NOMINIS

O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria.

Habemus in hoc salutari cantico Deiparae nomen decem titulis ornatum. Nomen ipsius Maria est, tituli vero decem: regina, mater misericordiae, vita, dulcedo, spes nostra, advocata nostra, clemens, pia, dulcis, virgo. Quibus adhuc duo alii addi possunt: misericordes oculos: sicut Christus, cum vidisset viduam flentem ob mortem unici filii, misericordia motus illam consolatus fuit: *Noli flere*, filiumque defunctum suscitavit;[1] ac etiam Arbor vitae: *Iesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende.* Ubi ad illud Elisabeth alluditur: *Benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi ut... Mater Domini mei*, etc.[2] Sic ex his duodecim titulis veluti corona stellarum duodecim composita est, quibus coelestis mulier sole amicta visa fuit a Ioanne in coelo coronata.[3]

1) Cf. Lc 7, 11-17. 2) Ibid. 1, 42-43. Vulg. habet: *Benedicta tu inter mulieres.* 3) Cf. Apc 12, 1.

SECUNDA PARS

SERMONES

DE FESTIS BEATAE MARIAE VIRGINIS

1. – **In Conceptionem Immaculatam** – Sermones undecim.
2. – **In Purificationem** – Sermones sex.
3. – **In Visitationem** – Sermones duo.
4. – **In Festum B. M. ad Nives** – Sermones duo.
5. – **In Assumptionem** – Sermones tres.

1.

IN CONCEPTIONEM IMMACULATAM

SERMONES UNDECIM

SERMO PRIMUS

DE CONCEPTIONE IMMACULATA IN GENERE

Iacob autem genuit Ioseph, virum Mariae, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. [1]

I. Celebramus hodie, fratres, festum immaculatae, purissimae sanctissimaeque conceptionis Deiparae Virginis, quae ab Evangelista Matthaeo ex abrupto introducitur, sed in altissimo dignitatis gradu constituta: *Genuit Ioseph, virum Mariae, de qua natus est Iesus qui vocatur Christus.*

Sanctissimam domum Divinitatis Mariam Deus supra firmam petram gratiae et virtutis, et non super arenam peccati originalis fundavit.

Sacer Evangelista, quaenam, quaeso, haec Maria? Ex quo genere orta? Ex quibus parentibus procreata? Quo loco? Quo tempore nata? Quae illius fortuna? Qui mores? Qualis vita? Unum hoc, inquit, sufficiat scire de ea, quod fuit Sponsa Dei et Mater Christi, Unigeniti Filii Dei: *De qua natus est Iesus qui vocatur Christus.*

Deus, creator omnium, omnipotens est, Sponsam, qualem voluit, elegit, formavit sibi; Christus similiter Deus, [1a] Deo Patri consubstantialis et coaequalis, Matrem ipse sibi elegit, formavit, prout voluit creavit. Cogitate quid Deus sit, quid possit, quid velit, quid deceat

1) Mt 1, 16. Nunc Evangelium festi immaculatae conceptionis est: *Missus est*, etc. Lc 1, 26-28.
1a) Ms.: *Dei*.

tantae Maiestati; deinde quod Maria vera sit Sponsa Dei, vera et naturalis Mater Christi, Unigeniti Filii Dei vivi et veri, Dei omnipotentis: *De qua natus est Iesus qui vocatur Christus:* de qua egressus est sol iustitiae: *Ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.*[2] O divinum thalamum!

Sapiens architectus Deus

Quis fuit domus huius architectus et fundator? *Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus.*[3] Sapiens architectus magnis aedificiis pro fastigii altitudine, iusta proportione et mensura, magna, firma solidaque et in aeternum stabilia fundamenta praeiacit. Sic Paulus ait: *Ut sapiens architectus fundamentum posui;*[4] sic et Christus: *Omnis... qui audit verba mea... et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui aedificavit domum suam super petram; et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit: fundata enim erat super petram.*[5] Voluit Deus fundare magnam molem totius naturae universalis, iecit prius stabilia ac perpetua fundamenta: *In principio creavit Deus coelum et terram,*[6] ex his enim natura omnia procreantur; fundaturus synagogam, iecit fundamenta Patriarcharum sanctissimorum: fundaturus sacerdotium, fundamenta iecit magna Moysem et Aaronem, totius synagogae illustrissimos principes ac in sacris fundatores optimos: *Moyses et Aaron in sacerdotibus eius:*[7] fundaturus Ecclesiam, fundamenta iecit sanctissimorum Apostolorum: *Superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu:*[8] fundamentum Petri: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam:*[9] imo Christum posuit fundamentum, ut Paulus ait: *Fundamentum... aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus:*[10] sic semper Deus sapientem architectum se ostendit. Et sacratissimam hanc domum Divinitatis Mariam non ut sapiens architectus supra firmam petram gratiae et virtutis, sed super arenam peccati originalis fundarit? Stultus vir dicitur a Christo, qui fundavit domum suam super arenam.[11]

in creatione.

in synagoga.

in Ecclesia.

praesertim quoad arcam Divinitatis Mariam.

fundans eam in montibus sanctitatis

Ipse fundavit eam Altissimus. Sed quomodo fundavit eam? *Fundamenta eius in montibus sanctis,*[12] sive, ut est in hebraeo, *in montibus sanctitatis.* Divinum tabernaculum a Moyse fundatum fuit super bases argenteas sicut in *Exodo* legimus.[13] Salomon ex pretiosis lapi-

2) Ps 18, 6. 3) Ps 86, 5. 4) 1 Cor 3, 10. 5) Mt 7, 24-25. 6) Gn 1, 1-7. 7) Ps 98, 6. 8) Eph 2, 20. 9) Mt 16, 18. 10) 1 Cor 3, 11. 11) Cf. Mt 7, 26. 12) Ps 86, 5. 13) Cf. Ex 36, 24 sqq.

dibus fecit divini templi fundamenta,[14] quoniam, ut pater eius dixerat, non homini sed Domino Deo habitatio praeparabatur.[15] De coelesti Ierusalem ait Ioannes in *Apocalypsi* quod non solum muri erant ex auro et portae ex lapidibus pretiosis, verum etiam quod fundamenta erant omni lapide pretioso ornata.[16] Quam ob causam? Quia: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitavit cum eis.*[17] O mirabile fundamentum! Maria divinum habitaculum est a Deo fundatum, divinum habet fundamentum: *Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem,*[18] hoc est, super septem firmissimas columnas fundavit eam. Quid sunt autem hae septem columnae, nisi divinae virtutes et Spiritus Sancti dona coelestiaque charismata in fundamento divinae huius domus?

super septem firmissimas columnas donorum Spiritus Sancti.

II. Tres Dei habitationes legimus in Sacris Litteris: una fuit tabernaculum Moysis,[19] altera tabernaculum David, quod in suo regali palatio praeparaverat religiosissimus rex in Ierusalem,[20] tertia templum Salomonis.[21] Nec sine mysterio. Nam primo quidem domus Dei Ecclesia est, de qua Paulus ad *Timotheum: Scias quomodo oporteat te in domo Dei conservari, quae est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis.*[22] Domus Dei Christus, *in* quo *inhabitat omnis plenitudo Divinitatis.*[23] *Solvite templum hoc...: dicebat autem de templo corporis sui.*[24] Sed etiam domus Dei Maria, cui Gabriel Angelus: *Ave, gratia plena, Dominus tecum,*[25] de qua Regius Vates: *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.*[26]

Silet Spiritus Sanctus circa hoc tabernaculum Divinitatis Mariam, relinquens coniiciendum quam augustum sit a magnitudine Dei, et Christi.

Tres habitationes Dei.

De tabernaculo Moysis, quale fuerit, multa scripta sunt in Sacris Litteris, similiter de templo Salomonis; de tabernaculo autem David nihil penitus, nisi quod levitae introduxerunt arcam Domini et imposuerunt eam in loco suo in medio tabernaculi, quod tetenderat ei David;[27] et alibi: *Aedificavit* David *locum arcae* Domini, et *tetendit ei tabernaculum,*[28] sed in domo sua. Nam, cum audisset quod benedixerat Deus domui Obededom propter arcam Domini, dixit: Ibo et reducam arcam cum benedictione in domum meam.[29] Spiritus Sanctus, quale fuerit hoc Davidis tabernaculum, quam ornatum, quam au-

David tabernaculum figura Mariae.

14) Cf. 3 Rg 5, 17. 15) Cf. 1 Par 29, 1. 16) Cf. 21, 18-21. 17) Ibid. vr. 3.
18) Prv 9, 1. 19) Cf. Ex cpp. 36-38. 20) Cf. 1 Par 15, 1. 21) Cf. 3 Rg 6, 1-38.
22) 1 Tim 3, 15. 23) Col 2, 9. 24) Io 2, 19-21. 25) Lc 1, 28.
26) Ps 45, 5. 27) Cf. 2 Rg 6, 17. 28) 1 Par 15, 1. 29) Cf. 2 Rg 6, 12.

gustum, coniiciendum et intelligendum reliquit ex magna regis David cum potentia tum religione et pietate in Deum, qui ad aedificandam domum Dei in impensas paraverat, praeter lapides, marmora, ligna et ferramenta, auri talenta centum millia et argenti mille millia talentorum.[30] O miram in Deum liberalitatem! Talentum pondus auri erat centum librarum, si auri talentum erat; similiter pondus centum librarum argenti, si argenteum.[30a] Et praeter talem tantamque summam auri et argenti, praeparaverat lapides onychinos omnemque pretiosum lapidem et marmor parium abundantissime.[31] Pro domo Dei aedificanda omnes thesauros suos exposuit, nam aiebat: *Domus...., quam aedificari volo Domino, talis esse debet, ut in cunctis regionibus nominetur.*[31a] Ex hac igitur animi magnitudine et pietate regis potentissimi et pientissimi intelligendum reliquit quale esset tabernaculum quod praeparaverat Domino talis ac tantus rex tali tantaeque Maiestati.

Sic utique de Ecclesia multa legimus, multa de Christo; de Maria non item. Sed intelligendum ac meditandum reliquit Spiritus Sanctus quam magnum et augustum sit hoc tabernaculum a magnitudine Dei, a quo fuit aedificatum, et a magnitudine Christi, cui a Patre omnipotente et amantissimo fuit, ut par erat, dignissime praeparatum, et talem tantamque Maiestatem decebat.

Status quaestionis circa immaculatam conceptionem Virginis Auctoris tempore: liberum est dogma, sed, tanquam pietati magis consentaneum et Virgini magis favorabile, Ecclesia propendit ut Virgo credatur sine peccato concepta.

III. De conceptione aut nativitate Virginis Deiparae nihil penitus litteris consignatum fuit a Sacris Evangelistis. Hinc contestata lis est apud theologos, an Virgo divina concepta fuerit in originali peccato, sicut ceteri omnes filii Adami: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccato concepit me mater mea.*[32] an ex speciali gratia et privilegio praeservata fuerit ab illa labe, ne turpem illam maculam contraheret, qua ab immundo spiritu anima in conceptu foedatur et conspurcatur. Controversum est dogma, ac veluti theologicum problema; non est in Sacris et Canonicis Scripturis definitum, uti sancta et immaculata Christi conceptio ex divina virtute et Spiritus Sancti operatione; nec in sacris Conciliis divina sacrosanctae Ecclesiae auctoritate determinatum est, sicut perpetua Deiparae virginitas in partu, etiam et post partum, sicut etiam quod *Theotocos, Deiparens,* appellanda sit; liberum est dogma ut quisquis pro suo arbitratu sen-

30) Cf. 1 Par 22, 14-16. 30a) De valore talenti idem sentit Ioseph Hebr. *De Antiq. Iud.* lib. 7, cp. 2; alii aliter sentiunt (cf. Vigouroux. *Manual. Bibl.* vol. 1, pag. 345 sqq.). 31) 1 Par 29, 4-5. 31a) 1 Par 22, 5. 32) Ps 50, 7. *In peccato* ex hebr.

tiat in hac re quid sibi decentius, rationabilius ac verosimilius visum fuerit, quoniam nec Divinarum Scripturarum nec sacrosanctae Ecclesiae ad litem hanc dirimendam intercedit auctoritas; nisi quod in hanc partem, uti pietati magis consentaneum, propendere videtur Ecclesia, ut credatur sine peccato concepta.

Potuit Deus Virginem ab omni peccati macula praeservare.

IV. Et merito quidem hanc in partem Virgini, ut ita dicam, magis favorabilem propendit universalis Ecclesia. Neque enim fas est credere quod Deus non potuerit ex gratia et privilegio singulari Virginem Deiparam ab illa peccati labe praeservare, nam: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum*,[33] dixit ad Virginem Gabriel, sicut et alius Angelus ad Saram: *Nunquid Deo quicquam est difficile?*[34]

Deus se praebet omnipotentem in creatione.

Qui mundum ex nihilo potuit dicto citius solo voluntatis nutu creare, lucem ex tenebris educere, lunam luce plenam et solem ab initio lucidissimum facere, paradisum deliciarum omni voluptate refertum procreare, hominem ad imaginem et similitudinem suam gratia plenum formare, et mulierem homini simillimam efficere;[34a] potuit et Virginem gratia plenam omnibusque virtutibus ac coelestibus charismatibus praeditam in utero matris divinitus procreare et praeservare a peccato;

In populi israelitici historia.

sicut liberavit Noe a diluvio,[35] Loth ab incendio,[36] rubum Moysi a flamma ignis, ne combureretur,[37] Moysem ab aquis Aegypti, ne cum ceteris infantibus praefocaretur,[38] sicut Rahab ab excidio Ierico,[39] Ionam a morte in mari,[39a] Danielem in lacu leonum,[40] tres fideles adolescentes ab igne fornacis babylonicae, ubi procul dubio periissent, nisi divinitus ab Angelo coelesti servati non sine miraculo fuissent.[40a]

Deus derogavit aliquando legi universali mortis,

Potuit Deus Virginem a communi lege peccati eximere, sicut Henoch[41] et Eliam[41a] a communi lege mortis, sicut Ioseph in Aegypto terram sacerdotalem a communi tributo,[42] sicut Assuerus reginam Esther a communi et universali decreto,[42a] sicut Augusta ex privilegio non tenetur nec subiacet communibus legibus,[43] sicut sacrosancta oecumenica Synodus Tridentina in communibus ac generalibus canonibus et decretis de peccato originali ipsam Virginem includere non intendit,[43a] sicut Deus ipse Virginem ipsam a communi lege conceptus et partus mulierum exemit, ut sine viro conciperet, et sine

33) Lc 1, 37. 34) Gn 18, 14. 34*a*) Cf. ibid. cpp. 1-2. 35) Cf. ibid. 6, 8 sqq. 36) Cf. ibid. 19, 15. 37) Cf. Ex 3, 2. 38) Cf. ibid. 2, 5-10. 39) Cf. Jos 6, 22-25. 39*a*) Cf. Jon 2, 1-11. 40) Cf. Dn 6, 19-22. 40*a*) Cf. ibid. 3, 46-50. 41) Cf. Gn 5, 24. 41*a*) Cf. 4 Rg 2, 11. 42) Cf. Gn 47, 22. 42*a*) Cf. Est 15, 13. 43) Cf. *Cod. Iustiniani*. ff. De Legibus, 1. *Princeps*. 43*a*) Sessio V *De Peccato Orig.*

dolore pareret, virgoque perpetua carnalis concupiscentiae ardores et libidinis flammas nunquam sentiret.

legi universali circumcisionis;

Dederat Deus Hebraeis communem legem et universale praeceptum circumcisionis: [44] in deserto tamen, honesta causa et rationi consentanea intercedente, natos infantes a lege illa exemit, neque enim toto spatio quadraginta annorum in deserto circumcisi fuerunt. [45] Sic potest Deus, auctor omnis legis et omni lege superior, cum ei placuerit, latam solvere legem, sicut in adventu Christi veterem legem solvit atque delevit. Potuit ergo etiam in Maria communem peccati originalis legem solvere et intermittere; neque enim haec singulari privilegio divinas manus adeo obligavit et vinxit, ut eam solvere nullo modo posset, nullaque unquam ratione, honestissima licet intercedente causa, violare. Deus enim summus est imperator, summus monarcha, nullis omnino tenetur legibus: *Omnia quaecumque voluit Dominus fecit in coelo et in terra.* [46] Potuit igitur Virginem benedictam ab omni peccati macula praeservare.

ergo potuit derogare legi universali peccati quoad Virginem.

Voluit Deus Virginem a peccato praeservare, quia honor Dei, honor Christi, honor Virginis Deiparae hoc requirit.

V. Nec tamen potuisse statuendum est, quod nemini dubium esse potest, nisi omnino desipiat, verum etiam voluisse: decebat enim, sicut scriptum est: *Domum tuam... decet sanctitudo... in longitudine dierum.* [47] Hinc divino mandato intra sanctuarium Domini nihil penitus unquam admittebatur immundum; [48] sicut etiam legimus quod nemo indutus sacco, idest, sordido vilique vestimento, intrare poterat aulam regis Assueri, [49] et quemadmodum de coelesti Ierusalem dixit Ioannes quod *non* introibit *in eam aliquod coinquinatum;* [50] Deus enim summus est impuritatis osor, summus puritatis amator.

Hoc requirit honor Dei, Sponsi Virginis amantissimi virginitatis spiritus magis quam corporis.

Decebat propter honorem Domini, sicut Augustinus contra Pelagianos ait: « Cum de peccatis agitur, de sancta Virgine Maria propter honorem Domini nullam prorsus habere volo quaestionem». [51] Sacerdos magnus et pontifex, synagogae totius hierarcha, secundum legem non poterat uxorem ducere mulierem defloratam, sed tantum virginem de populo suo; [52] et Deus Mariam sibi desponsarit a satana violatam ac defloratam? virginem quidem carne, spiritu autem minime? ut satana obgannire posset et dicere tum Deo tum Christo: An non ego Mariam per originale peccatum mihi servam violavi, flo-

44) Cf. Gn 17, 10; Lv 12. 3. 45) Cf. Jos 5, 6. 46) Ps 134, 6. 47) Ps 92, 5. Vulg. habet: *Longitudinem.* 48) Cf. Lv 12, 4; 21, 16-22; 22, 19-24. 49) Cf. Est 4, 2. 50) Apc 21, 27. 51) *De Natura et Gratia* cp. 36. (P. L. 44, 267). 52) Cf. Lv 21, 13-14.

remque virginalis innocentiae ex eius anima ego non legi? Si Deus, qui spiritus est,[52a] tanti fecit corporalem virginitatem, ut eam omnino incorruptam et perpetua virginitate florentem voluerit, et in finem usque servaverit; cum spiritualem virginitatem contempserit, ut a satana eam violare permiserit?

Hoc requirit honor Virginis utriusque puritatis amantissimae.

Et quidem Virgo ipsa virginalem puritatem tanti faciebat, ut maternitati Dei, quae summa et infinita dignitas est, eam anteferret, malletque virgo permanere, quam Dei Mater esse cum virginitatis iactura. Hinc dicenti Angelo: *Invenisti... gratiam apud Deum; ecce concipies in utero et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum; hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur,*[53] non statim assensit talibus tantisque mota divinis promissis, sed: *Quomodo,* inquit, *fiet istud, quoniam virum non cognosco?*[54] Videtis quam cara est Mariae virginalis puritas! Non praebuit Gabrieli assensum, nisi postquam audivit: *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi... quod* enim *ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei;*[55] tunc Angelo assensa fuit, cum certo cognovit integra et illibata virginitate Unigenitum Dei Filium mundo parituram. Quod si Virgo prudentissima et sapientissima tanti fecit corporalem puritatem floremque virginitatis; quid de spirituali, quae multo praestantior est Deoque et Angelis similior, sentiendum?

Honestas dici solet mulierum honor; corporalis honestas honor est apud homines, spiritualis apud Deum. Cur censeamus Virginem honore hoc apud Deum privatam fuisse? Nam si originale peccatum contraxit, violata a satana fuit. Non habet ergo apud Deum spiritualis virginitatis honorem, quem Eva habuisset, si, antequam peccaret, in coelum translata fuisset.

Honor igitur Dei, honor Christi, honor Virginis Deiparae requirit ut eam sicut corpore, sic etiam anima et spiritu virginem omnino puram, illibatam, inviolatam existimemus, et utriusque virginitatis florem et honorem ei tribuamus.

Hoc requirit honor Christi Virginis Filii.

Dignus est omni honore Christus. Pater autem, qui pro dignitate eum gloria et honore coronavit, et constituit eum super opera manuum suarum, ac omnia subiecit sub pedibus eius,[56] sicut omnipotens est, ita ut nullum non possit Filio praestare honorem; ita erga eum

52*a*) Cf. Io 4, 24. 53) Lc 1, 30-32. 54) Ibid. 1, 34. 55) Ibid. 1, 35. Vulg. habet: *Nascetur ex te,* etc. 56) Cf. Hebr 2, 7-8.

infinita est caritate affectus, ut omnem pro dignitate et merito praestare velit: *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui,* [57] ait tum in Iordane, tum in monte sancto, cum Christum gloria divina decoravit. Sic Deus Christum humilem pro nobis factum *exaltavit*, sive, ut graece est, *superexaltavit, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen,* [58] idest, honorem et gloriam super omnem honorem et gloriam. Pertinebat autem ad Christi honorem, ut de matre nasceretur virgine corpore et spiritu omnino inviolata.

Divinae Litterae non semper, dum generaliter loquuntur, in ea generalitate omnes et singulos includunt.

VI. Propendit etiam sacrosancta universalis Ecclesia in hanc sententiam immaculatae conceptionis Virginis Matris Dei, quoniam Sacris Litteris conformis et consentanea non minus quam rationi est. Videntur quidem Divinae Litterae generalibus quibusdam enunciationibus, quibus a peccato neminem excipiunt, Mariam quoque sub communi lege peccati inclusam involutamque enunciare: *Nemo mundus a sorde;* [59] *In quo omnes peccaverunt;* [60] sed tamen scitum est familiare esse Divinis Scripturis generaliter loqui, nec tamen in ea generalitate, ut ita dicam, omnes et singulos includunt.

Legimus quod *omnis... caro corruperat viam suam,* [61] nec tamen Noe; [61a] quod *omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum,* [62] nec unus quidem, et tamen multi semper iusti in Ecclesia Dei extitere; *omnis homo mendax,* [63] et tamen Prophetae et Apostoli veraces; *omnes avaritiam sequuntur,* [64] et tamen multi pauperes spiritu; *omnes... quae sua sunt quaerunt, non quae Iesu Christi,* [65] et tamen multi caritate praediti, quae *non quaerit quae sua sunt;* [66] *confluent ad eum omnes gentes,* [67] et tamen multae nationes in Christum minime credunt: *effundam spiritum meum super omnem carnem,* [68] et tamen multi carnales et animales non percipientes *quae sunt spiritus Dei;* [69] *vult omnes homines salvos fieri,* [70] multi tamen pereunt, multis dicet: *Ite, maledicti, in ignem aeternum.* [71] Quid mirum ergo si a generali illa enunciatione: *In quo omnes peccaverunt*, una excipiatur Virgo? Sine expresso Divinae Scripturae testimonio excipitur Virgo ab omnibus theologis uno ore a generalibus enunciationibus actualium peccatorum: *Omnes nos* sicut *oves erravimus, unus-*

57) Mt 17, 5; 3, 17. 58) Phil 2, 9. Vulg. loc.: *Dedit*, habet: *Donavit*. 59) Job 14, 4. Ex textu hebr. 60) Rm 5, 12. 61) Gn 6, 12. 61*a*) Cf. ibid. 6, 9. 62) Ps 13, 3. 63) Ps 115, 2. 64) Jer 8, 10. 65) Phil 2, 21. 66) 1 Cor 13, 5. 67) Is 2, 2. Vulg. habet: *Fluent*. 68) Joel 2, 28. 69) Cf. 1 Cor 2, 14. 70) 1 Tim 2, 4. 71) Mt 25. 41. Vulg. habet: *Discedite a me*, etc.

quisque in viam suam declinavit; [72] *In multis... offendimus omnes;* [73] *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; Non est... homo... qui faciat bonum, et non peccet;* [74] *Septies* in die *cadit iustus;* [75] *Omnes iustitiae nostrae sicut pannus mulieris menstruatae;* [76] cur ergo absque expresso Scripturae testimonio eximi non potest a communi enunciatione peccati originalis? Nam illi quoque sicut et isti communes sunt, universales, generales canones neminem excipientes. Quod si a generali illa enunciatione Paulus expresso verbo Virginem non excepit, neque ab alia generali: *In omnes homines mors pertransiit,* [77] exemit Enoch et Eliam; ac propterea censendi sunt diem obiisse?

VII. At vero, licet in generalibus propositionibus inclusa videatur, dum tamen singulariter Divinae Litterae de Virgine Matre Dei sermonem habent, nullam penitus de peccato faciunt mentionem, sed tota immaculata praedicatur: *Tota pulcra es tu amica mea, et macula non est in te.* [78] Unica *est columba mea, immaculata mea.* [79] Hinc aurorae, idest, matutinae stellae, quae nunquam maculam novit, lunae plenae, quae sic a Deo creata fuit, soli purissimae lucis et candoris ab initio comparatur, prospicitur *quasi aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol.* [80] Num aliquando maculam aliquam obscuritatis et tenebrarum habuit lucidissimus sol? Hinc a Ioanne *mulier sole amicta* dicitur *et luna sub pedibus eius.* [81] Quid luna haec plena instar basis sub pedibus Mariae, nisi quod tota in plenitudine gratiae fundata fuit? Paradisus deliciarum fuit: *Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus, emissiones tuae paradisus:* [82] sed ille divinitus plantatus fuit in terra nulli maledicto obnoxia. [82a] Lilio comparatur, flori pulcherrimo, sive rosae, nam *susan* hebraice utrumque significat: *Sicut lilium,* sive *rosa, inter spinas, sic amica mea inter filias.* [83] Oritur quidem rosa ex spinis, sed absque ulla spina, tota pulcra, odorata, suavis; sic Maria ex peccatoribus orta est, sed sine peccato, tota similis Christo, sicut Eva Adamo. [83a]

Cum tamen S. Litterae de Virgine sermonem habent, nullam penitus de peccato faciunt mentionem, sed totam immaculatam praedicant innumeris figuris.

Figurae inanimatae.

Sine peccato Adam formatus fuit, totus purus, innocens, sanctus; erat enim, ut Paulus ait, *forma futuri,* [84] idest, Christum praefi-

Figurae animatae.

72) Is 53, 6. 73) Iac 3, 2. 74) Eccle 7, 21. 75) Prv 24, 16. 76) Is 64, 6. Vulg. habet: *Et quasi pannus menstruatae universae iustitiae nostrae.* 77) Rm 5, 12. 78) Ct 4, 7. 79) Ibid. 6, 8. *Immaculata* ex hebr. 80) Ibid. 6, 9. 81) Cf. Apc 12, 1. 82) Ct 4, 12-13. 82a) Cf. Gn 2, 8. 83) Ct 2, 2. 83a) Cf. Gn 2, 18. 84) Rm 5, 14.

gurabat; similiter Eva divinitus fuit efformata tota pura et sancta mente et corpore, virgo illibata; sicut autem Adam Christi fuit divina quaedam imago, ita plane Eva Virginis Deiparae. Mulier, quam praeparaverat Dominus filio Abrahami, virgo erat pulcherrima et incognita viro;[85] cur haec, quam praeparavit Deus sibi in sponsam et Unigenito Filio suo in matrem, cognita satanae ab eoque violata ac deflorata spiritu censenda est?

Ex propitiatorio, figura Christi, et arca, figura Mariae, eruitur Mariae sanctitas a primo conceptionis instanti; ex eorum mensuris autem eruitur quod Virgo Deipara maior Sanctis et Angelis est, et ideo absque peccati macula.

VIII. Locus specialis habitationis divinae sanctum sanctorum dicebatur,[85a] idest, locus omnino sanctissimus: sic Maria. Ibi divinum erat propitiatorium, arca testamenti et Cherubim, nihil aliud.[86] Propitiatorium designabat Christum: *Ipse est* enim *propitiatio pro peccatis nostris*,[86a] quem dedit Deus propitiatorem; Cherubim Angelos; arca Mariam: *Ingredere in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae;*[87] *Beatus venter qui te portavit;*[88] *Dominus tecum;*[89] sic arca Dei Maria. Sed quid quod uno eodemque loco, qui Dei proprius erat, haec tria reposita fuere? Quoniam haec tria, sicut Deus, absque omni peccati macula.

Omnibus mensuris Christus infinitus in sanctitate.

Adverto autem ibi non contemnendum, ni fallor, mysterium. Comparatur arca divino propitiatorio eique commensuratur, imo aequalis omnino est in longitudine et latitudine, non autem in altitudine; nam divini propitiatorii altitudo non mensuratur, sed tantum longitudo et latitudo, cui arca erat omnino aequalis.[90] Sed quaenam longitudo divini propitiatorii? Longitudo Dei aeternitas est, latitudo immensitas, qua omnia replet, altitudo infinita omnis perfectionis excellentia. Longitudo Christi a primo instanti et momento suae conceptionis usque in finem vitae, latitudo ipsius divinorum charismatum plenitudo: *Verbum caro factum est... plenum gratiae et veritatis;*[91] altitudo infinita est, mensurari non potest: *Non enim ad mensuram*, ut Ioannes ait, *Pater dedit et spiritum*,[92] infinita ipsius gratia et sanctitas, infinita merita.

Virgo latitudine et longitudine, non altitudine sanctitatis similis Christo.

Quid ergo est quod arca aequalis omnino propitiatorio in longitudine et latitudine, non autem in altitudine? Tota Mariae vita, sicut et Christi, a primo conceptionis instanti sancta fuit; tota Maria *gratia plena*[92a] divinisque charismatibus ornata, sicut et Christus, non tamen quoad gradum perfectionis. Aequalis luna soli quoad longitudinem temporis, aequalis quoad latitudinem mundani spatii, quia

85) Cf. Gn 24, 16. 85*a*) Cf. Ex 26, 33-34. 86) Cf. ibid. loc. cit.: Hebr 9, 4. 86*a*) 1 Io 2, 2.
87) Ps 131, 8. Vulg.: *Surge, Domine, in requiem*, etc. 88) Lc 11, 27. 89) Ibid. 1, 28.
90) Cf. Ex 37, 1-6. 91) Io 1, 14. 92) Io 3, 34. Vulg.: *Dat Deus*, etc. 92*a*) Lc 1, 28.

sicut sol totum mundum illustrat, sed non quoad gradum lucis. Aequalis est gloria omnium Angelorum ac beatorum spirituum in coelo quoad longitudinem, quia ab initio beati, quoad latitudinem, quia omnes perfecte beati, sicut pisces in mari; sed non omnium unus ac idem est beatitudinis gradus, sed sicut *stella... differt a stella in claritate;* [93] sic Maria aequalis Christo in longitudine et latitudine sanctitatis et gratiae, non autem in altitudine, quia gratia quidem Christi infinita, Mariae autem finita et ab ipso Christo accepta et communicata, nam *de plenitudine eius nos omnes accepimus.* [94]

Ex arcae mensuris sanctitas Mariae superior gratia Angelorum, sed uno gradu inferior gratia Christi.

Nec vacat mysterio quod altitudo arcae cubiti unius ac semis describitur, [95] idest, novem palmorum, nam cubitus sanctuarii sex palmos continebat, communemque cubitum palmo, idest, quatuor digitis excedebat, sicut Ezechiel insinuavit: *Ista est mensura altaris in cubito verissimo, qui habet cubitum et palmum;* [96] novem igitur palmos habebat altitudinis et tantumdem latitudinis. Quid hoc est nisi quod Maria omnem novem angelicorum ordinum gratiam omnemque omnium Angelorum perfectionem in seipsa continebat? Unus ei palmus deest ad denarium divinae perfectionis; uno, ut ita dicam, gradu inferior Christo Filio suo est, vivo et vero Deo. Quod si omnium Angelorum gratiam, virtutem, sanctitatem, perfectionem Maria divinitus obtinuit, quis nescit quod Angeli purissimi omnino sunt et absque omnis penitus macula peccati? Quoad Angeli omnes pulcherrimae sunt divinae puritatis et sanctitatis imagines?

Idem eruitur ex mensuris propitiatorii.

Divinum propitiatorium magnitudinis ex longitudine et latitudine quatuor habebat integros perfectosque cubitos; quaternarius autem Divinitatis hieroglyphicum est, unde nomen Domini *tetragrammaton,* [96a] et Pythagorici per *tetractin, quaternarium,* iurabant; [97] virtute etiam quaternarius denarium continet, numerorum omnium supremam sphaeram, numeros omnes continentem. Sed arca ex longitudine, latitudine et altitudine quinque cubitos et semissem magnitudinis continebat; semisse deficiebat a senario, qui perfectus est numerus et perfectorum primus, unde sex diebus perfecit Deus opus mundanae

93) 1 Cor 15, 41. 94) Io 1, 16. 95) Ex 37, 1. 96) Cf. Ez 43, 13. Vulg. habet: *Istae autem mensurae,* etc. De cubito sacro et communi idem sentit et Maldonatus, *Comment. in Ez.* 40, 5; alii aliter sentiunt. 96a) Graec., idest, quatuor litteris constans. Est autem יהוה
97) Cf. Macrob. *Somn. Scipionis,* lib. 1, cp. 6. Edit. Lugduni Bat. an. 1670.

creationis, [97a] candelabrum aureum sex calamos habebat, [98] et Seraph sex alas. [98a] Indicat Spiritus Sanctus quod Virgo Deipara parum distat a summa perfectione sanctitatis Christi, paulo inferior est sanctitate et gratia Christi, sed tamen excedit quinarium, per quem omnis creatura Deo inferior designatur; unde in templo Salomonis mare aeneum quinque cubitorum erat altitudinis,[99] alae quoque Cherubim singulae quinque cubitorum erant,[100] candelabra etiam et mensas posuit in templo quinque a dextris, quinque a sinistris; [101] omnis enim creaturarum perfectio imperfecta est, si Deo componatur, sicut omnis splendor stellarum, si luci solari comparetur. Maria autem excedit quinarium, et semisse tantum a senario distat, paulo minorata Christo, simillima tamen ei, unde Christus Sanctus Sanctorum, Maria vero Sancta Sanctarum et Sanctorum.

Omnes gratiae creaturis datae simul in Maria collectae.

Unde apud Ezechielem legimus: *Ista est lex domus in summitate montis; omnis finis in circuitu sanctum sanctorum est.* [102] Sic ipsa *mons domus Domini in vertice montium.* [103] O Virginem Sanctissimam, quae hominum vel etiam Angelorum lingua aut mens eloqui et capere poterit altitudinem gratiae et sanctitatis tuae? Quidquid Deus sparsim largitus fuerat Angelis in coelo et Sanctis suis in terra, omnia simul collecta contulit in Mariam.

Sic Isaias ait: *Laetabitur deserta et invia, et exultabit solitudo, et florebit quasi lilium; germinans germinabit, et exultabit laetabunda et laudans; gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron.* [104] Desertum appellat Virginem, sicut alibi: *Ascendet sicut virgultum coram eo et sicut radix de terra sitienti* [105] propter virginitatem, quia virgo concepit et peperit, sicut ait ipsemet: *Ecce Virgo concipiet et pariet filium;* [106] sic nunc: Terra, inquit, deserta *germinans germinabit,* sed maxima cum laetitia et exultatione: *Exultabit laetabunda et laudans.* Quam ob causam? Quia *gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron,* qui montes erant in terra promissionis altissimi, pulcherrimi, feracissimi ac deliciarum omnium abundantissimi, [106a] unde Sponsus in *Canticis* Libano comparatur: *Species eius ut Libani.* [107] Sic quidquid boni et pulchri in synagoga, in Ecclesia, in paradiso repertum est boni, in Mariam collatum est, quoniam ipsa paritura erat verum Deum, sicut subiungit: *Ipsi videbunt gloriam Domini et decorem Dei nostri..., Deus ipse veniet et salvabit nos.* [108]

97a) Cf. Gn 1, 1 sqq. 98) Cf. Ex 37, 18. 98a) Cf. Is 6, 2. 99) Cf. 3 Rg 7, 23-24. 100) Cf. 3 Rg 6, 23-26. 101) Cf. 2 Par 4, 7-8. 102) 43, 12. 103) Is 2, 2. 104) 35, 1-2. 105) 53, 2. 106) 7, 14. 106a) Cf. *Lex. Bibl.* Vigouroux sub citatis verbis. 107) Ct 5, 15. 108) Is 35, 2-4.

Hinc idem Vates quasi divinum miraculum Virginem introduxit: *Dominus dabit ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet et pariet filium,*[109] sive, ut hebraice est: *Ecce Virgo concipiens et pariens filium.* Virginem autem *hahalmah* appellavit, idest, *absconditam, secretam, incognitam,* hebraica phrasi, qua mulierem cognoscere, licet maritali complexu, dicunt turpitudinem revelare, sicut in *Levitico* saepe legimus.[110] Virgo haec vere abscondita, intacta etiam spiritu, quia a satana tacta nequaquam fuit, sed semper sancta extitit sicut et Christus. Hinc ipse idem Vates agens de plenitudine gratiae Christi, Mariam cum eo coniunxit dicens: *Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini,*[111] idest, omnis fons Spiritus Sancti. Sic etiam Gabriel Angelus Mariam cum Christo coniunxit: *Ave, gratia plena, Dominus tecum;*[112] sic et Elisabeth Spiritu Sancto repleta: *Benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus ventris tui.*[113] Quidnam singularis ista coniunctio? Quaenam ista singularis gratiae plenitudo? Singularis ista benedictio, qua, sicut et Christus, benedicta dicitur? Si cum ceteris maledicta ob peccatum, quomodo ab Angelo et ab Elisabeth supra omnes mulieres benedicta dicitur et praedicatur?

Maria puritatis miraculum.

IX. Et quidem a Gabriele *gratia plena* salutatur; nec tamen explicatur quando fuerit gratia divinitus plena, sicut nec quando nata aut quando concepta. Ab Elisabeth etiam una cum Angelo *benedicta inter mulieres* praedicatur, nec tamen quando tali ac tanta benedictione coelestium charismatum fuerit veluti ingenti thesauro locupletata. Quid igitur censendum, nisi quod gratia plena et benedicta fuerit in matris utero divinitus procreata atque formata?

A S. Scriptura nobis relinquitur ut credamus tunc Virginem fuisse sanctificatam cum in matris utero procreata fuit.

Solem nunc videmus, sed talem utique qualem ab initio condidit illum Deus in primo momento creationis suae. Legis quod patriarchae Iacob ortus fuit sol postquam transgressus fuit Phanuel, ubi cum Angelo luctatus fuerat, eumque viceret ac superaverat.[114] Qualis sol ortus fuit Iacob? Qualis utique ab initio creatus fuit a Deo. Quando accepit sol a Deo tantam lucis copiam? Quando creatus fuit. Quando coelum tantam claritatem? Quando creatum fuit.

Sol luce plenus in primo momento suae creationis;

109) 7, 14. 110) Cf. 18, 6-18. 111) 11, 1-2. 112) Lc 1, 28.
113) Ibid. 1, 48. Vulg. habet: *Benedicta inter mulieres.* 114) Cf. Gn 32, 24-31.

Angeli et protoparentes sanctificati quando creati;

Legimus Angelos sanctos, [114a] nec legimus quando sanctificati sint; quando ergo sanctificati fuerunt? Utique quando creati. Legimus primos parentes natos cum dono innocentiae et iustitiae originalis, [115] nec tamen legimus qua temporis momento donum hoc acceperint; sed credimus quod quando a Deo ad imaginem et similitudinem suam creati formatique fuerunt. Cur non etiam de Virgine Deipara ita sentiamus? Sanctam legimus, gratia plenam, benedictam a Domino, nec legimus quando sit sanctificata; liberum igitur relinquitur nobis ut credamus tunc fuisse sanctificatam, cum in matris utero, licet naturaliter, non tamen sine divino miraculo fuit procreata.

ergo et Virgo.

Ieremia et Ioannes in utero sanctificati, Virgo in sanctitate concepta.

Si Prophetam Christi Deus in utero matris sanctificavit, Ieremiam dico; [115a] si Praecursorem Christi Ioannem nedum sanctificavit, sed etiam Spiritu Sancto replevit, priusquam ex matris utero nasceretur; [116] cur non Matrem Christi sanctificaverit, et Spiritu Sancto repleverit statim ab initio, ita ut sanctitas et gratia cum illa sit concreata, sicut lux cum stellis firmamenti? Si Angelos, ut digni essent divini Numinis ministri, ab omni peccato praeservavit, statimque ab ipso initio suae conditionis eos sanctificavit; quomodo non Mariam, ut digna esset Sponsa et Mater? Si, cum coelum elegerit in habitaculum suum et sanctorum Angelorum, purum omnino esse voluit et ab omni impuritate et corruptionis labe alienum; cur non et animatum coelum suumque habitaculum Mariam? Si Salomon, Divino Spiritu afflatus, omnibus quibus licuit modis divinum templum ornavit [116a] pro infinita Dei dignitate et maiestate; cur non sic Spiritus Sanctus maiestati Unigeniti Filii Dei dignum habitaculum praepararit? Imo si Salomon thronum regium sibi fecit mirabili artificio et magnificentia totum ex candidissimo ebore et auro purissimo, praestantissimo, optimo; [117] cur non similem thronum sibi Christus, Verbum et Sapientia Dei omnipotentis, operatus fuerit?

Ecclesia in sententiam immaculatae conceptionis propendit. Concilium Basiliense.

X. Multis igitur rationum momentis sancta Ecclesia in sententiam immaculatae conceptionis propendit, quoniam, sicut in Basiliensi Synodo dicitur, «sententia haec pia est, consona cultui ecclesiastico, fidei catholicae, rectae rationi et Sacrae Scripturae». [118] Licet autem

114a) Cf. Mt 18, 10. Angelos in gratia creatos communiter tenent theologi, quos videre potes apud Suarez, *De Angelis*, lib. 5, cp. 4. 115) Cf. Gn 1, 27; Eccle 7, 30; Eph 4, 23-24. Certum est primos parentes in actu creationis ad statum supernat. per gratiam fuisse elevatos. Cf. eundem, *De Opere Sex Dierum*, lib. 3, cp. 17. 115a) Cf. Jer 1, 5. 116) Cf. Lc 1, 15. 116a) Cf. 3 Rg 6, 1-38. 117) Cf. ibid. 10, 18-20. 118) Sessio 36, *De Conceptione Virginis*.

Synodus illa non sit Romanae Ecclesiae calculo probata,[119] unde nec plenam habet concilii auctoritatem, conventus tamen doctissimorum Antistitum et lectissimorum theologorum coetus, qui omnes uno ore hanc protulere sententiam, non potest apud cordatos et sapientes viros non magnum pondus habere; sicut et parisiense gymnasium et omnis fere toto orbe christiano academia, omnis schola, omnes universitates florentium studiorum immaculatae conceptionis sententiam suis calculis comprobarunt.[120] Et ipsa Romana Ecclesia, matrix et regina omnium ecclesiarum, festum celebrat immaculatae conceptionis, et multi Romani Pontifices festum hoc multis propositis indulgentiis corroborarunt et cohonestarunt pro eximia in Deiparam Virginem pietate. Sic totus fere christianus orbis celebrat solemne festum immaculatae conceptionis. Nec solum Romana Ecclesia, verum etiam Graeca.

Scholae.

Ecclesia Romana et Graeca festum immaculatae conceptionis celebrant.

Et nos igitur sacratissimum festum hoc cum universali Ecclesia devotissime celebremus, ut sicut ipsa Virgo Deipara ex praevisa morte Unigeniti Filii sui ab omni peccati labe divinitus praeservata ac praeliberata fuit, ita per sanctissimam ipsius intercessionem ipsi quoque, ab omni sorde peccatorum purgati, ad Deum puri et mundi pervenire tandem valeamus.

Celebremus et nos.

119) Cf. Mansi, t. 29, pag. 1168 sqq.

120) Cf. Passaglia S. I. *De Conceptu Virg.* p. 3, sect. 7.

SERMO SECUNDUS

LUX INFINITA GRATIAE MARIA IDEO IMMACULATA

Liber generationis Iesu Christi, Filii David, Filii Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Iudam et fratres eius. [1]

Sicut ex infimis elementis pretiosissimae et pulcherrimae res et e tenebris lux; ita e peccatoribus Maria Immaculata.

I. Si in terrae visceribus obscuris illis quidem et tenebricosis, intra vilissimum hoc elementum, quod excrementum et sordida immundaque faex est omnium elementorum, generantur tamen metalla summi pretii: argentum, ex quo coelum factum esse videtur, et aurum, quo sol constare videtur, gemmaeque pretiosissimae illis persimiles, quibus firmamentum apparet pulcherrimo spectaculo ornatum; si nascitur ex spinoso rubo rosa, pulcherrimus flos, et ex insipida arbore fructus sapidissimi ac suavissimi; mirum enim est, si, Dei operante virtute, ex parentibus peccatoribus Beata Virgo Maria, Mater Dei, nata est tota pura, munda et sancta, absque omni macula peccati vel actualis vel originalis, sola post Christum singulari hoc privilegio dotata tanquam unica phoenix, sicut sola electa fuit, ut tanti Dei Mater et Genitrix esset? Sic, cum totus mundus tenebris esset opertus, Deus lucem produxit, ex qua solem postea formavit, eamque a tenebris omnibus divisam ore suo tanquam bonam laudavit: *Terra erat inanis et vacua... et spiritus* Domini *ferebatur super aquas. Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quod esset bona, et divisit* eam *a tenebris; appellavitque lucem diem.* [2]

1) Mt 1, 1-2. 2) Gn 1, 2-5.

Quinam lux in Scripturis.

Lux aliquando in Scripturis Divinis dicitur Deus: *Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae;*[3] *Dominus lux mea et salus mea;*[4] aliquando Christus: *Ego sum lux mundi;*[5] *Ego lux in mundum veni;*[6] *Quandiu sum in mundo, lux sum mundi;*[7] *Erat lux vera quae illuminat omnem hominem;*[8] lux Apostoli: *Vos estis lux mundi;*[9] lux Angeli: *Transfigurat se in angelum lucis;*[10] lux omnes fideles: *Eratis... aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino, ut filii lucis ambulate;*[11] lux lex: *Mandatum lucerna est, et lex lux;*[12] lux Evangelium: *Populus, qui habitabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est eis;*[13] lux fides: *Filii huius saeculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt;*[14] lux iustitia: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona;*[15] lux gratia: *Lux orta est iusto, rectis corde laetitia;*[16] lux gloria: *Erit tibi* Deus *in lucem sempiternam.*[17]

Maria lux, quia praesertim aurora ex qua sol iustitiae Christus.

II. Sed specialissime Maria lux dicenda est; nam si Deus lux est, haec Sponsa Dei, si ille Rex, ista Regina; si Christus lux est, Maria est Mater Christi; si lux Apostoli, haec super omnes Apostolos fuit; si lux Angeli, haec Domina Angelorum; si lux Sancti omnes, haec Regina est Sanctorum; si lux lex et Evangelium, haec utriusque fuit perfectissima observatrix; si lux fides, haec fidelissima; si lux iustitia, haec iustissima; si lux gratia, haec *gratia plena;*[17a] et si lux gloria, haec vere beata. Hinc in Divinis Scripturis tota lucida nobis demonstrata est Maria: *Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol.*[18] *Signum magnum apparuit in coelo, mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim.*[19] Haec lux illa de qua Iob: *Expectet lucem, et non videat nec ortum surgentis aurorae;*[20] haec de qua David rex: *Sicut lux aurorae mane oriente sole absque nubibus rutilat.*[21] Maria enim aurora est et lucifer, de qua Regius Vates: *Ante luciferum genui te;*[22] *de matrice ex aurora tibi ros generationis,* sive *nativitatis suae;* ubi Christum rorem appellat, ros enim est

3) 1 Io 1, 5. 4) Ps 26, 1. Vulg. loc.: *Lux mea*, habet: *Illuminatio mea.* 5) Io 8, 12. 6) Ibid. 12, 46. 7) Ibid. 9, 5. 8) Ibid. 1, 9. 9) Mt 5, 14. 10) 2 Cor 11, 14. 11) Eph 5, 8. 12) Prv 6, 23. 13) Is 9, 2. Vulg. loc.: *Habitabat*, habet: *Ambulabat.* 14) Lc 16, 8. 15) Mt 5, 16. 16) Ps 96, 11. 17) Is 60, 19. 17*a*) Cf. Lc 1, 28. 18) Ct 6, 9. 19) Apc 12, 1. 20) Job 3, 9. 21) 2 Rg 23, 4. Vulg. loc.: *Sicut lux aurorae mane oriente sole*, etc., habet: *Sicut lux aurorae oriente sole mane*, etc. 22) Ps 109, 3. Sequitur idem vers. ex textu hebr.

super vellus Gedeonis;[22a] *Descendet sicut pluvia in vellus et sicut stillicidia stillantia super terram:*[23] Mariam vero auroram quae rorem hunc parit solemque mundo affert. Sic ex prima illa luce factus est sol, genitus natusque ex Maria sol iustitiae Christus.

Maria lux, quia in luce gratiae concepta et a tenebris peccatorum segregata.

III. *Et vidit Deus lucem quod esset bona:* Maria *gratia plena,* semper gratia plena, in gratia concepta Spiritus Sancti. *Et divisit lucem a tenebris:* Maria ab omni peccato segregata. Tres sunt tenebrae peccatorum, quae luci gratiae eiusque perfectioni opponuntur: tenebra peccati originalis, tenebra peccati actualis mortalis et tenebra peccati venialis. Ad excludendas autem has tenebras omnes, tribus lucidis hieroglyphicis Maria designatur: *Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol; Mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius et in capite eius corona stellarum duodecim:* ut in luce aurorae designetur gratia contra peccatum originale, in luna gratia contra peccatum mortale, et in sole gratia contra peccatum veniale.

Maria lux, quia lucem habet aurorae, quae nunquam eclipsari potest, contra peccatum originale;

IV. Aurora enim ex nocturnis tenebris emergit, nullis tamen tenebris infecta, sed stella est omnium splendidissima atque pulcherrima, quae soli semper proxima nullo modo eclipsari potest. Sic, inquam, Maria nascens ex parentibus peccatoribus, nascitur absque omni peccato, sicut prima mulier sine peccato formata fuit. Sed tamen peccare potuit, haec autem peccare non potuit. Ea gratia plena ab initio fuit, sicut nec lucifer eclipsari potest, neque per interpositionem terrae, sicut eclipsatur luna, quoniam nanquam tantopere elongatur a sole, sed semper prope illum manet, neque per alterius stellae interpositionem, ut eclipsatur sol interposita luna, quoniam inter ipsam et solem nulla alia intermedia stella consistit. Sic homo peccavit concupiscentia boni terreni, Angelus autem concupiscentia boni coelestis; Maria autem soli Deo inhaerens, dicebat: *Quid enim mihi est in coelo, et a te quid volui super terram?... Deus cordis mei et pars mea Deus in aeternum... mihi autem adhaerere Deo bonum est, ponere in Dominum Deum spem meam.*[24]

lucem habet lunae plenae contra peccatum

Quoniam vero stella haec parva valde videtur, ne parvam esse putemus gratiam Mariae, comparatur lunae plenae: *Pulcra ut luna:* luna

22*a*) Cf. Idc 6, 36-38. 23) Ps 71, 6. 24) Ps 72, 25-28. Vulg. habet: *Domino Deo.*

enim magnum est luminare coeli. Et quoniam in luna, quamvis plena, nonnullae maculae videntur, ne putemus vel minimas fuisse in Beata Virgine maculas venialium peccatorum, comparatur soli, in quo nulla est macula: *Electa ut sol;* sic: *Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te.* [25] Quoniam item nullum unquam peccatum quamvis minimum commisit, hinc sole amictam videt I o a n n e s et lunam sub pedibus eius; sic enim universam Ecclesiam gratia innocentiae vicit.

mortale, et solis, in quo nulla macula, contra peccatum veniale;

Et in capite eius corona duodecim stellarum. Caput initium designat; in conceptionis ipso initio Maria ornamentum accepit duodecim coelestium virtutum, quae sunt duodecim portae et duodecim fundamenta civitatis Ierusalem. [26] In initio primoque conceptionis suae instanti data ei gratia fuit, quae duodecim Apostolis postmodum, accepto Spiritu Sancto, data fuit. Nam si Ieremias, ut Christi propheta esset, sanctificatus fuit in utero, [27] et Ioannes Baptista nedum sanctificatus in utero sed etiam plenus Spiritu Sancto fuit, [27a] ut dignus Christi praecursor esset; multo magis Maria, ut digna Christi Mater esset, plena ab initio conceptionis omni Spiritus Sancti gratia fuit, quam postea Apostoli receperunt.

et lucem habet duodecim stellarum in capite, quod initium significat, quia ab initio sanctior quam Sancti omnes in fine vitae ipsorum;

Hoc est quod ait: *Fundamenta eius in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.* [28] Montes dicuntur sancti: *Suscipiant montes pacem populo et colles iustitiam;* [28a] *fundamenta,* inquit, civitatis Ierusalem *in montibus sanctis, super montes sanctitatis.* [29] Ipsa autem Beata Virgo Ierosolymae comparatur in *Canticis: Pulcra es, amica mea, suavis et decora sicut Ierusalem.* [29a] Sed quid est quod fundamenta civitatis huius sunt super cacumina montium sanctitatis? Profecto quod fundata et concepta est civitas haec in sanctitate et gratia; nec qualicumque, sed maiori omni gratia Sanctorum; quod maior fuerit gratia Beatae Virginis in primo instanti immaculatae conceptionis ipsius, quam fuerit gratia Apostolorum in fine vitae ipsorum, quando positi erant in summo perfectionis gradu.

fundata in montibus sanctitatis,

Hoc est quod I s a i a s vaticinatus fuit: *Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium.* [30] Domus autem Domini et Filii Dei habitaculum Sanctissima Virgo est; *mons domus Domini in vertice montium* fundatus in cacuminibus ceterorum montium, Maria concepta in excellentissima gratia et caritate, sicut

in vertice montium.

25) Ct 4, 7. 26) Cf. Apc 21, 12-14. 27) Cf. Jer 1, 5. 27a) Cf. Lc 1, 15.
28) Ps 86, 1-2. 28a) Ps 71, 3. 29) Ex hebr. 29a) Ct 6, 3. 30) Is 2, 2.

sol fuit luce plenus creatus: *Mons domus Domini in vertice montium.* Hoc est quod David ait: *Domus... quam aedificari volo, talis esse debet ut in ceteris nationibus nominetur.*[31] Ideo praeparavit infinitam copiam auri, argenti et lapidum pretiosorum,[32] ut fundamenta etiam divini illius templi, mirabile dictu! ex pretiosis lapidibus essent. Sic et Ioannes in *Apocalypsi* ait: *Fundamenta... civitatis* Ierusalem *omni lapide pretioso ornata.*[33] Sicut autem civitas illa templumque Beatam Virginem[34] praefigurabant; ita fundamenta illa sacrosanctam conceptionem ipsius in omni gratia sanctissimam.

Maria lux, quia anima ipsius, in luce prima et nova ab ore Dei procedente figurata, sine ulla peccati macula concepta.

V. Et quidem dum in sacrosancto mysterio immaculatae conceptionis Sanctissimae Virginis contemplor sanctam eius animam venientem a Deo descendentemque de coelo ad informandum sanctissimum eius corpus, videre mihi videor primam illam lucem infinito cum splendore ab ore Dei exeuntem: *Nova lux oriri visa est, gaudium, honor et tripudium,*[35] qualis fuit Esther Hebraeis, cuius gratia salutem consecuti sunt una cum summo honore, gloria et nominis claritate; videre descendentem illam mulierem: *Signum magnum apparuit in coelo, mulier amicta sole;* videre descendentem illam civitatem, de qua ait: *Vidi civitatem sanctam Ierusalem novam descendentem de coelo a Deo paratam sicut sponsam ornatam viro suo: et audivi vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus,*[36] et de qua iterum: *Ostendit mihi civitatem sanctam Ierusalem descendentem de coelo a Deo habentem claritatem Dei.*[37] Lux nova, civitas nova, signum magnum.

Sicut sol inter stellas, ipsa una praefulget inter animas sanctas

Non est res nova in mundo videre mulierem sanctam, nam sancta fuit Sarah, sancta Rebecca, sanctae Rachel et Lia, sanctae Debora, Maria, Anna, Abigail, Iudith, Esther, Susanna; sed hoc novum videre mulierem non in terra, sed in coelo nulla terrena contagione aut macula foedatam, absque ullo penitus peccato, semper gratia plenam; haec nova sanctitas est, nunquam amplius visa in mundo. Hinc una lux, una mulier, una civitas; quoniam, etsi multae sunt animae sanctae sicut stellae in coelo, haec inter omnes sicut sol est. Hinc ait: *Sexaginta sunt reginae... octoginta concubinae et adolescentularum non est numerus; una est columba mea, perfecta mea, una est matri suae,*

31) 1 Par 22, 5. Vulg. loc.: *Ceteris nationibus,* habet: *Cunctis regionibus.* 32) Ibid. vr. 14. 33) Apc 21, 19. 34) Ms.: *Beata Virgine.* 35) Est 8, 16. 36) Apc 21, 2-3. 37) Ibid. 21, 10-11.

electa genitrici suae. Viderunt eam filiae, et beatam dixerunt, reginae et concubinae... laudaverunt eam: Quae est ista, etc.[38] Hic enim universalis Ecclesia describitur, cuius quidem tres sunt status personarum. Sicut tabernaculum Moysi[38a] et templum Salomonis[39] tribus partibus, atrio, sancta et sancta sanctorum constabant; sic, inquam, Ecclesia incipientibus, proficientibus et perfectis in Christi fide et caritate, cognitione et dilectione, virtutibus et sanctis operibus consistit. Et incipientes quidem adolescentulas appellat, quae nondum veri Salomonis Christi dulces expertae sunt nuptialesque amplexus; proficientes vero concubinas, idest, sponsas et uxores, non tamen principales, qualis fuit Abrahamo Agar et Iacobo Zelpha et Balam; perfectas vero reginas, principales uxores et dominas, uti Abrahamo fuit Sarah et Iacobo Rachel et Lia; at super omnes, inquit, *una est columba mea, perfecta mea, una est in matrem et genitricem electa,* sic enim verti potest ex hebraeo.

Incipientes, proficientes, perfectas.

VI. Ideo eam omnes admirantur, laudant, et beatam dicunt: *Viderunt eam filiae,* etc., iuxta ipsius Virginis vaticinium: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes,* idest, omnes animae fideles, *quia fecit mihi magna qui potens est.*[39a] *Fecit mihi magna: Quae est ista, quae progreditur quasi aurora consurgens?* In principio *pulcra ut luna,* in medio *electa ut sol,* in fine *terribilis ut castrorum acies ordinata,* ad defensionem Ecclesiae et daemonum terrorem. *Fecit mihi magna qui potens est;* ipsa enim lectulus ille est Salomonis, de quo dicitur: *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel; omnes tenentes gladios et ad bella doctissimi, uniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos,*[40] sic semper ab Angelis diligentissime custodita fuit.

Maria lux, ideo supra omnes et ab omnibus exaltata,

ab Angelis custodita,

Sed qualis natura lectulus iste erat? *Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media caritate constravit propter filias Ierusalem.*[41] *Columnae argenteae* virtutes sunt cardinales, *reclinatorium aureum* theologicae, *ascensus purpureus* regia dignitas, *medium caritate constratum* sanctissimus eius uterus, in quo Deus, qui *caritas est,*[42] factus est homo pro salute Electorum suorum, qui hic dicuntur filiae Ierusalem. Sic omnibus fuit virtutibus ornata Beata Virgo;

38) Ct 6, 7-9. Vulg. loc.: *Matri* hebr., habet: *Matris,* loc. vero: *Beatam,* habet: *Beatissimam.* 38a) Cf. Ex cpp. 26-27; Hebr 9, 2-3. 39) Cf. 2 Par 3, 1 sqq. 39a) Lc 1, 48-49. 40) Ct 3, 7-8. 41) Ibid. 3, 9-10. 42) 1 Io 4, 16.

unde aiunt admirantes animae: *Quae est ista quae ascendit de deserto quasi virgula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris et universi pulveris pigmentarii?* [43] Sic fuit ipsa omni gratia plena, virgo corpore spirituque pulcherrima inter mulieres ipsa dicitur: *Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres.* [44] *Quam pulcra es, amica mea, quam pulcra es! Tota pulcra es, amica mea.* [45]

a dilecto a capite usque ad pedes laudata,

Hinc tota laudatur a capite ad pedes usque. Caput primum, dicens: *Caput tuum sicut Carmelus, et comae capitis tui sicut purpura regis vincta canalibus:* [46] capillos, dicens: *Capilli capitis tui sicut greges caprarum, quae ascenderunt de monte Galaad;* [47] oculos: *Oculi tui columbarum absque eo quod intrinsecus latet,* [48] et iterum: *Oculi tui sicut piscinae in Hesebon:* [49] genas, dicens: *Genae tuae sicut fragmenta mali punici absque eo quod intrinsecus latet,* [50] itemque: *Pulcrae sunt genae tuae sicut turturis, collum tuum sicut monilia;* [51] nasum laudat, dicens: *Nasus tuus sicut turris Libani, quae respicit contra Damascum;* [52] laudat os: *Labia tua sicut vitta coccinea;* [53] laudat dentes, dicens: *Dentes tui sicut greges tonsarum, quae ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fetibus et sterilis non est* in eis; [54] laudat vocem atque eloquium: *Favus distillans labia tua, sponsa, mel et lac sub lingua tua;* [55] *Fac me audire vocem tuam;* [56] *Vox enim tua dulcis et facies tua decora;* [57] laudat guttur, dicens: *Guttur tuum vinum optimum dignum dilecto meo ad potandum;* [58] laudat collum: *Sicut turris David collum tuum, quae aedificata est cum propugnaculis;* [59] laudat pectus et ubera: *Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreae gemelli;* [60] *Quam pulcrae sunt mammae tuae, soror mea sponsa, pulcriora sunt ubera tua vino;* [61] laudat corpus: *Venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis;* [62] laudat ventrem: *Umbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis;* [63] laudat femora tibiasque: *Iuncturae* tuae... *sicut monilia, quae fabricata sunt manu artificis;* [64] laudat pedes: *Quam pulcri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis!;* [65] laudat corporis staturam: *Statura tua assimilata est*

43) Ct 3, 6. Vulg. loc.: *De deserto quasi*, etc., habet: *Per desertum sicut*, etc. 44) Ibid. 1, 7. 45) Ibid. 4, 1. 7. 46) Ibid. 7, 5. 47) Ibid. 4, 1. 48) Ibid. 4, 1. 49) Ibid. 7, 4. 50) Ibid. 4, 3. Vulg. habet: *Sicut fragmen mali punici, ita genae tuae absque*, etc. 51) Ibid. 1, 9. 52) Ibid. 7, 4. 53) Ibid. 4, 3. Vulg. loc.: *Labia tua*, etc., habet: *Sicut vitta coccinea*, etc. 54) Ct 4, 2. 55) Ibid. 4, 11. 56) Ibid. 8, 13. 57) Ibid. 2, 14. 58) Ibid. 7, 9. 59) Ibid. 4, 4. 60) Ibid. 4, 5. 61) Ibid. 4, 10. 62) Ibid. 7, 2. 63) Ibid. 7, 2. 64) Ibid. 7, 1. 65) Ibid. 7, 1.

palmae, et ubera tua botris; [66] et tandem universam collaudat: *Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te.* [67]

Nec finem facit eam laudandi, nunc vocans amicam: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias;* [68] nunc dilectam: *Adiuro vos, filiae Ierusalem, ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit;* [69] nunc speciosam: *Surge, amica mea, speciosa mea, et veni;* [70] nunc sponsam: *Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni, coronaberis;* [71] nunc sororem: *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum et in uno crine colli tui,* [72] et iterum: *Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus, emissiones tuae paradisus;* [73] nunc columbam: *Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea,* [74] et iterum: *Una est columba mea, perfecta mea;* [75] sic nullum finem facit eam mille modis laudandi.

et omnibus modis.

VII. In hisce autem laudibus multa magnaque ac plane ineffabilia mysteria continentur, quae neque Angeli quidem pro dignitate possent exprimere. Sunt tamen tria quae praecipue laudantur: caput cum contentis in eo, medium corpus cum contentis, et tandem pedes, forte quia homo tribus partibus constat: corporea carne, rationali anima et mente spirituali, in qua Dei consistit imago. In his vero partibus elucent residentque virtutes: in mente quidem theologicae: fides, spes, caritas, contemplatio, cognitio et amor Dei; in anima virtutes cardinales: prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia aliaeque actrices et operatrices virtutes; in corpore ipso: castitas, abstinentia, mortificatio sensuum, morum compositio et aliae id genus, morales et politicae virtutes. Sanctissima autem Virgo in omnibus perfectissima absolutissimaque fuit, unde *Sulamitis* [75a] dicitur, idest, *perfecta* per antonomasiam et singularem excellentiam, sicut Deus dicitur ens: *Sum qui sum;* [76] sic utique Beata Virgo perfecta dicitur, quia omni perfectione plenissima.

Maria lux, ideo in tribus potioribus partibus laudata:

Laudatur autem eius caput et in capite capilli, oculi, genae, nasus, guttur, labia, collum, dentes. Et caput quidem, suprema pars corporis, mentem designat, superiorem animae portionem. Assimilatur

in superiori portione quoad mentem, ut Carmelus.

66) Ibid. 7, 7. 67) Ibid. 4, 7. 68) Ibid. 2, 2. 69) Ibid. 8, 4. 70) Ibid. 2, 13. 71) Ibid. 4, 8. 72) Ibid. 4, 9. 73) Ibid. 4. 12-13. 74) Ibid. 5, 2. 75) Ibid. 6, 8. 75a) Ibid. 6, 12. 76) Ex 3, 14.

eminentem, frugiferam, illustrissimam;

autem Carmelo, qui mons est valde eminens, summe frugifer [76a] et habitatione sanctorum prophetarum Eliae [77] et Elisei [77a] illustrissimus; sic mens Mariae alta per contemplationem divinorum, per fidem et cognitionem summe frugifera, per summam Dei dilectionem et caritatem totius Trinitatis inhabitatione illustrissima. Laudantur

quoad comam ut purpura regalis, ob cogitationes nobiles;

comae atque capilli, assimilanturque purpurae regali novae ac nihil detritae, gregibusque caprarum ascendentium de Galaad; quoniam capilli quidem in capite cogitationes in mente designant. Sunt autem purpurei, rufi igneique coloris, quia a caritate manantes; cogitationes purpurae regali similes, quoniam non humiles et abiectae, sed altae vereque regiae mentis erant, et summum Regem gloriae semper tanquam vestimentum circumdabant. Nec erant cogitationes Mariae sine intellectu, a quibus aufert se Spiritus Sanctus, [78] neque cogitationes timidae et incertae, dum *corpus... quod corrumpitur aggravat animam;* [78a] sed, multae cum essent, ordinatae erant firmaeque, vivaces et a mentali pastore semper directae ac optime gubernatae; hinc gregibus caprarum optimarum assimilantur.

His sanctissimis optimisque cogitationibus frugifer erat Carmelus iste, non sicut ager cultura destitutus aut male cultus, qui nonnisi spinas et tribulos vilesque ac inutiles herbas producit, sed sicut paradisus quem plantavit Dominus: *Hortus conclusus..., fons signatus, emissiones tuae paradisus.* Et quidem, cum ea cogitare soleamus quorum studio, amore et nimia cupiditate tenemur, ut in amatoribus cernimus et in pecuniarum impense cupidis, Maria solum Deum summopere ac super omnia diligebat; hinc divina tantum cogitabat.

quoad oculos ut columbae et piscinae, ob simplicitatem et scientiam;

Laudat oculos, qui intellectum designant; hic enim in anima est sicut in corpore oculus, intellectus autem et contemplativus et operativus est. Hos oculos columbis albis assimilat atque piscinae in Hesebon in porta filiae multitudinis. Hoc est quod Dominus ait: *Estote... prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbae.* [79] In Mariae intellectu multa simplicitas, imo omnis simplicitas fuit absque omni malitia, sed multa scientia; hinc magnae piscinae comparatur, nam aqua scientiam designat, Hesebon vero artem. Designant etiam oculi dona Spiritus Sancti; hinc septem oculi super lapidem unum, [80] et Spiritus Sanctus in columbae specie supra Chri-

76*a*) Cf. Vigouroux, *Diction. Bibl.* sub hoc verbo. 77) Cf. 3 Rg 18, 19. 42. 77*a*) Cf. 4 Rg 2, 25; 4, 25. 78) Cf. Sap 1. 5. 78*a*) Ibid. 9, 15. 79) Mt 10, 16. 80) Zach 3. 9.

stum descendit.[81] Aqua etiam Spiritum Sanctum designat: *Qui biberit ex aqua,* etc.[82] *Si quis sitit veniat ad me, et bibat.*[83]

Fuit etiam Beata Virgo altissimi firmissimique iudicii; hinc nasus eius turri Libani comparatur; Libanus autem mons erat altissimus, turris autem firmitudinem designat. Fuit animi pulcherrimi, candidissimi et ornatissimi; hinc comparantur genae eius, in quibus residet pulcritudo faciei et animi pudor, candore ruboreque gaudentes, fragmini mali punici; quod quidem qua parte solem respicit ruborem quendam habet candori coniunctum, cum quadam orbicularitate, ad instar etiam milii, quod qua parte sole aspicit candori ruborem mixtum magno cum decore habet. Fuerunt autem hae genae Virginis mira modo virtutibus coelestibus ornatae; hinc ait; *Pulcrae sunt genae tuae sicut turturis,* vel *in ornamentis, collum tuum in monilibus,* sive *torquibus.*[84]

quoad nasum, ut turris, ob firmum et rectum iudicium; quoad genas, ut turturis, ob pulcritudinem animae;

Fuit etiam Beata Virgo mirae cuiusdam eloquentiae in orationibus, quibus summopere delectabatur Deus, unde ait: *Fac me audire vocem tuam; vox enim tua dulcis et facies tua decora.* Fiebant enim omnes eius [orationes] summa cum caritate; hinc labia eius, per quae eloquentia exprimitur, vittae coccineae comparantur; vitta autem coccinea caritatis est signum, cum signo vittae coccineae salvata fuerit Rahab.[85] Et quidem apta oratio animos hominum vincit, ac strictissime ligat; sic Deus orationibus ligatur ac veluti constringitur, unde Moysi ait: *Sine me, ut irascatur furor meus.*[86] Et quoniam summa cum gratia et sapientia Beata Virgo orabat, praefigurata in sapiente illa muliere Tecuitide,[87] hinc ait: *Eloquium tuum dulce.*[88] Unde guttur eius, ubi vox formatur, comparatur vino optimo digno dilecto,[89] sive, ut hebr. *sicut vinum bonum quod pergit ad dilectum meum directe,* idest, quod summa cum suavitate bibitur, *loquens labiis dormientium,* idest, quod inebriare facit bibentes, sicut vinum, de quo *Proverbiorum* 23: *Ne aspicias vinum cum rubescit, et cum splendet in vitro color eius; ingreditur* enim *blande et in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus venenum diffundet.*[90] Significatur autem quod orationes Beatae Virginis laudesque divinae in ipsius

quoad labia ut vitta coccinea, et quoad guttur ut vinum optimum, ob miram et acceptam eloquentiam in orationibus ad Deum;

81) Mt 3, 16. 82) Io 4, 13. 83) Ibid. 7, 37. 84) Ct 1, 9. *In ornamentis* et: *In monilibus, torquibus* ex hebr. 85) Ios 2, 18. 86) Ex 32, 10. Vulg. loc.: *Sine me,* habet: *Dimitte me.* 87) 2 Rg 14, 2 sqq. 88) Ct 4, 3. 89) Cf. ibid. 7, 9. 90) Prv 23, 31-32. Vulg. loc.: *Ne aspicias vinum cum rubescit, et cum splendet in vitro color eius; ingreditur enim blande et in novissimo* etc., habet: *Ne intuearis vinum quando flavescit, cum splenduerit in vitro color eius; ingreditur blande, sed.* etc.

ore Deo gratissimae erant: *Mel et lac sub lingua eius,* itemque potentissimae sicut optima vina.

item quoad guttur, ob optimam voluntatem, et quoad dentes ut greges, ob ordinatas affectiones et passiones;

Per guttur autem, ubi vis appetendi residet, sive per palatum, quod sedes est gustus saporumque receptaculum, voluntas Beatae Virginis designatur, quae optima fuit; unde dulcissimo optimoque vino comparatur. Huic autem deserviunt affectiones atque passiones virium irascibilis et concupiscibilis: spes, timor, gaudium, dolor et aliae huiuscemodi, sicut gustui dentes; his enim desideratus cibus disponitur, dispositusque, remoto omni impedimento saporis, fracta duritie, gustui traditur. Hae vero animi affectiones atque passiones, designatae per dentes, gregibus ovium tonsarum ascendentium de lavacro assimilantur, et his quidem fecundis, absque ulla sterili, imo cum gemellis fetibus comparantur. Fuerunt autem hae animi passiones in Beata Virgine non efferatae, ut in plerisque hominibus, in quibus adeo ferociunt, ut domari vix possint; hinc mitissimis ovibus comparantur, nam erant omnes rationis iudicio, tanquam oves pastori, subiectae; mundae etiam semper, quia nulla spes turpis lucri, nullum gaudium mali, nullus timor turpis ac vilis, nullus dolor indignus, uti in ceteris mulieribus, in ea usquam conspectus fuit; *tonsae oves,* quia absque omni superfluitate; *sterilis non est in eis,* nulla vana spes, vana laetitia, vanus timor aut dolor; sed *omnes gemellis fetibus,* summi apud Deum meriti, Deum enim timebat, in Deo sperabat, de Deo gaudebat, de iis quae Deo displicent dolebat, Deum desiderabat, eique soli placere studebat, et displicentia Deo summe abominabatur, ac tanquam serpentes aspidos ac basiliscos fugiebat. Sicut ergo in dentibus ad eorum pulcritudinem et utilitatem requiritur integritas, numerositas, firmitas, aequalitas, candor atque munditics; sic in hisce animi passionibus aut affectionibus in Beata Virgine nullus fuit defectus, nulla infirmitas, nulla inaequalitas, nulla denigratio aut turpis color, nulla superfluitas et immunditia nulla.

et quoad collum, ob firmitatem et constantiam in virtute.

Fuit in Beata Virgine summa animi fortitudo atque constantia in spe et fiducia Dei, nam *turris fortissima nomen Domini;*[91] hinc haec per collum designata, ubi nervi in quibus totius corporis fortitudo ac vis operandi consistit, turri fortissimi Davidis comparatur: *Collum tuum sicut turris David, quae aedificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium;* hinc ipsa dicitur *terribilis ut castrorum acies ordinata,* ipsa enim mulier est

91) Ibid. 18, 10.

illa fortis a Salomone tantopere decantata.[92] Comparatur etiam turri eburneae [92a] collum hoc ob nimium candorem ac pulcritudinem, et quia virtus haec rara valde in mulieribus est.

VIII. Fuit in ea summa pietas erga proximos, qualis est amantissimae matris erga dilectissimos filios; haec per ubera designata botris comparatur et gemellis hinnulis caprarum. Et quidem ob pietatem Deus ipse habere ubera dicitur: *Meliora sunt ubera tua vino,*[93] sive *amores tui,* desideria iuvandi, uti matres plenis lacte uberibus filiis lac dare exoptant; hinc *Scadai* hebraice dicitur quasi *uberosus.* Et naturale est omnibus, sicut soli lucere, igni calefacere et fonti aquas emittere, cum ad sui generis iustam perfectionem devenerint, quaerere per generationem eam quae in ipsis est bonitatem aliis quoque impertiri. Sic arbores, iustam iam aetatem adeptae, fructificant, animalia filios gignere et procreare amant, adolescentibus mulieribus, cum ad aetatem nubilem venerint, ubera turgent; sic omnis bonus, uti Deo similis, prodesse aliis cupit quantum fas est. Sic Beata Virgo plenissima haec ubera habuit. Quoniam vero virtus haec pulcherrima est, pulcherrimis caprarum hinnulis comparatur, et, quia utilis valde, assimilatur botris.

Maria laudata in media portione, quoad ubera, ob summam maternam pietatem erga nos;

Fuit in Beata Virgine summa animi temperantia quoad omnium temporalium bonorum affectiones, sive utilium sive delectabilium sive honorabilium, sicut integerrima fuit purissimaque virgo corpore et spiritu. Haec designatur per ventrem, idest, pectus stomachumque, quod gustui delectabilibus delectatur, et umbilicum, ubi luxuria mulieribus inest: *Venter tuus ut acervus tritici vallatus liliis,* triticei enim panis temperatissimus sapor est. Virtus autem temperantia multis fuit ornata virtutibus; hinc ait ornatum liliis ventrem. Temperantia autem libidinis summa fuit, hinc ait: *Umbilicus tuus crater tornatilis non indigens poculis. Crater,* inquit, *tornatilis,* sive rotundus, sive lunaris, ad instar lunae plenae, *non indigens poculis,* sive potibus, quoniam nulla penitus fuit in ea libidinis concupiscentia, sed perfectissima fuit in ea virginitas, sicut rotunditas figurarum perfectissima est, et sicut in luna nulla libido est, cum sit virginalis planeta.[93a]

et quoad ventrem, ob temperantiam in delectabilibus

92) Ibid. 31, 10 sqq. 92a) Cf. Ct 7, 4. 93) Ct 1, 1. *Ubera* hebr. *dodim* dicuntur, quae vox etiam *amores* designat. 93a) Ita veteres. Cf. I. Perin in *Onomast.* sub *lunae* verbo; A Lapide, *Comment. in Ct.* 6, 9.

Maria laudata in inferiori portione quoad femora, ob fortitudinem ad observandam legem Dei;

IX. Adfuit etiam Beatae Virgini maxima virtus et fortitudo ad bene operandum observandamque adamussim universam legem Dei; ipsa enim non tantum Rachel, sed etiam Lia fuit; non tantum Maria, sed etiam Martha, sicut semper virgo, sed fecunda tamen mater. Haec autem per femora designatur, quae ob fortitudinem, qua praedita sunt ad ambulandum regendumque totum corpus, *viri fortissimi* a Salomone *Ecclesiastis* ultimo appellantur.[94] Comparantur autem haec monilibus factis manu artificis: *Iuncturae*, inquit, *femorum*, sive vertebrae femorum tuorum, *sicut monilia quae fabricata sunt manu artificis*, sive fidelis, ex auro purissimo, quod metallum purissimum ac pretiosissimum est, et quod neque ignis dissolvit. Fiunt autem monilia summa cum arte, studio ac diligentia.

et quoad gressus, ob rectitudinem et perfectionem in actionibus.

Tandem gressus Beatae Virginis laudantur, per quos bona opera et virtutum officia designantur: *Quam pulcri sunt*, inquit, *gressus tui in calceamentis, filia principis*. Nunquam enim haec a dextris vel a sinistris claudicavit vel levissime peccando in prosperis vel in adversis; sed omnes eius cum internae tum etiam externae actiones rectissimae, sanctissimae, perfectissimae optimaeque fuerunt; hinc ait: *Quam pulcri sunt gressus tui!* ineffabiliter pulcri. Sic tota pulcra est et corpore et spiritu, in utroque ineffabiliter pulcra: hinc ait: *Quam pulcra es, amica mea, quam pulcra es!* Sic ait: *Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te.*

Maria ideo tota pulcra et immaculata, quia totam vitam duxit cum Christo in virtutibus omnibus.

X. Fuit autem Beata Virgo tota pulcra et immaculata, quoniam duxit vitam cum Christo in perpetua carnis mortificatione, in ieiuniis et vigiliis aliisque afflictionibus corporis, et in perpetua oratione et contemplatione; hinc vocatur mons myrrhae et collis thuris, ait enim: *Vadam ad montem myrrhae et ad collem thuris.*[94a] Per myrrham vero amaram poenitentia designatur, unde: *Manus meae distillaverunt myrrham;*[95] sic: *Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi,*[96] quia propter Deum multa pati voluit. Sed non tantum mons myrrhae, verum etiam collis thuris fuit: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.*[97] *Phialas... plenas odoramentorum, quae sunt orationes Sanctorum.*[98] Hinc, postquam eam vocavit montem myrrhae et collem thuris, dixit: *Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te;* atque ad declarandum innocentiae eius perpetuae candorem, ait: *Veni de Libano, soror mea sponsa, veni de Libano, veni, coronaberis;* Libanus enim *candor* interpretatur, et mons altissimus est. Vocatur etiam *de*

94) Vr. 3. 94a) Ct 4, 6. 95) Ibid. 5, 5. 96) Ibid. 1, 12. 97) Ps 140, 2. 98) Apc 5, 8.

capite Amana, quod est *fides, de capite Sanir et Hermon*,[99] qui quidem tres sunt altissimi montes, ad designandas tres theologicas virtutes, quae in Beata Virgine summe fuerunt perfectae; hinc ait: *De capite*.

semper gratissima et unita Deo

Hinc omnia opera tum interna tum externa Beatae Virginis Deo gratissima erant, ipsamque semper apud se volebat; hinc vocat eam ter: *Veni... veni... veni*, quia *vulnerasti cor meum... in uno oculorum tuorum, et in uno crine*, sive *torque, colli tui. Quam pulcrae sunt mammae tuae, soror mea sponsa, pulcriora sunt ubera tua vino, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata. Favus distillans labia tua, sponsa, mel et lac sub lingua tua, et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. Hortus conclusus... fons signatus... Emissiones tuae paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo, nardus et crocus, fistula et cinnamomum cum universis lignis Libani; myrrha et aloe cum omnibus primis unguentis; fons hortorum, puteus aquarum viventium.*[100]

super omnes Sanctos et Angelos ut filia sponsa et mater.

Sed haec per singula explicare quis poterit? Plane incomprehensibilis et ineffabilis est magnitudo Mariae super omnes Sanctos: *Odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* Sic omnes et adolescentulae et concubinae et reginae intuentur, admirantur, laudant et beatificant eam,[100a] quoniam ipsa amica, dilecta sponsa et filia summi Dei est, Christi autem soror et mater: soror spiritu, mater carne.

Et quidem quatenus Mater Christi *tanto melior* est *Angelis* effecta *quanto differentius prae illis nomen hereditavit.*[101] Angeli servi Dei sunt: *Qui facit Angelos suos spiritus et ministros suos flammam ignis;*[102] *Omnes sunt administratorii spiritus;*[103] *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei,*[104] tanquam servi Domino; *Et omnes Angeli stabant in circuitu throni... et ceciderunt in conspectu throni in facies suas et adoraverunt Deum;*[105] at haec Mater est Dei, unde assistit a dextris, sedens sicut Bethsabee a dextris Salomonis:[106] *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.*[107] Sic *praeparatus* est *mons domus Domini in vertice montium*, super omnes Sanctos omnesque Angelos.

99) Ct 4, 8. Vulg. habet: *De vertice Sanir.* 100) Ct 4, 9-15. *Torque* ex hebr. 100*a*) Cf. Ct 6, 8-9. 101) Cf. Hebr 1, 4. 102) Ibid. 1, 7. 103) Hebr 1, 14. 104) Dn 7, 10. 105) Apc 7, 11. 106) 3 Rg 2, 19. 107) Ps 44, 10.

Maria nova lux, nova mulier, quia sine peccato originali concepta.

XI. Sic nova lux est nova mulier, siquidem: *Novum creavit Dominus super terram, femina circumdabit virum,* [108] nova civitas descendens de coelo, [108a] novum illud vas, in quo Eliseus posuit sal ad sanandas steriles pessimasque aquas Iericho, [109] Christus enim sal est divinae sapientiae positum in incarnatione in hoc novo vase novae huius mulieris; haec plaustrum illud novum, super quod imposita fuit arca foederis Domini ad asportandam eam de terra Philisthiim in terram Israel [110] et de domo Abinadab in domum David; [111] haec novum tabernaculum, quod pro arca Domini fecit David, [112] novumque templum, quod aedificavit Salomon; [113] haec pallium novum Ahiae prophetae; [114] haec atrium novum in quo pius rex Iosaphath Dominum oravit pro salute sui populi; [115] haec novus uter in quo dixit Dominus mittendum esse vinum novum, [116] sic enim ipse mortuus in novo monumento poni voluit; [117] haec domus illa nova, quam dedicare voluit sua inhabitatione Christus, antequam ad bellandum pergeret contra diabolum, *Deut.* 20; [118] domus illa nova, cui iussit Dominus ut superaedificaretur murus in circuitu tecti, ne quis de tecto caderet et moreretur; [119] sic ne spiritus Beatae Virginis praeceps caderet in originale peccatum, Deus perfectam illi gratiam supernaturalem contulit in ipso suae conceptionis instanti, replens eam gratia Spiritus Sancti, sicut Ioannes in utero repletus Spiritu Sancto fuit. [120]

statim ab initio tota amore languens,

Hinc eam Angelus gratia plenam invenit: *Ave, gratia plena:* hinc in *Canticis* introducitur ipsa tota amore languens in ipso statim initio: *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis. Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulae dilexerunt te. Trahe me, post te curremus... Introduxit me rex in atria sua, exultabimus et laetabimur in te, memores uberum tuorum super vinum: recti diligunt te.* [121] Introducitur, inquam, eius beatissima anima tota amore languens et nonnisi Deum desiderans atque suspirans, veluti si qua sponsa prae amoris viri magnitudine viribus corporis destituatur, spiritu, qui plus est ubi amat quam ubi animat, fugiente semperque cum dilecto manente, nonnisi sponsi praesentia, osculis amplexuque laetificari potest. Quare a maximo caritatis gradu incepit Maria, ab amoris languore: *Ful-*

108) Jer 31, 22. 108*a*) Cf. Apc 21, 2. 109) 4 Rg 2, 20-22. 110) 1 Rg 6, 7 sqq. 111) 2 Rg 6, 3 sqq. 112) 1 Par 15, 1. 113) 3 Rg 6, 1-38. 114) 3 Rg 11, 29. 115) 2 Par 20, 5 sqq. 116) Mc 2, 22. 117) Cf. Io 19, 41-42. 118) Vr. 5. 119) Dt 22, 8. 120) Cf. Lc 1, 15. 121) Ct 1, 1-3. Vulg. loc.: *Atria sua,* habet: *Cellaria sua.*

cite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Laeva eius sit *sub capite meo, et dextera illius amplexetur me.* [122]

Frui tamen dilecto datum est illi, nam inquit: *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, et fructus eius dulcis gutturi meo.* [123] Comparat enim dilectum arbori malo, sicut malus pulcherrima arbor dum floribus, foliis fructibusque aureis onusta cernitur: *Sicut,* inquit, *malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios;* [124] fructus enim huius arboris oculis aureo colore ac modicum subrubente iucundissimus est, olfatui odore, gustui sapore melleo, et tactui nimia levitate perquam suavis. dilecto fruens.

Sic divinae huius caritatis affectibus Beatae Virginis anima, Spiritu Sancto repleta, ab ipso conceptionis suae primo instanti ad Deum vi amoris conversa affici, his amoris incendiis aestuare coepit. O res nova et super omnem novitatem novissima! Anima haec sanctissima nec proprii corpusculi nec materni uteri carcere teneri poterat; sed libera, tanquam pura columba alis aquileis praedita, in coelum volabat, suoque volatu coelorum altissima petebat, altissime super omnes Angelorum choros evolabat, in altissima semper summi Dei contemplatione vitam ducens. In altissima contemplatione Dei vitam ducens.

122) Ct 2. 5-6. Vulg. habet: *Amplexabitur me.* 123) Ibid. 2, 3. 124) Ibid. 2, 3.

SERMO TERTIUS

VERA DIVINITATIS ARCA MARIA IDEO IMMACULATA

Iacob autem genuit Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. [1]

Maria formata fuit ut esset dignum habitaculum Dei humanati.

I. Celebrans hodie sancta mater Ecclesia solemne festum immaculatae conceptionis Deiparae Virginis, legit Evangelium, in quo agitur de nativitate Christi, ubi de Sanctissima Virgine nihil aliud dicitur nisi quod fuerit Mater et Genitrix Christi: *Virum Mariae, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Haec autem summa est Mariae dignitas quod sit Mater Dei, *Theotocos.* Proponitur scopus et finis, ad quid creata sit a Deo Maria, ad quid nata in mundo: ut esset Mater Christi, Mater Dei vivi et veri, ut esset dignum habitaculum Dei incarnati, humanati.

Mulieris [1a] formationem Divina Scriptura vocat *aedificationem: Tulit unam de costis eius..., et aedificavit... eam in mulierem,* [2] ut insinuet quod ad hoc formata fuit mulier, ut esset primum habitaculum hominis concepti et nati formatique in utero; uterus enim mulieris prima est domus et habitatio hominis, ubi novem mensibus habitat. Haec autem mulier formata fuit, ut esset dignum aptumque habitaculum Dei humanati.

Proponitur nobis finis altissimus, ad quem ordinata et praedestinata fuit Maria. Alta prophetia profecto haec est hodierni Evangelii, quae ut ineffabilem incomprehensibilemque dignitatem et nobilitatem Mariae mirabili modo declaret, silentio id facit, sciens quod nullo

1) Mt 1, 16. 1a) Ms.: *Mulier.* 2) Gn 2, 21-22. Vulg.: *Et aedificavit... costam in mulierem.*

modo explicari potest. Sed, altissimo fine proposito, rem nostro iudicio relinquit expendendam, ut iudicemus ipsi qualis formata fuerit manu omnipotentis Dei Maria, ut digna esset Dei Sponsa et Mater Unigeniti Filii Dei.

Quae fecit David ad reponendam dignissime arcam Dei figura eorum quae Deus facturus erat circa veram Divinitatis arcam Mariam.

II. Rex serenissimus pariter et sanctissimus David, ut templum et sacra domus pro humanis viribus Deo digna aedificaretur, immensam paravit copiam auri, argenti, aeris, ferri et marmorum nobilissimorum lignorumque, quoniam, inquit, *domus... quam aedificari volo..., talis esse debet ut in cunctis nationibus nominetur.* Hinc praeparavit auri talenta centum millia, argenti vero mille millia, aeris vero et ferri sine pondere et mensura, *1 Paralip.* 22.[3] Nec his contentus, addidit adhuc tria millia talenta auri et septem millia argenti probatissimi, cap. 29.[4] Cumque pro animi sui magnitudine parva copia haec tanta videretur, petiit a principibus regni auxilium, accepitque ab eis quinque millia talenta auri, decem millia talenta argenti, aeris decem et octo millia et ferri centum millia talenta,[5] ita ut pro templi aedificio parata fuerint centum et octo millia talentorum auri et millies mille decem et septem talentorum argenti, - talentum autem erat apud Hebraeos pondus centum minarum sive librarum, libra autem hebraica erat unciarum triginta; - ita ut tot talenta auri et argenti summam faciant incredibilem, nam talentum auri nunc efficeret plus quam mille aureos, cum contineret centum libras auri triginta unciarum; quare mille talenta plus continet uno, ut dicitur millione auri.

Sed ad quid tantum auri et argenti impendium, o David? Quoniam, inquit, *grande... opus..., neque enim homini praeparatur habitatio, sed Deo;*[6] ut Deo digna fieret habitatio, tot praeparavit impensas. Aedificare autem voluit David templum ut in eo requiesceret arca foederis Domini, quae Christum praefigurabat. Ait enim *Paralip.* 22: *Aedificate sanctuarium Domino Deo, ut introducatur arca foederis Domini;*[6a] cap. 28: *Cogitavi ut aedificarem domum, in qua requiesceret arca foederis Domini et scabellum pedum Dei nostri;*[7] imo sic dixit ad Nathan: *Vides... quod ego habitem in domo cedrina, et arca Dei posita sit in medio pellium.*[8]

Si igitur rex David ex animi pietate, ut dignum locum praepararet arcae foederis Domini, omnes thesauros evacuavit, totumque fere

3) Cf. vrr. 3-17. 4) Cf. vrr. 3-4. 5) Cf. Ibid. 29, 6-9. 6) 1 Par 29. 1. 6a) Ibid. 19. 7) Vr. 2. 8) 2 Rg 7, 2.

aerarium regium effudit, cum tamen arca illa nonnisi figura et umbra quaedam esset Christi venturi; quid igitur credendum est quod Deus fecerit, ut dignum praepararet locum vero Christo, qui per arcam praefigurabatur? Plane quod omnes thesauros divinarum gratiarum ad hoc opus impenderit, nam Christi infinita est dignitas, infinitum meritum.

Maria, vera arca Dei, ex pretiosissimis condita quoad naturam et gratiam.

III. Ut tabulae legis, Dei digito conscriptae, honesto loco reponerentur, ac perpetuo tanquam inaestimabilis thesaurus asservarentur, iussit Deus ex nobilissimis lignis arcam fieri, et optimi auri laminis intrinsecus extrinsecusque vestiri, ac sacratissimo loco, in ipso sancto sanctorum collocari sub divino propitiatorio in medio Cherubim gloriae.[9] Tabulae illae procul dubio Christum praefigurabant, arca vero Mariam semper Virginem. Haec ex lignis nobilissimis facta est quoad naturam, et auro optimo induta intrinsecus et extrinsecus quoad gratiam.

et perfectionibus paulo minor Christo.

Advertendum est autem quod in mensuris arcae huius latent mysteria. Statuitur longitudo arcae duorum cubitorum et semis, latitudo unius cubiti cum dimidio, et similiter altitudo;[10] qui omnes cubiti faciunt quinque cubitos et semissem, deficientes a senario, qui est numerus perfectus ac primus perfectorum, cum constet ex omnibus suis partibus aliquotis. Propitiatorium autem, quod erat supra arcam, totum ex auro mundissimo, et Christum designabat, habebat duos cubitos et semissem in longitudine et cubitum cum dimidio in latitudine,[11] quae faciunt quatuor cubitos; quaternarius autem virtute denarius est, qui est sphaera omnium numerorum. Sic Christus perfectissime in seipso omnia continet. Mariae autem deest aliqua perfectio. Non enim de virgine concepta est opera Spiritus Sancti ut Christus; nec in seipsa continet omnem plenitudinem Spiritus Sancti sicut Christus, de quo scriptum est: *Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus*, etc.;[12] nec a se gratiam habet ut Christus, qui est sol iustitiae, ipsa enim luna est.

Divinitatis arca Maria immaculatissima evincitur ex auctore Spiritu Sancto.

IV. Tanti tamen fecit Deus arcam illam, ut ad eam optime construendam artificem prius coelesti sapientia donarit, et Spiritu Sancto replerit;[13] ita ut Spiritus Sanctus censendus sit auctor illius arcae, ut in ea coelestis reponeretur legis thesaurus. Et non existimandum

9) Cf. Ex 25, 10-20. 10) Cf. ibid. 37, 1. 11) Cf. ibid. 37, 6. 12) Is 11, 2. 13) Cf. Ex 36, 1.

hoc idem est de hac Divinitatis arca quod Spiritu Sancto auctore constructa sit magno miraculo? Voluit Deus formari arcam illam quadrangulari figura triplicique mensura longitudinis, latitudinis et altitudinis mensurari propter quatuor virtutes cardinales, quae etiam quatuor circulis sive anulis aureis in quatuor angulis arcae designantur, et tres theologicas fidem, spem et caritatem: *Deaurabis,* inquit, *eam auro mundissimo,*[14] gratia perfectissima, qua sub Deo maior non possit. qui ornavit eam omnibus virtutibus.

Iussit eam collocari in sancto sanctorum,[15] qui sacratissimus erat locus Dei et Angelorum Christique, in signum quod Virgo locum tenuit divinae sanctitatis. Nulla penitus peccati macula in Deo, nulla in Christo, nulla in Angelis; sic nulla in Maria. Hoc significat aurum mundissimum ex quo divinum propitiatorium et Cherubim gloriae effecta erant;[16] hoc sanctissimus et sacratissimus locus sanctuarii, ubi posita arca fuit. Sic auro mundissimo deauratam locoque sanctissimo positam Angelus demonstravit, dicens: *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus;*[17] subiunxit Elisabeth ex afflatu Spiritus Sancti: *Et benedictus fructus ventris tui:*[18] simili ac fere eadem gratiae benedictione tu benedicta, qua fructus ventris tui. collocavit in sancto sanctorum,

Gratia plena. Ubi consistit gratia? In anima, in animo hominis. Sed quaenam est magnitudo, capacitas, amplitudo animi et cordis humani? Plane infinita; mundus totus parvus est, amplitudinem animi nostri implere non potest, nec mille aut millies mille mundi, ita ut plenus sit animus, nihil amplius desiderare possit. *Ave, gratia plena.* omni gratia desiderabili; ergo et gratia angelicae innocentiae et puritatis. *Deaurabis eam auro mundissimo.* Num excogitare possumus metallum auro nobilius et pretiosius? Minime. Hoc ergo significat quod Beata Virgo ea sanctitate nituit, plenaque fuit, qua maior sub Deo nequit intelligi. Sicut etiam in *Canticis* dicitur: *Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol.*[19] Quaeso, notate gradus. Comparatur primo stellae pulcherrimae Veneri in aurora. Sed adhuc lucem maiorem excogitare possumus, qualis est lunae plenae. Sed adhuc possumus maiorem qualis est lux solis: luce autem solis maiorem non possumus intelligere. Sic ait: *Quasi aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol.* Ob eandem causam legimus in *Apocalypsi: Signum magnum apparuit in coelo, mulier* locupletavit gratia qua maior nequit intelligi; hinc luce amicta stellarum, lunae et solis.

14) Ex 25, 11. 15) Cf. ibid. 25, 20. 16) Cf. ibid. 25, 17-18. 17) Lc 1, 28.
18) Ibid. 1, 42. 19) 6, 9.

amicta sole, etc.[20] Ornatur luminibus ac splendoribus stellarum; sed maius est lumen plenae lunae et adhuc maximum lumen solis: *Mulier amicta sole. Deaurabis eam auro mundissimo.*

Maria magnum miraculum puritatis.

Sed notate verba illa: *Signum magnum. Signum*, idest, miraculum: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum*,[21] idest, miraculum; *Volumus a te signum videre*,[22] idest, miraculum. *Signum magnum*, idest, magnum miraculum. Post mundi creationem duo cernimus genera operum Dei: quaedam sunt ordinaria ac naturalia, qualia sunt opera universalis providentiae et regiminis naturae; alia sunt extraordinaria ac supernaturalia insolitaque, et ideo miracula dicuntur, qualia sunt quae legimus in Divinis Scripturis Veteris et Novi Testamenti. Maria profecto opus Dei est, creatura Dei, sed opus extraordinarium, opus mirabile, magnum miraculum; hinc ait: *Novum creavit Dominus super terram, femina circumdabit virum*,[23] mulier concipiet Deum. Non, inquit, faciet, sed *creabit*, et *creabit novum*, rem nunquam visam, creabit magnum miraculum: *Signum magnum apparuit in coelo*, magnum miraculum divinae sanctitatis nunquam visum.

Sanctificatio in utero non est res nova; fuit sanctificatus in utero Ieremias propheta Dei,[24] sanctificatus Ioannes praecursor Christi;[25] sed *novum creavit Dominus super terram: Mulier amicta sole*, plena sanctitate qua maior nec intelligi nec excogitari potest: *Deaurabis eam auro mundissimo*. Quod si Deus ministros suos in coelo voluit esse omnino sine vel minima macula peccati, purissimos, immaculatissimos; quid mirum si talem elegit Matrem?

Divinitatis arca Maria immaculatissima evincitur ex habitatore Christo, qui, pro facultate eligendi, Matrem purissimam voluit.

V. Sed, quaeso, audite meam hanc meditationem. Si homo, antequam nasceretur, crearetur a Deo purus spiritus, cum facultate eligendi sibi parentes quales vellet pro libito; dicite: Quales sibi parentes eligeret? Nonne honestissimos, nobilissimos, optimos? Solus Christus hanc habuit potestatem. Videte, quaeso, qualem sibi Patrem elegit, si potuit meliorem eligere! Noluit alium habere patrem in terra, sed solum Deum in coelo, ut Deus Pater ipsius esset etiam secundum humanitatem. Videtis optimam electionem! Et non vultis, ut Matrem sibi elegerit similem Patri? Potuit eligere, imo formare sibi optimam Matrem, omnino sanctissimam, similem Patri; et existi-

20) 12, 1. 21) Is 7, 14. 22) Mt 12, 38. 23) Ier 31, 22.
24) Cf. ibid. 1, 5. 25) Cf. Lc 1, 15.

mandum est quod noluerit? Quod Matrem sibi elegerit, quae aliquando fuerit vile diaboli mancipium, ut diabolus possit Christo exprobrare et dicere: Cuiusnam filius tu es? An non mulieris, quae meum aliquando fuit mancipium? quae a me fuit dehonestata? a me deflorata? Absit, absit, ut diabolus tale quid possit exprobrare Christo.

Originale autem peccatum hominem efficit inimicum Dei, diaboli mancipium, animam diaboli scortum; hinc enim peccatum fornicatio dicitur.[26] Hoc est quod Divus Augustinus, lib. *De Natura et Gratia* contra Pelagianos, cap. 36, dixit disertis verbis: « Excepta sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quaestionem; inde enim scimus quod ei plus gratiae collatum sit ad vincendum omni ex parte peccatum, quia concipere et parere meruit eum quem constat nullum habere peccatum ».[27] Ubi Augustinus contra Pelagianos loquitur, qui originale negabant peccatum; nam, si de actualibus loqueretur, non solum Virginem excepisset, nam multi Sanctorum cum solo originali absque ullo actuali decesserunt, ut Sancti Innocentes; sed « nullam, inquit, volo habere questionem propter honorem Domini »; nullam ergo nec de originali propter honorem Domini, ne diabolus haberet quod Christo exprobrare posset.

non mancipium satanae

Sic Christus immaculatam sibi Matrem elegit omni ex parte sibi similem. Sic legimus quod *sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem*,[28] domum aedificavit fundatam supra septem columnas, quae sunt Spiritus Sancti dona; sic quod *Salomon rex ferculum sibi fecit ex lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum*,[29] idest, composuit sibi cubile pretiosissima nobilissimaque materia pro viribus ditissime ornatissimum. Sicut etiam thronum quod sibi fecit ex ebore, vestivit auro optimo,[30] ita ut nil mirabilius videri possit.

sed similem sibi.

VI. Sed aliam adhuc, quaeso, considerationem audite. Divus Petrus ad ostendendam Christi innocentiam id tantum dixit: *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius.*[31] Super quae verba Divus Augustinus, lib. 5 *Contra Iulianum Pelagianum*, cap. 15, ait: « Notandum est quod iudicaverit Apostolus sufficere ad ostendendum in Christo nullum fuisse peccatum, dicere nullum eum fe-

Divinitatis arca Maria immaculatissima evincitur quia nullum actuale peccatum commisit ergo non habuit originale.

26) Cf. Jer 3, 2-3; 13, 27; Ez 16, 15-25; 23, 5-43; Os 5, 13; 8, 9; 12, 1 et alibi.
27) P. L. 44, 267. 28) Prv 9, 1. 29) Ct 3, 9. Vulg. habet: *Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani*, etc. 30) Cf. 3 Rg 10, 18. 31) 1 Petr 2, 22.

cisse peccatum, ut doceret, quia qui non fecit, habere non potuit. Omnino verissimum est, profecto enim peccatum etiam maior fecisset, si parvulus habuisset, nam propterea nullus est hominum praeter ipsum qui peccatum non fecerit grandioris aetatis accessu, quia nullus est hominum praeter ipsum qui peccatum non habuerit infantilis aetatis exortu ».[32] Ubi docet Augustinus quod omnis qui in originali peccato conceptus, aliquod commiserit adulta aetate actuale peccatum, nam originale radix est actualium. Sed Beata Virgo nullum actuale commisit, ergo nec originale contraxit. Et si ad probandum quod Christus originale peccatum non habuerit, iudicio Petri Apostoli sufficit dicere quod peccatum non fecerit: ergo similiter de Beata Virgine dicendum est, cum sine omni macula praedicetur in Divinis Scripturis.[33]

Divinitatis arca Maria immaculatissima evincitur a gloria Dei manifestanda.

VII. Et adhuc, quis nesciat quod quaecumque Deus extra se operatus est, omnia effecit ad ostendendos thesauros infinitos potentiae, sapientiae et bonitatis suae, ad gloriam nominis sui? Ob id enim tot tantaque miracula facta legimus tum in Veteri tum in Novo Testamento, ad declarandam manifestandamque divinam gloriam et maiestatem; eaque magis credenda de Deo sunt, quae ad Dei gloriam promovendam magis conducunt. Sed procul dubio immaculata conceptio Virginis Deiparae huiusmodi est, declarat enim Dei potentiam, sapientiam et bonitatem.

Magis elucet potentia praeservatione quam liberatione a peccato.

Potentiam, de qua ipsamet ait: *Fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen eius.*[34] Exercuit, inquit, magnam potentiam suam, ut magna sanctitate me sanctificaret. Non dicit: Qui misericors est ad delendum peccatum, sed *potens* ad creandam naturam et gratiam. Declarat mysterium hoc quod Deus potuit creare animam in gratia in hoc mundo, sicut ab initio creavit Angelos in coelo; quod divina Maiestas non est suis legibus subiecta, sed potest contra communem legem ex gratia et privilegio aliquid concedere; quod potest redimere a peccato non solum liberando, sed etiam praeservando a peccato, ut sic declaretur perfectus Redemptor, ne quis diceret id quod Iudaei in morte Lazari dicebant: *Non potuit hic, qui aperuit oculos caeci nati, facere ut hic non moreretur,*[35] praeservando eum a morte, sicut praeservavit servum centurionis[36] et filium reguli,[37] quos dicimus liberatos a morte. Maiorem declarat Dei potentiam,

32) P. L. 44, 815. Ms. loc.: Cap. 15, habet: Cap. 9. 33) Cf. Ct 4, 7. 34) Lc 1, 49.
35) Io 11, 37. Vulg. *Non poterat*, etc. 36) Cf. Mt 8, 5-13. 37) Cf. Io 4, 46-53.

quia haec maior est gratia, animamque Deo et Christo efficit absque omni macula multo similiorem.

Declarat Dei sapientiam quod in Beatae Virginis anima uno momento depinxerit perfectissimam Christi imaginem vivis coloribus, absque ulla penitus macula; quod multo melior sit virginitas illibata perpetuaque spiritus quam carnis; sicque effecit Deus, ut sicut illibata Virgo fuit corpore, ab homine minime tacta, ita et spiritu nunquam violata a diabolo. Nam insipientiae fuisset eligere potius corpoream virginitatem quam spiritualem: et stultitiae tribueretur regi, si permitteret sponsam sibi mox copulandam ab inimicis prius capi et violari, ut eam postea vi de manibus eorum eriperet, cum honoris iactura sit irreparabilis.

Magis elucet sapientia electione virginitatis spiritus et carnis quam carnis tantum.

Declarat Dei bonitatem, qua voluit purae creaturae communicare perfectum gratiae thesaurum, perfectam sanctitatem, omnem perfectionem gratiae, perfectam puritatem et innocentiam, perfectam divinae bonitatis et sanctitatis similitudinem imaginemque. Et cur non omnem gratiae thesaurum conferret cui contulit omnes Divinitatis thesauros, collocans in ea omnem Divinitatis plenitudinem, quando *sic* eam *dilexit, ut* ei *Filium suum Unigenitum daret*?[38] Quomodo non simul cum eo omnia ei donavit?[38a]

Magis elucet bonitas communicatione perfectae quam imperfectae puritatis.

Vere liceat mihi hoc dicere, aurumque ex Aegypto in terram promissionis transferre.[39] Videtur mihi Virgo Sanctissima sicut Pandora illa, quam finxit Hesiodus[39a] primam mulierem iussu Iovis a Vulcano formatam, cui omnes dii dona dederunt: Pallas sapientiam, Venus pulcritudinem, Mercurius eloquentiam, Apollo musicen, sicque dii omnes suis muneribus eam cumularunt. Sic, inquam, coelestis haec mulier omnibus coelestium spirituum Sanctorumque omnium dotibus, virtutibus donisque et gratiis exornata cumulataque a Deo fuit; ita ut nihil sit candoris, nihil sit splendoris, nihil sit virtutis, quod non resplendeat in Virgine Gloriosa.

Maria coelestis Pandora.

Declarat tandem perfectam Dei erga Christum caritatem: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.*[40] Semper Deus modis omnibus quibus potuit Christi unici Filii sui honorem et gloriam quaesivit ac procuravit. Hinc ante ipsius adventum Prophetas sanctificavit, Spiritu Sancto replevit miraculisque illustravit, ut futuram Christi gloriam pro dignitate praedicarent; sic postea Apostolos Spiritu Sancto misso de coelo, veluti deificavit, ut essent idonei

Magis elucet Dei erga Christum caritas. Christo probrum esset Matrem habere a diabolo violatam.

38) Io 3, 16. 38a) Rom 8, 32. 39) Alludit ad Ex 12, 35. 39a) Cf. *Opera et Dies* (graec. Ἔργα καὶ Ἡμέραι) p. 1, vrr. 42-104. Edit. Basileae an. 1544. 40) Mt 17, 5.

ministri Christi: *Idoneos ministros nos fecit Novi Testamenti,* inquit Paulus.[40a] Ad hoc sanctificavit Ieremiam in utero matris,[41] ad hoc Ioannem Baptistam non solum sanctificavit, sed etiam Spiritu Sancto replevit;[41a] sic modis omnibus Christi honorem procuravit. Et tandem, cum magna Christi ignominia permiserit, ut nasceretur ex muliere violata a satana? Quis nesciat quod Deus honoris sui zelantissimus est: *Honorem meum alteri non dabo?*[42] Et permiserit eam quae ipsius Sponsa futura erat et Mater Unigeniti Filii sui a diabolo stuprari et deflorari? Quid magis desideratur in sponsa quam honor? Et non desideraretur in Sponsa Dei, in Matre Christi?

Divinitatis arca Maria immaculatissima evincitur a natura peccati, summi mali.

VIII. Natura quoque ipsius peccati eandem hanc veritatem demonstrat atque evincit. Nam, cum suapte natura peccatum infinitum quoddam sit malum, adeo ut nos infinita Dei caritate, gratia, bonitate et gloria indignos in aeternum constituat, procul dubio malum est multo maius quovis alio malo, privatione cuiusvis boni; maius est malum quam mors, quam privatio vitae, gloriae et cuiusvis dignitatis, adeo ut sapienti viro mors sit potius eligenda et infernus quam peccatum; ita ut, si animae Virginis data fuisset optio, potius elegisset non esse nec nasci, quam peccato foedari, ad instar Arminii, quod animal mori potius eligit quam pollui quovis modo et foedari.[42a] Ad quid ergo Deus tale tantumque malum permiserit? Nunquam enim Deus magnum permittit malum nisi propter maius bonum. Ad quid ergo Deus permiserit Virginem Sanctam a diabolo violari, cum multae virgines sanctae mortem potius elegerint, quam se violari permiserint? Si Deus propter divinam maternitatem, infinitam plane dignitatem, praeservare voluit Virginem a minoribus malis, a venialissimis culpis, a quam minimis peccatulis, quae animam nihil fere laedunt et maculant; cur non ab originali, quod animam interimit tanquam letale et mortiferissimum venenum? Si corpus a corruptione praeservare voluit, cur non animam?

A nobis munus fidei de immaculata

IX. Sed tandem ex humanis rationibus aliquid dicam. Non praecipit Summus Pontifex ut sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales aut

40a) 2 Cor 3, 6. Vulg.: *Qui et idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti.* 41) Cf. Ier 1, 5. 41a) Cf. Lc 1, 15. 41. 42) Is 42, 8. Vulg.: *Gloriam meam,* etc. 42a) Arminius (*Serm. 2 in Signum Magnum,* pag. 25 huius vol., *topus albus* etiam vocatus) est *mustela alba* vel (secundum Linnaeum) *mustela herminea,* ital. *ermellino.* Ferdinandus I Neapolis rex an. 1483 sub hoc nomine militarem ordinem (*L'Ordine dell'Ermellino*) instituit, eique pro insigni hoc animal dedit cum hac inscriptione: Malo mori quam foedari. Cf. Lex. *Enciclopedia Italiana,* sub verbo *Ermellino.* Edit. Venetiis an. 1837.

nobilissimarum ecclesiarum Antistites, Episcopi, Archiepiscopi et Patriarchae dicantur Illustrissimi; honoris tamen causa et ad illorum dignitatem honorandam nedum a servis, sed ab omnibus fere Illustrissimi vocantur, sicut Venetiis summi senatores et procuratores reipublicae. Et multis ducibus Italiae non concessit imperator titulum Altitudinis Serenissimae; attamen, quia non prohibet, ab omnibus fere et maxime a vassallis dignissimo hoc titulo honorantur. Ita, inquam, non praecipit Deus ut credamus immaculatam Virginis conceptionem, nec manifeste legimus in Divinis Litteris privilegium hoc imperiale a sacra caesarea Maiestate Summi Imperatoris Dei Virgini concessum; at nec prohibitum aut vetitum legimus ne Sanctam Virginem honestissimo hoc titulo honorare possimus.

conceptione, saltem ex devotione et decentia Mariae offerendum,

Sicut autem principibus quaedam quidem dantur ex debito, ut tributa et census, quaedam vero, ut munera, praesentantur honoris causa et benevolentiae ergo; ita in Divinis Litteris serenissimae huic Principi, Reginae, Imperatrici quaedam necesse est ut offeramus tanquam debita: quod sit Mater Dei, perpetua virgo, gratia plena etc.; quaedam vero tanquam munera: quod sit assumpta in coelum corpore et spiritu, quod sit nata sancta, quod sit sine peccato concepta. Offeramus ergo hoc munus Sanctissimae Virgini, etc.

Levit. 21,[43] mandatum dedit Deus ut summus pontifex non posset ducere uxorem nisi virginem et de populo suo, non alienigenam aut viduam vel repudiatam aut meretricem. Sed quidnam summus pontifex tunc Ecclesiae hierarcha designabat nisi Deum? Accepturus erat uxorem Deus; sed virginem omnino illibatam, sanctam corpore et spiritu, non a satana stupratam et violatam, absit, magis enim spirituali quam corporea virginitate delectatur Spiritus Domini.

et Deus imitandus, qui Sponsam elegit immaculatam.

Simile: sponsa summi sacerdotis,

Oraculum templi, in quo arca reponenda erat, totum fuit laminis aureis tectum, ita ut tota domus aurea videretur, etiam pavimentum, ita ut, sicut *Paralip.* lib. 2, cap. 3[44] legimus, sexcenta auri talenta ad hoc opus impensa [fuerint]. Sic Deus locum habitationis Filii sui voluit pro dignitate auro pretiosissimo omni ex parte ornatum esse. In oraculum sive sanctum sanctorum nonnisi solus pontifex ex decreto Dei ingredi poterat;[45] et permiserit Deus, ut intra hoc sanctuarium prius diabolus intraverit, ad foedandum et polluendum illud?

oraculum templi,

43) Cf. vv. 13-15. 44) Cf. v. 8. 45) Cf. Hebr 9, 7.

Moyses et rubus.

Ad locum, in quo Deus erat, nec Moyses calceatis pedibus permissus est accedere: *Ne accedas... huc; solve calceamenta de pedibus tuis, locus enim in quo stas terra sancta est;*[46] et permissus fuerit satanas accedere ad polluendum illum? Deponenda sunt involucra carnalium cogitationum,[47] si accedere volumus ad locum divinae habitationis, ubi rubus ardet, et non comburitur, quoniam Deus ibi est.

Pharao et terra sacerdotalis.

Si Pharao rex Aegypti universam terram tributariam effecit, excepta terra sacerdotali, ob sacerdotii honorem a tributo eam exemit, *Gen.* 47;[48] quid mirum si Deus ad honorem Unigeniti Filii sui, qui *sempiternum habet sacerdotium,*[49] terram hanc semper benedictam a tributo peccati originalis liberam esse voluit?

46) Ex 3. 5. Vulg.: *Ne appropies, inquit, huc,* etc., et *Calceamentum.* 47) Cf. D. Bernard. *Serm. in Dominic. infra Oct. Assumpt. B. M. V.* n. 5. (P. L. 183. 1008). 48) Cf. vr. 26. 49) Hebr 7. 24.

SERMO QUARTUS

DOMUS INCARNATI VERBI MARIA IDEO IMMACULATA

Beatus venter qui te portavit, et ubera quae suxisti. [1]

I. Exclamat haec mulier ex nimia admiratione, cognita Christi Divinitate ex Spiritus Sancti afflatu, totaque admirabunda prorumpit in laudem mulieris, quae talem ac tantum concepit et peperit filium. Sicut sanctus patriarcha Iacob, habita coelesti visione, qua Deum in humana forma sibi apparentem vidit in Luza, exclamavit, dicens: *Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam; pavensque: Quam terribilis est, inquit, locus iste; non est hic aliud nisi domus Dei et porta coeli;* [2] ita de beatissimo utero hoc. *Vere Dominus* fuit *in loco isto;* non tantum sicut in universo mundo per potentiam, essentiam et praesentiam, non sicut in Ecclesia per gratiam, per fidem, spem et caritatem, non tantum per gloriam, visionem, fruitionem et possessionem sicut in paradiso; sed per mysterium divinae Incarnationis, per hypostaticam unionem divinae cum humana natura. *Hic domus Dei est,* venter hic beatissimus domus Dei specialissima supra mundum, supra Ecclesiam, supra paradisum; domus illa, de qua legimus, *Prov.* 9: *Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem, immolavit victimas suas, miscuit vinum, et posuit mensam, et misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem et ad moenia civitatis,* hebr. *ut vocarent ad excelsam arcem urbis.* [3]

Mulier evangelica et patriarcha Iacob de Incarnati Verbi Domo admirabundi.

1) Lc 11, 27. 2) Gn 28, 16-17. 3) Vrr. 1-3.

Mirabiles domus pro creaturis a Deo factae, mirabilior pro seipso.

II. Divina sapientia plenus Salomon aedificavit tria magna ac prodigiosa aedificia: templum Domini et palatium regium itemque palatium reginae filiae Pharaonis.[4] Deus aedificavit mundum hunc pro hominibus, paradisum pro Angelis et habitationem pro Filio, imo Filius ipse, qui est sapientia Patris,[5] pro seipso; ipse enim et mundum et paradisum fabricatus est. Quod si tam magnam domum Deus fabricatus est pro servis suis hominibus, qualis mirabilis hic mundus est, tam mirabilem pro Angelis, qui nobilioris ac principalioris quidem nobilitatis supra homines, sed tamen ipsi quoque nonnisi servi Dei sunt; quid fecerit pro Filio? Quid pro seipso? *Sapientia aedificavit sibi domum*, non homini, non Angelo, sed *sibi*. Qualis est Christi dignitas supra homines et supra Angelos, talis, data proportione, est dignitas huius aedificii supra mundum, supra paradisum.

Mulier geniti hominis primus locus et domus. Maria, Incarnati Verbi Domus, maximo sumptu et artificio aedificata.

III. *Aedificavit sibi domum*. Ab initio Deus dictus fuit agricola, cum plantavit paradisum;[6] figulus et plastes, dum produxit Adamum: *Formavit Dominus Deus hominem de limo terrae*,[7] et fabricator, cum Evam constituit, nam *tulit* costam *et aedificavit*... eam *in mulierem*;[8] nam creata fuit mulier propter generationem humanam, ut geniti hominis esset primus locus ac domus, in qua per novem menses habitat. Virgo autem Beatissima aedificata est in domum Unigeniti Filii Dei.

Aedificavit sibi domum maximo sumptu. Sicut David, ut aedificaret templum Domino, exposuit impensas incredibiles, totum effudit aerarium ac thesaurum regium, dicens *quia non homini, sed Deo habitaculum praeparatur*, propterea non poterat sibi facere satis;[9] ita plane Deus fecit quidquid potuit ad honorem Filii pro ipsius dignitate in hoc aedificio construendo.

Aedificata magno cum artificio optimeque fundata, nam *excidit columnas septem*. En omnes Spiritus Sancti dona coelestesque virtutes. Sed domum aedificavit sacram, templum sanctum; propterea *immolavit victimas, miscuit vinum et posuit mensam. Domum* Dei *decet sanctitudo*.[10]

Maria, Incarnati

IV. Sed ubi fundata? *Ad excelsam arcem urbis*, sicut templum

4) Cf. 3 Rg 6, 1 sqq.; 7, 1-8. 5) Cf. 1 Cor 1, 24. 6) Cf. Gn 2, 8. 7) Ibid. 2, 7. 8) Cf. ibid. 2, 22. 9) 1 Par 29, 1-5. Vulg. habet: *Neque enim homini praeparatur habitatio sed Deo*. 10) Ps 92, 5.

Domini in Ierusalem supra montem Sion,[11] loco omnium celsissimo. Mira legimus de mirabili hac fundatione. Ezechiel ait, cap. 43: *Lex domus Domini in summitate montis*, et *omnis finis*, idest terminus, *eius... sanctum sanctorum*, hebr. *sanctitas sanctitatum*,[12] idest, erit omni ex parte omnis templi terminus supra modum sanctissimus. Ita plane in summo sanctitatis gradu fundata est domus Dei haec. Est autem sanctitas ibi ubi gratia Dei est, ubi nullum in conscientia est peccatum mortale; sed non est sanctitas sanctitatum. Datur sanctitas maior, qualis est cum per gratiam Dei conscientia pura est etiam a peccatis venialibus, qualis fuit sanctitas Ioannis Baptistae et Apostolorum post acceptum Spiritum Sanctum; sed adhuc reperitur sanctitas maior, Christi et Angelorum absque ulla macula peccati etiam originalis. Sic fundata est domus haec in *sanctitate sanctitatum:* propterea in sancto sanctorum erat propitiatorium, Cherubim et arca:[13] Christus, Maria, Angeli sine omni peccato.

Verbi Domus, supra montem celsissima sanctitatis fundata, idest, sine peccato originali.

David autem fundatam dicit supra montes: *Fundamenta eius in montibus sanctis*, hebr.: *Fundatio eius in montibus sanctitatis. Montes sanctitatis* dicit maximam et incredibilem sanctitatem, sicut Latini dicunt montes aureos. Hoc autem quia dicit: *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula* Sion;[14] idest, diligit Dominus Mariam super omnes animas et creaturas electas. Hinc est quod tam gloriose divinitus ditata est coelestibusque divinisque Spiritus Sancti opibus divitiisque, ut omnem superet dicendi facultatem: *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei*,[15] hebr.: *Gloriosa dictum de te.*

et omnibus Spiritus Sancti opibus ditata.

Isaias cum Michaea dicit fundatam domum hanc in vertice montis fundati supra excelsos montes: *Erit... praeparatus mons domus Domini in vertice montium.*[16] Montes enim sunt Patriarchae, Prophetae, Apostoli, Angeli, Cherubim, Seraphim; sed mons hic sanctitatis Mariae est *in vertice montium.*

V. Sed ad quid talem tantamque copiam gratiarum? Ut satisfaceret Deus infinitae dignitati Christi, ut ostenderet quali quantoque honore dignus Christus est, propterea talem tantamque domum ei aedificavit; deinde ut satisfaceret necessitati, ut posset haec Virgo

Maria tam mire ditata ut satisfaceret Deus infinitae dignitati Christi et nostrae necessitati.

11) Templum situm erat in monte Moria (2 Par 3, 1); qui tamen, praesertim post templum aedificatum, Sion communiter appellabatur. (Ps 75, 3; 1 Mac 4, 37). 12) Vr. 12. 13) Cf. 3 Rg 6, 19-28; 8, 4-7. 14) Ps 86. 2. 15) Ibid. vr. 3. 16) 2, 2; 4, 1. Ms.: loco *Isaias*, habet: *Ieremias*.

subvenire paupertati nostrae. Sicut enim ad communem utilitatem, commodum et voluptatem totius mundi posuit Deus in coelo inter innumeras stellas duo luminaria magna luce ditissima ad totum illuminandum mundum; [17] ita plane ingentibus divinarum divitiarum et gratiarum thesauris Deus Christum et Mariam ditavit ad totius mundi communem utilitatem; ut posset omnes iuvare, omnibus benefacere Virgo Beatissima tantopere ditata a Deo in perpetuum fuit. In hoc mundo qui multis dat, non potest nisi parum dare nec diu, quoniam deficiunt opes, siccantur fontes terrenarum divitiarum. Non sic autem coelestium; inexsiccabiles sunt, exhauriri nunquam possunt, sicut solis lux nunquam deficit, omnes illuminat, omnibus dat lucem copiosam larga manu et semper. Talis est Beata Virgo Maria, vere beatissima: *Beatus venter qui te portavit;* beatissima est quia potest semper et omnibus benefacere; *beatius* autem *est magis dare quam recipere.* [18] Beati qui spirituali affectu serviunt ei.

17) Cf. Gn 1, 16-18. 18) Act 20, 35. Vulg.: *Accipere.*

SERMO QUINTUS

HABITACULUM DEI MARIA IDEO IMMACULATA

Liber generationis Iesu Christi Filii David, Filii Abraham. Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob, Iacob autem genuit, etc. [1]

I. Mirandum profecto quod Evangelistae nullam faciunt mentionem de conceptione aut nativitate Sanctissimae Virginis, sicut de conceptione et nativitate Christi, nam Moyses quidem non tantum de hominis, sed etiam de mulieris creatione scripsit historiam; [1a] sed introducitur ipsa Virgo in Evangelio sine patre, sine matre, sine genealogia ad instar Melchisedech regis Salem, sacerdotis Dei Altissimi [2] et ad instar Eliae prophetae, [3] imo ad instar Angelorum et paradisi coelestis, de quibus, quomodo creati fuerint aut quando, nullam Moyses fecit mentionem, sicut de creatione coeli et terrae, solis et lunae, hominis et terrestris paradisi. [4]

Virgo Deipara immaculata est, quia conceptio eius conceptioni immaculatae Christi persimilis.

Quid, quaeso, num indigna res Moysi visa fuit mentionem facere de creatione coelestis paradisi sicut de terrestris, de creatione Angelorum sicut de creatione hominum? Sed, quia Divino Spiritu afflatus Moyses non humano impulsu scribebat, noluit Deus ut coelestis paradisi et Angelorum creationem litteris consignaret, ne animales homines de Angelis et coelesti illo paradiso quid vile putarent, et spirituales viri ex consideratione creationis hominis et terrestris paradisi surgerent ad contemplationem paradisi coelestis beatorumque spirituum, quod quanto est coelum terra nobilius et sol luna lucidior,

Nulla mentio in Scripturis de creatione coelestis paradisi et Angelorum, ne quid vile putentur.

1) Mt 1, 12. 1a) Cf. Gn 1, 20-30; 2, 7. 21-24. 2) Cf. ibid. 14, 18-24; Hebr 7, 3.
3) Cf. 3 Rg 17, 1. 4) Cf. Gn cpp. 1-2.

tanto coelestis paradisus terrestri beatior, et Angelus homine dignior atque nobilior.

sic nulla mentio de conceptione Deiparae, sed tantum Filii eius, quia persimiles.

Sic utique, cum Evangelistae non humano spiritu ducti, sed Spiritu Sancto inspirati sacram Evangelii divinamque historiam monumentis aeternis demandarent, noluit Spiritus Sanctus ut de Mariae Virginis conceptione et nativitate quidpiam dicerent, ne quid vile putaremus de ea audientes eam ex patre matreque ad instar aliorum quorumvis hominum natam atque conceptam; sed sacro silentio voluit eam honorare, sicut silentio honestata est coelestis paradisi et Angelorum creatio, et ut ex Christi conceptione atque nativitate Beatae Virginis intelligeremus sanctam nativitatem immaculatamque conceptionem. Nam sicut creatio coeli et terrae, solis et lunae, hominis et mulieris persimilis fuit, quamvis coelum sit terra nobilius, sol luna lucidior, homo muliere dignior; sic, quamvis Christi conceptio multo nobilior ac dignior fuerit conceptione Beatae Virginis, haec tamen illi persimilis fuit, sicut formatio Evae formationi Adami: *Faciam*, inquit, *ei adiutorium simile sibi.*[5] Sicut formata fuit Eva a latere Adae,[6] illi quidem similis, quamvis inferior; sic Maria a Christi latere quoad gratiam, uti illa quoad naturam.

Maria in omnibus Christo similis;

Et quidem Maria in omnibus Christo similis est quoad naturam, quoad gratiam et quoad gloriam: quoad naturam eiusdem cum Christo naturae, quoad gratiam ipsa quoque sancta, gratia et Spiritu Sancto plena,[7] et quoad gloriam Christo similis uti luna soli, regina regi: *Astitit regina a dextris tuis.*[8] Imo similis Christo Maria in praedestinatione, similis in nativitate, similis in vita, similis in morte, similis in resurrectione, similis in assumptione, similis in glorificatione. Similis, inquam, in praedestinatione, quoniam Christus praedestinatus est non ut Deus, sed ut homo Filius Mariae, ergo una cum Christo praedestinata est Maria; similis in nativitate, quoniam sancta nata est, uti Christus; similis in vita, quoniam sanctissime vixit; similis in morte, quoniam sine aliqua culpa mortua fuit; similis in resurrectione, quoniam gloriosa resurrexit et ascendit in coelum, ibique in summa gloria a dextris Christi sedet super omnes Angelorum choros. Sic etiam in conceptione similis Christo existimanda est, ut sicut Christus sine peccato fuerit concepta, sancta et gratia plena, sicut sol, luna et stellae, quibus comparatur,[9] luce pleni creati fue-

ergo et in conceptione immaculata.

5) Ibid. 2, 18. *Faciam* ex hebr. 6) Cf. ibid. 2, 21. 7) Cf. Lc 1, 28. 35.
8) Ps 44, 10. 9) Cf. Ct 6, 9.

runt. Ob id ergo Ecclesia in conceptione et nativitate Beatae Virginis legit Evangelium conceptionis et nativitatis Christi, ob nimiam, inquam, similitudinem. Et quidem, si Christus vere est filius Mariae, genealogia Christi utique est genealogia Mariae.

II. Deinde legit sancta Ecclesia hoc Evangelium, in quo vel sola haec laus Beatae Virginis continetur quod sit Mater Christi: *Virum Mariae, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus*, quia haec sola sufficit. Haec enim, sicut unitas suo simplicissimo sinu omnium numerorum species, veluti thesauro complectitur omnes Beatae Virginis laudes, quod praedestinata fuerit a Deo nataque in mundo, ut Dei Mater esset. Id solum, si intelligatur, sufficit.

Virgo Deipara immaculata est, quia qua Mater Dei digna habitaculum eius.

Sicut enim sapiens architectus, regale palatium construens, loca pro dignitate distribuit; sic et Deus, mundum veluti regale quoddam palatium fabricans, quibusque rebus apta loca constituit: animalibus terram, piscibus aquam, avibus aera, stellis firmamentum, homini paradisum terrestrem, Angelis paradisum coelestem, et in coelesti quidem paradiso nobilioribus Angelis nobiliora loca constituit: *In domo Patris mei mansiones multae sunt.*[10] Filio autem suo super omnes Angelorum choros ad dexteram suam locum constituit.[11] Quem ergo locum existimandum est Filio suo in terris incarnando et humanando praeparasse? Quam habitationem, ut digna tanto habitatore esset? Plane, si quo Angelus natura nobilior homine est, eo coelestis paradisus Angelis deputatus gloriosior beatiorque fuit terrestri pro homine condito; dicendum est quod, quo Filius Dei Angelis est nobilior, eo ipsius habitationis locus domicilio Angelorum.

Deus, sapiens architectus, loca pro dignitate distribuit; Filio suo in coelo locum nobiliorem dat;

ergo et in terra dat matrem sine peccato originali.

Neque enim Deo deerat vel potentia vel sapientia vel bonitas, ut vel non potuisse, vel nescisse vel noluisse dignum Filio suo habitaculum praeparare censendum sit. Sic in divino tabernaculo locum, ubi arca foederis Domini reponenda erat, omnium sacratissimum esse voluit, et sancta sanctorum appellavit.[12] Sic Salomon pro arca Domini reponenda ac pro dignitate collocanda augustissimum templum aedificavit, cuius etiam fundamenta ex pretiosis lapidibus esse voluit, totumque induit auro a summo usque deorsum, nullis parcens expensis, ut templum illud digna habitatio esset arcae foederis Domini.[13] Quare a dignitate Christi petenda et intelligenda nobis est di-

Sicut Salomon dedit arcae nobilissimum templum.

10) Io 14, 2. 11) Cf. Mc 16, 19. 12) Cf. Ex 26, 31. 13) Cf. 3 Rg cp. 6; 2 Par cpp. 3-4.

gnitas Mariae, et ab hoc principio eliciendae conclusiones ceterarum laudum ipsius; ab hac radice rami, flores, folia, fructus laudum naturae, gratiae et gloriae singularisque excellentiae super omnes Sanctos, etiam Angelos. Quare hodie non terrestrem paradisum aut coelestem, sed supercoelestem tanto utroque illo gloriosorem effecisse Deum hodie in Beatae Virginis conceptione putandum est, quanto Christus est hominibus Angelisque superior, qui *tanto melior* est *Angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen hereditavit;* [14] illi enim ministri sunt Dei, hic autem Filius Dei.

Ideo Virgo Deipara nobilissima facta est quoad naturam, gratiam et gloriam.

Sed plane sicut incomprehensibilis omnino est dignitas Christi, ita et dignitas Mariae, quae ex Christi dignitate immediate pendet, cum illius sit Mater. Id tantum dicere possumus quod voluit Deus eam et quoad naturam et quoad gratiam et quoad gloriam nobilissimam esse. Quoad naturam, quoniam ex progenie Abrahae aliorumque sanctissimorum Patriarcharum et clara ex stirpe David Maria genus duxit, [14a] quare summa nobilitas sanguinis. Sic nobilitati huic naturalia omnia voluit respondere: ut corpore esset pulcherrima, aspectu venustissima, moribus gratiosissima, eloquio suavissima. Et quoad animam summi voluit esse iudicii atque prudentiae, altissimi intellectus atque discursus, generosissimi cordis animique nobilissimi, et si quidem aliud laude dignum in humana natura reperiri potest, in ea summo in gradu cumulare omnia voluit super omnes mulieres: *Benedicta tu in mulieribus... et benedictus fructus ventris tui.* [15] Idest, sicut Christus omnes viros excelluit, ita Maria mulieres: nam uti de illo dicitur: *Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios,* [16] ita de ista: *Sicut lilium,* sive *rosa, inter spinas, sic amica mea inter filias.* [17] Naturae autem gratia respondet, gratiae vero gloria; hinc ipsa regina est mundi, domina Angelorum, princeps Sanctorum, corona virginum, imperatrix universi, scala coeli, porta paradisi, via salutis, quoniam Mater est Christi.

Virgo Deipara est immaculata, quia habitaculum Dei,

III. Dum hodie Beatae Virginis immaculatam sanctamque conceptionem contemplor, videre mihi videor aedificatam hodie esse arcam testamenti ad reponenda in ea vas mannae, tabulas legis et virgam Dei; [18] haec enim Christum designant ob divinam eius poten-

14) Hebr 1, 4. 14a) Cf. Lc 1, 27; Rom 1, 3. 15) Lc 1, 28. 42. 16) Ct 2, 3.
17) Ibid. 2, 2. 18) Cf. Ex 37, 1-9; Hebr 9, 4.

tiam, sapientiam et bonitatem, arca vero Mariam, quae Christum concepit. Fuit illa composita ex lignis setim, sed tota intrinsecus extrinsecusque auro induta, superposito aureo propitiatorio cum duobus Cherubim gloriae,[19] quod designatur eam semper thronum Dei fuisse, et angelicae conversationis in vita tum activa tum contemplativa, nam Angeli alii sunt assistentes et alii ministrantes.

quia arca Dei.

Thronus Dei Maria, praefiguratus in throno Salomonis, de quo sic legimus: *Fecit... rex Salomon thronum de ebore grandem, et vestivit eum auro fulvo nimis: et habebat sex gradus, et summitas throni rotunda erat in parte posteriori, et duae manus hinc atque inde tenentes sedile, et duo leones stabant iuxta manus singulas, et duodecim leones stantes super sex gradus hinc atque inde; non est factum tale opus in universis regnis, 3 Reg.* 10;[20] alibi vero legimus quod etiam scabellum aureum habebat, 2 *Paral.* 9.[21] Salomon Christum designat, sicut dicitur: *Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium;*[22] thronus autem iste Ecclesiam, sed praecipue Mariam, cui per singularem excellentiam competit quidquid laude dignum in Ecclesia reperitur, cum in triduo mortis Christi in ipsa sola fides Ecclesiae conservata fuerit. Haec solium Salomonis eburneum et auro mundissimo vestitum; ebur fuit Maria quoad naturam, aurum quoad gratiam.

Aurum triplicem habet apud Hebraeos nomenclaturam. Nunc enim זהב *zahab* dicitur, quod commune aurum designat, nunc פז *paz,* quod aurum defaecatum et purum, omni impura admixtione segregata, et nunc כתם *chetem,* quod aurum summe perfectum est, unde regum fiebant coronae. Et, cum caritas per aurum in Scripturis designetur: *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum,*[22a] triplici hoc nomine triplex caritas mihi designari videtur: caritas perfecta quidem Sanctorum, perfectior Mariae et perfectissima Christi, de quo dicitur: *Caput eius aurum optimum,*[23] ubi est *chetem paz.*

Auri apud Hebraeos triplex nomenclatura pro gradu puritatis.

Huic simillima fuit caritas Mariae, unde: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato;*[24] ubi hebr. *bechetem Ophir, in auro de Ophir,* idest, valde excellenti atque perfecto. Sed aurum, quo indutus est thronus Salomonis, aurum *muphaz* dicitur, idest, aurum selectum, purgatissimum absque omni impura admixtione; sic fuit Mariae caritas. Quale ebur candidum et imputrescibile Mariae virginitatem designat in carne et spiritu absque ullo ardore concupiscentiae, nam

In auro purissimo optima caritas Mariae significata.

19) Cf. Ex loc. cit. 20) Vrr. 18-20. Vulg. habet: *Duodecim leunculi.* 21) Cf. vr. 18.
22) 2 Rg 7, 14; Hebr 1, 5. 22*a*) Apc 3, 18. 23) Ct 5, 11. 24) Ps 44, 10.

ob id Christi etiam venter eburneus dicitur: *Venter eius eburneus, distinctus sapphiris;*[25] aurum vero caritatem; scabellum vero fidem, quae basis ac fundamentum est omnium spiritualium bonorum: *Fides est substantia sperandarum rerum;*[26] scabellum aureum fides perfectissima; aureum etiam sedile caritas est, nam *Deus caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet et Deus in eo.*[27] *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diligit eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.*[28] Hanc caritatem Christus pacem appellavit, dicens: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur,*[29] quoniam ipsa est sedile pacifici Salomonis Christi. Sed ad hoc sedile sex gradibus ascendebatur: sic Christus sex gradus posuit antequam perveniret ad pacem: *Beati pauperes spiritu... mites... qui lugent... qui esuriunt et sitiunt... misericordes... et mundo corde.*[30] In his omnibus Beata Virgo perfectissima fuit. Leones autem a dextris et a sinistris animi fortitudinem designant ad virtutes has conservandas tum in prospera tum in adversa fortuna: *Per arma iustitiae a dextris et a sinistris;*[31] non enim peccavit haec unquam sicut Adam, David, Salomon et alii in prosperitate, nec sicut Saul in adversitate consulens mulierem pitonissam.[32] Sic semper in omnibus perfecta fuit Beata Virgo, quod rotunditas in summitate throni designat; rotunditas enim perfectionem designat, rotunditas autem in summitate summam perfectionem. Non fuit autem talis thronus in universis regnis, quoniam nunquam reperta fuit in terra aut in coelo similis sanctitas.

Virgo Deipara est immaculata qua habitaculum Dei, quia ipsa tabernaculum Dei et templum Salomonis.

IV. Video constructum hodie tabernaculum Domini ad reponendam arcam foederis: *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.*[33] Video aedificatum gloriosissimum templum Salomonis in monte Moria,[34] qui vel ipso nomine Mariam designat; mons quidem Moria naturam, templum autem gratiam Mariae in virtutibus moralibus, cardinalibus et theologicis, quae in tribus templi partibus designantur.

Stella Iacob et virga Iesse.

Video oriri stellam ex Iacob: *Orietur stella ex Iacob, et exurget virga ex Israel;*[35] nasci virgam illam de radice Iesse: *Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini;*[36] virga in qua nec nodus originalis nec cortex actua-

25) Ct 5, 14. 26) Hebr 11, 1. Vulg.: *Est autem fides sperandarum substantia rerum.*
27) 1 Io 4, 16. 28) Io 14, 23. 29) Mt 5, 9. 30) Ibid. 5, 3-8.
31) 2 Cor 6, 7. 32) Cf. 1 Rg 28, 7 sqq. 33) Ps 45, 5. 34) Cf. 2 Par 3, 1.
35) Nm 24, 17. Vulg. habet: *Consurget... de.* 36) Is 11, 1-2.

lis culpae fuit, virga rectissima Virgo Sanctissima. Est enim Deus peccati inimicissimus; hinc et a paradiso coelesti Angelos et a terrestri homines peccantes eiecit. Hinc in Beata Virgine nullam permittere voluit maculam peccati vel originalis vel actualis: *Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te.*[37] Sic locus, in quo Deus Moysi apparuit, sanctus erat: *Locus*, inquit, *in quo stas, terra sancta est;*[38] *solve calceamenta de pedibus tuis:* « depone involucra carnalium cogitationum ».[39] Sic nihil indignum de Virgine cogitandum est; ipsa enim domus Dei et porta ac scala coeli est, per quam ad nos Deus descendit.[40]

Video hodie novam Evam formatam, cuius quidem formatio formationi Adae non tantum similis, sed quadammodo etiam nobilior fuit; nam Adam quidem de terra,[41] Eva de carne;[42] Adam extra paradisum,[43] Eva in paradiso;[44] Adam sexto die,[45] Eva forte septimo formata fuit, nam, si quid egit Deus die septimo, ut in eo opus creationis expleril, formatio mulieris fuit. Sic formatio ac conceptio Virginis similis fuit conceptioni Christi ac quodammodo mirabilior. Sicut enim mirabilius est ex terra aurum efficere, quam ex auro vas aureum; sic mirabilius fuit ut ex parentibus peccatoribus Beata Virgo sanctissima conciperetur et nasceretur, quam ut ex Sanctissima Virgine Christus, quamvis multo sanctior, sicut mirabilior fuit formatio lucis ex tenebris, quam formatio solis ex luce: Christus sol, Maria lux, parentes tenebrae.

Eva nobilior in creatione quam Adam;

sic Maria mirabilior in conceptione quam Christus.

V. Video arcam salutis super aquas diluvii ferri,[46] quoniam facta ex lignis levigatis erat, et intrinsecus atque extrinsecus bitumine optime linita.[47] Caro levigata caro sine peccato, bitumen gratia, diluvium originale peccatum est, quo totus mundus submersus fuit: *In quo omnes peccaverunt*[48] *et egent gloria Dei.*[49] Sola haec arca salva facta est ab his aquis per gratiam Dei, quoniam invenit Noe gratiam coram oculis Domini;[50] sic et de Maria dicitur: *Invenisti enim gratiam apud* Dominum;[51] hinc salutem peperit mundo: *Ecce concipies... et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum.*[52] *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.*[53] Video, cum transit arca Dei viventis, Iordanem cursum suum retinere;[54] generatio enim, ubi peccatum

Virgo Deipara est immaculata quia arca salvata ex aquis diluvii et Iordanis.

37) Ct 4, 7. 38) Ex 3, 5. Vulg. habet: *Solve calceamentum...; locus enim.* etc.
39) D. Bernard. *Serm. in Dom. infra Oct. Assumpt. B. M. V.* n. 5. (P. L. 183, 1009).
40) Cf. Gn 28, 12-19. 41) Cf. ibid. 2, 7. 42) Cf. ibid. 2, 21. 43) Cf. ibid. 2, 15.
44) Cf. ibid. 2, 15. 21. 45) Cf. ibid. 1, 27. 31. 46) Cf. ibid. 7, 18.
47) Cf. ibid. 6, 14. 48) Rom 5, 12. 49) Ibid. 3, 23. 50) Cf. Gn 6, 8.
51) Lc 1, 30. 52) Ibid. 1, 31. 53) Mt 1, 21. 54) Cf. Jos 3, 15-16.

originale contrahitur, veluti flumen est. Video genti hebraeae in medio tenebrarum splendere lucem,[55] et in medio maris Rubri divino miraculo patere viam.[56]

Virgo Deipara est immaculata, quia a Deo hoc privilegio donata.

VI. Solent reges et imperatores principibus suis, qui sibi vel sanguine vel amicitia coniuncti sunt, vel saltem ob merita, concedere singularia magnaque privilegia, sicut Esther ex privilegio ingressa ad Assuerum non vocata fuit,[57] quoniam regina erat. Sic Deus

Multi privilegio donati,

Sanctis suis concedit privilegia magna. Privilegium fuit Enoch ne moreretur, sed vivus raperetur,[58] sicut et Elias;[59] privilegium Noe ut salvaretur ab aquis diluvii cum sua familia,[60] sicut Loth ab incendio Pentapolis;[61] privilegium Moysis vivere quadraginta diebus sine cibo,[62] sicut et Elias;[63] privilegium Hebraeorum transire per mare Rubrum[64] et per Iordanem sicco pede,[65] cibari manna de coelo,[66] potari aqua de petra.[67] Sic ex privilegio singulari concessit Beatae

praecipue Maria ut sit immaculata.

Virgini ut sine peccato conciperetur, ut pro omnibus, sed non pro ipsa lex ista facta esset, ut in hoc etiam Christo similis esset; veluti si speculum coram sole formaretur in ipso suae formationis initio, sol ipse in eo lucidissimam sui imaginem ac quasi parelium efformaret, sicut in nube rorida et speculari, quae perpendiculo sub sole sit posita. Est enim Beata Virgo nubes illa quae de mari ascendens pluviam salutarem mundo effudit terramque universam fecundavit;[68] nubes illa divina in deserto, in qua erat Angelus Domini.[69] Huic sol iustitiae Deus statim in ipsius formationis initio radios lucis suae immittens suam in ea imaginem efformavit, veluti in clara aqua puri fontis efformari videtur solis imago, quae oculos potentissime repercutit omnium temere aspicientium. Sic fuit semper Beata Virgo in sanctitate et virtutis perfectione Deo simillima.

55) Cf. Ex 10. 21-23; 13. 21. 56) Cf. ibid. 14. 29. 57) Cf. Est 15. 1 sqq. 58) Cf. Gn 5. 24. 59) Cf. 4 Rg 2. 11. 60) Cf. Gn cpp. 7-8. 61) Cf. ibid. 19. 15-23. 62) Cf. Ex 34. 28. 63) Cf. 3 Rg 19. 8. 64) Cf. Ex 14. 29. 65) Cf. Jos 3. 15-16. 66) Cf. Ex 16. 13-21. 67) Cf. Nm 20. 11. 68) Cf. 3 Rg 18. 44-45. 69) Cf. Ex 13. 21; 14. 19.

SERMO SEXTUS

CIVITAS DEI MARIA IDEO IMMACULATA

Fluminis impetus laetificat civitatem Dei, sanctificavit tabernaculum suum Altissimus: Deus in medio eius, ideo, etc.[1]

I. In sacra *Apocalypsi* legimus duo flumina: alterum procedens a throno Dei, quod per plateam paradisi fluit,[2] alterum quod ab ore draconis immissum[2a] fuit ad submergendam mulierem sole amictam stellisque coronatam et positam in coelo supra lunam, quae Filium Dei peperit. Quaesivit enim draco magnus et rufus, habens capita septem et cornua decem, devorare filium coelestis mulieris; cum autem non potuisset, quoniam Filius in coelum raptus fuit ad thronum Dei, ipsam mulierem persecutus fuit.[3] Scriptum est enim: *Inimicitias ponam inter te, - serpentem antiquum, -*[3a] *et mulierem, et* inter *semen tuum et semen*, sive filium, *illius; ipsa*, sive ipse filius, *conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius.*[4]

Flumen gratiae laetificavit civitatem Dei Mariam, et impedivit ne vel gutta fluminis iniquitatis eam tangeret.

Primum flumen significat gratiam Spiritus Sancti, nam: *Qui credit in me..., flumina de ventre eius fluent aquae vivae; hoc autem dixit de Spiritu;*[5] secundum vero flumen iniquitas diaboli est, scriptum enim legimus: *Qui bibit quasi aquam iniquitatem,*[6] diabolus enim fons est omnis iniquitatis, quae sunt flumina Babylonis. At flumen serpentis non tetigit coelestem mulierem, quoniam, antequam pervenisset ad eam, divino miraculo aperta est terra et absorbuit flumen;[7] sic Maria divino miraculo praeservata fuit a peccato ori-

1) Ps 45, 5-6. 2) Cf. 22, 1-2. 2a) Ms.: *Procedentem... qui... qui immissus.* 3) Cf. 12, 1-16. 3a) Apc 20, 2. 4) Gn 3, 15. 5) Io 7, 38-39. 6) Job 15, 16. 7) Cf. Apc 12, 16.

ginali, quod est flumen Aegypti, in quod Pharao mergebat ac necabat omnes Hebraeorum infantes.[8] Hoc autem est quod diabolus super omnia desiderabat, hoc flumine coelestem hanc mulierem praefocare; nam specialiter contra eam immisit draco flumen, quoniam eam speciali odio prosequebatur. At Deus miraculo impedivit ne vel gutta aquae huius fluminis eam tangeret; dedit enim ei alas ut fugeret in desertum;[8a] pium enim est credere quod Maria a primo conceptionis suae instanti alas habuit divinae contemplationis.

Fundamenta huius civitatis, idest, initium Mariae, in altissimo sanctitatis gradu.

Visa autem haec mulier prius in coelo quam in terra fuit, quoniam prius mente conversata in coelo fuit quam corpore in terra. Ergo: *Fluminis impetus laetificat civitatem Dei,* illam utique, de qua Regius Vates alibi dixit: *Fundamenta eius in montibus* altis; *diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob; gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.*[9] *Fundatio eius in montibus sanctis,* habet textus hebraicus. Fundata est haec divina civitas in altissimo sanctitatis gradu, in altissima fide, spe et caritate et gratia Spiritus Sancti, ita ut multo maior fuerit gratia Mariae in primo instanti conceptionis suae quam gratia sanctorum Patriarcharum in fine vitae, cum omni virtutum perfectione altissima praediti essent. Hoc autem, quoniam civitatem Sion *diligit Dominus super omnia tabernacula Iacob;* diligit Deus Mariam super omnes Electos, nam: *Iacob dilexi.*[10]

Portae huius civitatis, idest, conceptio et mors Mariae, super omnia tabernacula dilectae.

Sunt autem civitatis duae portae: conceptio et mors; diligit Deus has portas Mariae super omnia tabernacula Electorum suorum. Maria enim civitas Dei fuit, in qua Deus semper habitavit, civitas Sion per contemplationem et civitas Ierusalem per caritatem; hinc in *Canticis* dicitur formosa tanquam Ierusalem.[11] *Gloriosa dicta sunt de te:* quoniam etiam, ut in *Apocalypsi* legimus, *fundamenta... civitatis Ierusalem omni lapide pretioso ornata.*[12] Dicitur *civitas Dei,* hoc est, excellentissima, gloriosissima, nobilissima, civitas divina, digna Deo. Ait ergo: *Fluminis impetus. Fluminis pelagi laetificant civitatem Dei,* habet hebraica veritas, ob infinitam gratiarum copiam. Hinc sequitur: *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus;* omni sanctitate replevit, specialissima sanctitate donavit *quem Pater sanctificavit,* etc.,[12a] statimque hoc tabernaculum inhabitavit, ideo dicitur: *Deus in medio eius,* ideo *non commovebitur.* Fuit confirmata in gratia statim a pri-

8) Cf. Ex 1, 22. 8a) Cf. Apc 12, 14. 9) Ps 86, 1-3. 10) Rm 9, 13.
11) Cf. Ct 6, 3. 12) Cf. Apc 21, 19-20. 12a) Io 10, 36.

mo instanti ob inhabitationem divinam: *Adiuvabit eam Deus mane diluculo,* [13] ante auroram, in primo instanti et puncto diei.

II. *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.* Triplici ratione Maria dicitur *civitas Dei:* primo quia ab ipso Deo condita est et aedificata, hinc eodem in *Psalmo* dicitur: *Ipse fundavit eam Altissimus;* [14] secundo propter divinam inhabitationem, nam: *Factus est in pace,* idest, *in Ierusalem, locus eius, et habitatio eius in Sion;* [15] tertio propter divinam excellentiam, nam in Divinis Litteris excellentissima quaeque, Dei divinaque esse dicuntur; hinc legimus montem Dei, [16] cedros Dei, [17] ignem Dei, [18] virum Dei. [19] Et haec praecipua ratio est ob quam Maria civitas Dei dicitur, hinc ait: *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.* Additur in hebraeo *selah,* quod chaldaeus Paraphrastes vertit *leholamim, in perpetuum.* Ait ergo: Semper, o civitas, gloriosissima divinissimaque fuisti. Triplici ratione civitas Dei Maria.

III. Caput autem divinissimae huius gloriae est quod Dominus fundavit hanc civitatem: *Ipse fundavit eam Altissimus.* Sed ad quid? Pro gloria et honore Unigeniti Filii sui, pro inhabitatione divini Verbi sui. Quod si Deus pro homine creavit paradisum terrestrem, et pro Angelis coelestem multo nobiliorem, quia Angelus homine natura nobilior est; qualem pro Filio suo paradisum creaverit? *Fundavit eam Altissimus,* specialissimum est opus Dei. Sed ubi fundavit? *Fundamenta eius in montibus sanctis. Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium, et exaltabitur super omnes colles.* [20] Loco altissimo fundata est, super omnes montes et super omnes colles; colles dicit homines, montes Angelos. Magna est altitudo gratiae et perfectionis, quam Deus contulit sanctis Patriarchis, Prophetis, Apostolis; multo maior, saltem ratione innocentiae, quam contulit Angelis; sed domus haec fundata est super omnes montes et colles. Sanctitas et innocentia Mariae a primo conceptionis instanti maior altiorque fuit sanctitate et innocentia omnium Sanctorum et Angelorum. At nullum penitus peccatum in Angelis reperitur, nulla macula; nulla ergo in Maria: *Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te.* [21] Civitas Dei Maria quia a Deo condita super omnes montes, idest, Electos, ideo immaculata. Gratia Mariae maior gratia Sanctorum et Angelorum.

13) Ps 45, 6. 14) Ps 86, 5. 15) Ps 75, 3. *In Ierusalem* ex hebr. 16) Cf. Ps 35, 7. 17) Cf. Ps 79, 11. 18) Cf. Nm 11, 1. 19) Cf. 3 Rg 13, 1-31. 20) Is 2, 2. Vulg. loc.: *Exaltabitur,* habet: *Elevabitur.* 21) Ct 4, 7.

Civitas Dei Maria quia a Deo inhabitata et dilecta super omnia tabernacula.

IV. Hoc autem est, quoniam *diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.* Dilexit Deus Mariam super omnes Electos suos; maiorem ergo contulit gratiam Mariae, quam omnibus Electis contulerit; ipsa enim est luminare magnum in coelo post solem iustitiae Christum. Nec dicit: *Diligit Dominus Sionem,* quae suprema et altissima pars erat civitatis Ierusalem, *civitas David* dicta, quoniam ab eo condita et inhabitata fuit, plurimumque dilecta et illustrata omnibus quibus potuit modis,[22] sic Maria civitas Dei est; sed *diligit,* inquit, *portas,* introitum et exitum Mariae, principium et finem. At si in originali concepta fuisset, non dilexisset portas has *super omnia tabernacula Iacob,* idest, super omnes Electos. Electi enim tabernacula Dei dicuntur,[22a] quoniam, sicut Deus inhabitat in seipso per comprehensionem essentiae suae, domus enim intellectus est obiectum intellectile et domus voluntatis obiectum delectabile, Deus autem plenissime divinam essentiam intelligit diligitque; et sicut in universo habitat per naturam, per essentiam, sicut rex in solio per praesentiam sicut in regia, et per potentiam sicut rex in regno; sic etiam in Electis suis Deus habitat per gratiam in Ecclesia militante et per gloriam in triumphante. Angelos autem electos Deus et hominem Adam et Evam creavit sine macula peccati, in innocentia, in gratia; originale autem peccatum odium Dei est et ira Dei. *Diligit* ergo *portas Sion super omnia tabernacula Iacob;* ideo singularissima civitati huic contulit privilegia, eamque omnibus quibus potuit modis illustravit: *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.*

Electi tabernacula Dei.

Deus in Electis habitat per gratiam et per gloriam.

Deus specialissime habitat in Maria quia in ea natus.

Sed specialissima ratione Maria *civitas Dei* dicitur, quoniam Deus in ea natus est. Redduntur aliquando civitates illustres ob natalem principum, regum, imperatorum, Pontificum, et virorum etiam sapientum maximorumque philosophorum. Hinc Regius Vates divinam hanc civitatem comparat cum illustrissimis civitatibus Aegypti, Babylonis, Palaestinae, Tyri et Aethiopiae; hoc est enim: *Memor ero Rahab,* idest, Aegypti, *et Babylonis,* quae gloriosissima fuit metropolis imperii Chaldaeorum; *ecce alienigenae,* idest Palaestini, *et Tyrus et populus Aethiopum:* omnes enim hi populi habuere magnificentissimas et celeberrimas civitates, illustresque fuerunt ex natali principum et sapientum: *Hi fuerunt ibi, - hic natus est ibi, -*[23] hic vir aliquis magni nominis et fama celebris natus est ibi, quod magnum est civitatis

22) Cf. 2 Rg 5, 9. 22a) Cf. 1 Cor 3, 16-17. 23) Ps 86, 4. Verba: *Hic natus est ibi* ex hebr. idem sunt ac: *Hi fuerunt ibi* Vulg.

decus. Sed, inquit, hac ratione divina haec civitas longe celeberrima est: *Nunquid Sioni dicetur: Homo? Homo natus est in ea, et ipse* qui *fundavit eam Altissimus?* [23a] In civitate hac natus est Deus, auctor naturae, fons gratiae, pater gloriae, rex, imperator et monarcha universi, infinitae potentiae, sapientiae et maiestatis. *Dominus narrabit in scribendo populos: Hic natus est ibi,* hic Altissimus, verus Deus. [24]

Civitas Dei Maria quia praestanti magnitudine Deo digna, ideo immaculata.

V. De hac autem eadem civitate idem Regius Vates sic alibi canit: *Magnus Dominus et laudabilis nimis in civitate Dei nostri, in monte sancto eius; fundatur exultatione universae terrae mons Sion, latera aquilonis, civitas regis magni; Deus in domibus eius cognoscetur cum suscipiet eam.* [24a] Quis ignorat, sancte Vates, quod magnus est Dominus, quem *coeli coelorum... capere non possunt?* [25] Quod magnus est virtute, magnus potentia, magnus sapientia, magnus bonitate, magnus iustitia, misericordia, caritate, gloria, maiestate, aeternitate? Magnae utique et infinitae magnitudinis. Sed *magnus* est, inquit, *et laudabilis nimis in civitate Dei nostri, in monte sancto eius; in civitate,* inquit, *Dei nostri,* idest, Dei humanati, Verbi incarnati elucet magnitudo, potentia, sapientia et bonitas ipsius infinita laude digna, imo dignissima.

Opus laudat opificem. In hac civitate cognoscitur magnificentia Dei.

Sed quaenam est huiusce civitatis Dei nostri tanta magnificentia, ut Deus tanquam summus architectus ipsius talem tantamque ex hoc opere laudem promereatur? Opus laudat opificem; hinc: *Coeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum eius annunciat firmamentum,* [26] respondet. *Pulcra civitas,* vel *regio* aut *provincia, gaudium universae terrae, latera aquilonis, civitas regis magni; Deus in palatiis eius in refugium cognoscitur* sive *cognitus est.* [26a] Laudat civitatem hanc a situ et prospectu pulcherrimo atque ab ornamento, quod tanquam ornata sponsa videatur: *Vidi civitatem sanctam Ierusalem novam, descendentem de coelo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo;* [27] laudat a deliciis: *Gaudium universae terrae* ob copiam omnium bonorum; laudat ab altitudine: *Latera aquilonis,* quia fundamenta eius in montibus; laudat a nobilitate: *Civitas regis magni;* laudat ab aedificiis: *Deus in palatiis eius;* laudat ab inexpugnabili fortitudine: *Quoniam ecce reges terrae congregati sunt, convenerunt in unum; ipsi vi-*

Civitas haec pulcherrima situ, ornatu, deliciis, altitudine, nobilitate, aedificiis, praesertim inexpugnabili fortitudine.

23a) Ibid. 86, 5. Partim ex hebr. Vulg. habet: *Nunquid Sion dicet: Homo et homo,* etc.
24) Ibid. 86, 6 ex hebr. 24a) Ps 47, 2-4. 25) 3 Rg 8, 27. 26) Ps 18, 2.
26a) Ps 47, 3-4 ex hebr. 27) Apc 21, 2.

dentes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos; ibi dolores ut parturientis; in spiritu vehementi conteres naves Tharsis. [28] Inexpugnabilis, inquit, civitas est, nec expugnari potest vel exercitibus in terra nec navali classe in mari; nulla ex parte sperari potest ab inimicis victoria, sed damnum et perditio timeri; est enim *terribilis ut castrorum acies ordinata.* [29] Hoc autem, quoniam Deus est civitatis huius architectus: *Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum*, idest, *exercituum, in civitate Dei nostri; Deus fundavit eam in aeternum.* [30] Fundavit autem eam circumquaque munitissimam: *Circumdate Sion et complectimini eam, narrate in turribus eius, - numerate turres eius -; ponite corda vestra in virtute eius, - in exercitu eius -, distribuite domos eius, - aspicite palatia eius -, ut enarretis in progenie altera, - generationi et aetati novissimae.* [31]

Haec civitas est Maria; turris et mille clypei ex ea pendentes omnes virtutes.

Sed quaenam, quaeso, potest esse haec civitas tam mirabilis? De Ierusalem et Sion civitate sancta procul dubio loquitur; sed non de illa materiali. Sponsa in *Canticis* dicta est civitas Ierusalem pulcherrima et fortissima: *Pulcra es..., decora et suavis sicut Ierusalem,* [32] *terribilis ut castrorum acies ordinata;* [32a] nec dubium quin in *Canticis* specialissime et principaliter de Sanctissima Virgine sit sermo. Vir etiam iustus civitas munita dicitur in Divina Scriptura: *Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam... et bellabunt adversum te, et non praevalebunt.* [33] De fortitudine autem inexpugnabili Sanctissimae Virginis legimus: *Sicut turris David collum tuum, quae aedificata est cum propugnaculis; mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* [34] Per collum corpus unitur capiti, et per caritatem anima unitur Deo; caritas autem secum omnes virtutes habet, turris autem haec Sanctissimae Virginis habet omne genus armorum: *Pendent ex ea mille clypei*, sive scuta, quae ad defensionem faciunt, et *omnis armatura fortium*, omne genus armorum ad inimicos offendendos et exagitandos.

Maria in gratia, non in originali peccato fundata.

Ad designandam etiam fortitudinem Virginis contra omne peccatum eiusque prudentiam et vigilantiam, legimus: *Nasus tuus sicut turris Libani, quae respicit contra Damascum.* [35] Nasutos autem dicimus viros acri iudicio praeditos multaque prudentia. Sic Deus di-

28) Ps 47, 5-8. 29) Ct 6, 9. 30) Ps 47, 9. 31) Ibid. vrr. 13-14. *Numerate*, etc., *aspicite*, etc., *generationi... novissimae* ex hebr. 32) Ct 6, 3. Vulg.: *Pulcra es... suavis et decora sicut Ierusalem.* 32a) Ibid. 6, 9. 33) Jer 1, 18-19. 34) Ct 4, 4. 35) Ct 7, 4.

vinam hanc civitatem omnino inexpugnabilem fundavit super altos sanctitatis montes; non loco humili in originalis peccati vilitate, sed loco altissimo, in gratia et altissimo gradu perfectionis, sic: *Magnus Dominus et laudabilis nimis in civitate Dei nostri, in monte sancto eius.*

Maria templum Dei ob Dei inhabitationem; mons Sion ob altam contemplationem, civitas Dei ob magnitudinem meritorum.

VI. Dicitur autem Virgo Sanctissima in hoc *Psalmo civitas Dei, civitas regis magni, mons sanctus, mons Sion* et *templum Dei: Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui. Secundum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terrae; iustitia plena est dextera tua;* [36] incarnatio enim opus est infinitae misericordiae et caritatis: *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum Unigenitum daret.* [37] Dicitur Virgo templum propter divinam inhabitationem et propter sanctissimam Virginis in Deum religionem cultumque pietatis; dicitur *mons Sion* propter altissimam contemplationem; *mons sanctus* propter altissimam sanctitatem, et *civitas regis magni* ac *Dei*, ob magnitudinem et multitudinem meritorum copiamque omnium virtutum et spiritualium bonorum nec non et excellentiam et nobilitatem super omnes alias electas creaturas.

Omnis homo civitas, Sanctus civitas Dei, Maria metropolis sedes Dei.

Omnis homo civitas quaedam est: pars rationalis gerit vicem magistratus regentis civitatem, pars irascibilis militiae custodientis et defendentis, pars concupiscibilis est tanquam vulgus et populus, sensus externi sunt portae civitatis, caput regale palatium, cor et pectus platea magna. Quaelibet autem persona sancta civitas Dei est, spectans ad regnum Dei, Deum regem cognoscit et recognoscit eique obedit et servit. Sed Maria est *civitas regis magni*, civitas regia, metropolis, ubi sedes est regni, quae omnium regni civitatum nobilissima et excellentissima est dominaque. In hac autem civitate Regius Vates specialiter miranda proponit palatia et turres. Magnum erat palatium intellectus, scientia sapientiaque ornatus, memoria imaginibus omnium beneficiorum et operum Dei, voluntas caritate et virtutibus omnibus; turres erant virtutes cardinales firmissimae ac inexpugnabiles altissimaeque.

36) Ps 47, 10-11. 37) Io 3, 16.

SERMO SEPTIMUS

TEMPLUM DOMINI SECUNDUM MARIA IDEO IMMACULATA

Iacob autem genuit Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. [1]

Festum conceptionis Mariae salutis humanae exordium.

I. Celebramus festum diem sanctae et immaculatae conceptionis Sanctissimae et Beatissimae Matris Dei Mariae, quae principium extitit redemptionis nostrae, unde beneficium salutis humani generis sumpsit exordium: *De qua natus est Iesus, - Salvatur, - qui vocatur Christus,* quando a Deo peccati regnum destrui coeptum est et satanae principis mundi huius potestas diminui; nam Virgo sine peccato concepta est, potestati satanae ex singulari gratia et speciali Dei beneficio ac privilegio minime subiecta, quoniam ipsa est quae serpentis antiqui nequissimum caput contrivit, [1a] quae peperit aeternae salutis Auctorem.

Fundatio secundi templi magnificentior quam primi.

II. Hodie fundatum est templum Domini, quod nihil commune habet cum idolis. Cum templum Domini fundatum fuit a Zorobabel et Iosue magno sacerdote post babylonicam captivitatem, universus populus totus laetabundus prae iubilo et cordis laetitia exultavit; sic enim apud Esdram legimus: *Fundato... a caementariis templo Domini, steterunt sacerdotes in ornatu suo cum tubis, et levitae filii Asaph in cymbalis, ut laudarent Deum per manus David regis Israel. Et concinebant in hymnis et confessione Domino: Quoniam bonus, quoniam in aeternum misericordia eius super Israel. Omnis quoque populus vociferabatur clamore magno in laudando Dominum,* quo-

1) Mt 1, 16. 1a) Cf. Gn 3, 15; Apc 12, 9.

niam *fundatum esset templum Domini.*[2] Tunc Aggaeus vates, Divino Spiritu afflatus, vaticinatus fuit, dicens: *Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima?... Implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. Meum est argentum et meum est aurum... Magna erit gloria domus istius novissimae* magis *quam primae, dicit Dominus exercituum; et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum,*[3] idest, Deus omnipotens. Magnificentissimum, inquit, fuit prius templum a Salomone constructum, sed hoc posterius multo magnificentius erit.

Eva templum Dei primum tota decore gratiae et iustitiae originalis ornata.

III. Templum Dei Ecclesia maius synagoga, templum Dei Christus maius Adamo, templum Dei Maria maius Eva, quae utique non formata, sed aedificata dicitur a Domino.[3a] Nam, cum forma esset Ecclesiae, sicut Adam Christi, in Spiritus Sancti templum condita fuit, et quidem magna cum honorificentia et gloria, tota, sicut templum Salomonis auro et argento, ornata decore gratiae et iustitiae originalis: *Quis ex vobis est derelictus, qui vidit domum hanc in gloria sua prima?* Nam Eva, sicut et Adam, creata fuit ad imaginem et similitudinem Dei, et ut mundi esset princeps ac domina, sicut ait: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et dominetur piscibus,* etc.,[4] hebr.: *Faciamus adam;* sed postea vocavit nomen eorum.[4a] *Adam* commune nomen est maris et feminae sicut Latinis *homo* et Graecis *anthropos.*

Duplex finis hominis

In verbis autem Dei creationis humanae duplex assignatur finis: prior est: *Ad imaginem et similitudinem nostram;* posterior vero: *Et dominetur.* Ad duplicem quippe felicitatem et gloriam creatus est homo: naturalem et supernaturalem, temporalem et aeternam, mundanam, ut ita dicam, in terra et divinam in coelo, quando *similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.*[5]

consecutio finis supernaturalis per gratiam,

Ad supernaturalem finem consequendum accepit gratiam, quae ipsum Deo gratum acceptumque reddebat, filiumque adoptivum constituebat, ut, sicut filius in hereditatem paternam, ius haberet in supernaturalem beatitudinem; viresque homini praestabat per virtutes et dona Spiritus Sancti ad servanda omnia Dei iussa atque mandata,

2) 1 Esr 3, 10-11. 3) 2, 4. 8-10. 3a) Cf. Gn 2, 22. 4) Ibid. 1, 26. Vulg. loc.: *Et dominetur piscibus,* habet: *Et praesit piscibus.* 4a) Cf. ibid. 2, 23. 5) 1 Io 3, 2.

sicut anima praebet corpori sentiendi facultates; tandem reddebat omnia opera hominis ex virtute digna coelestis gloriae ac vitae sempiternae.

naturalis per iustitiam originalem, quae erat quaedam sanitas perpetua sine metu, passione, dolore, indigentia,

Ad assequendum autem alterum finem sortitus est originalis iustitiae divinum plane ac supernaturale donum, quo efficiebatur ut mens hominis Deo humillime esset subiecta, menti autem et spiritui caro, rationi sensus omnes, animae totum corpus absque corruptionis alicuius gravamine; etenim hominem impassibili immortalitate donabat, et tandem mundana omnia imperio eius subiiciebat. Quare originalis iustitia erat perpetua quaedam sanitas, integritas et perfectio omnium partium hominis; sic enim *Dei perfecta sunt opera;*[6] sic *vidit Deus cuncta quae fecerat et erant valde bona;*[7] sic *fecit Deus* ab initio *hominem rectum;*[8] sic ad imaginem et similitudinem suam hominem condidit usquequaque perfectum. Sic hominem anima et corpore felicem ac, ut ita dicam, beatum reddebat absque metu vel mortis vel cuiusvis mali, nam post peccatum coepit metus: *Vocem tuam audivi... et timui eo quod nudus essem;*[9] absque rebellione carnis, ob quam exclamat Apostolus: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?*[10] ipsi autem, cum nudi essent, non erubescebant;[11] absque ullo labore aut passione, nam post peccatum audivit: *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea omnibus diebus vitae tuae...; in sudore vultus tui vesceris pane* tuo;[12] absque ullo sensu doloris, nam in peccati poenam audivit mulier: *Multiplicabo aerumnas tuas et conceptus tuos, in dolore paries filios et sub viri potestate eris;*[13] absque rei alicuius indigentia, nam post peccatum *fecit Dominus* eis *tunicas pelliceas et induit eos;*[14] cum dono immortalitatis, siquidem: *Stipendia... peccati mors.*[15] post peccatum audivit: *Pulvis es, et in pulverem reverteris;*[16] cum bonorum omnium abundantia: *Tulit... Dominus Deus hominem, et posuit eum in paradiso voluptatis:*[17] sic ex dono divinae innocentiae et originalis iustitiae perpetua felicitate fruebantur. Haec gloria est primae domus quae tota auro argentoque fulgebat ob gratiae plenitudinem divinumque donum originalis iustitiae; sic a Deo mulier formata fuit divinaque perfectione donata ad munia quaeque tum naturalia tum supernaturalia facillime obeunda et felicissime persolvenda.

cum dono immortalitatis et bonorum abundantia.

6) Dt 32, 4. 7) Gn 1, 31. 8) Eccle 7, 30. Vulg. loc.: *Fecit*, habet: *Fecerit*.
9) Gn 3, 10. 10) Rom 7, 24. 11) Cf. Gn 2, 25. 12) Ibid. 3, 17-19.
13) Ibid. 3, 16. 14) Ibid. 3, 21. 15) Rom 6, 23. 16) Gn 3, 19. 17) Ibid. 2, 15.

Templum Dei Eva a satana combustum igne cupiditatis, et inde malorum: chaos.

IV. At vero domus haec a rege Babylonis igne combusta ac diruta funditus fuit.[17a] Plane ignis fuit cupiditas promissorum satanae: *Nequaquam... moriemini... sed eritis sicut dii, scientes bonum et malum;* hinc enim: *Vidit... mulier quod bonum esset lignum ad vescendum et pulcrum oculis aspectuque delectabile, et tulit de fructu* eius *et comedit.*[18] Haec domus huius ruina extitit. Hinc ingens malorum chaos in mundum invectum est quae homini prius nihil nocere poterant, sicut nec aquae maris Rubri Hebraeis propter virtutem virgae divinae in manu Moysi,[19] nec aquae Iordanis propter arcam Dei.[20] Sicut enim virga mare divisit, solidumque reddidit,[20a] instar montium crystalli concretum in glaciem, absque ullo fluxu atque refluxu, motum enim omnem undasque mari ademit, et arca Iordani cursum, ita ut veluti alterum montem aquarum a tergo constituerit, impediens ne in declive fluerent; sic iustitia illa omne impediebat malum, quod suapte natura homini obesse et nocere utcumque poterat; illo autem impedimento ablato, immensa malorum abysso obrutus homo est. Sicut, egresso Moyse de mari et arca de flumine, ad pristinam qualitatem et consistentiam naturae consentaneam reversae sunt aquae; sic homo post amissam iustitiam ex divini mandati transgressione audivit: *Pulvis es, et in pulverem reverteris.* Sic funditus dirutum fuit gloriosum hoc divini Numinis templum a rege Babylonis Lucifero.

Templum Dei Maria maiori cum gloria reaedificatum nunquam ruiturum,

V. Sed non est passus Deus templi sui ruinam perpetuam; reaedificat templum, et: *Magna,* inquit, *erit gloria domus istius novissimae plus quam primae. Implebo domum istam gloria...,* quia *meum est argentum et meum est aurum.* Magna cum gloria condita divinitus fuit Eva, ut digna esset sponsa Adami principis mundi huius dignaque mater hominis nasciturі; multo maiori cum gloria Maria, ut digna esset Sponsa Dei dignaque Mater Christi Unigeniti Filii Dei. Fundata est domus haec nunquam ruitura; hinc in fundatione templi clamabant: *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in aeternum misericordia eius super Israel.*[21] Eva gloriam accepit, qua privanda ac destituenda erat per peccatum; non sic Maria, sed in aeternum gloriosissima domus Dei fundata est. Similis fundatio, sed non similis aetas atque permansio. Similis fundatio: sine peccato Eva, sine peccato Maria, innocens Eva, innocens Maria, pura sanctaque virgo cor-

17*a*) Cf. 4 Rg 25, 8-10. 18) Gen 3, 4-6. 19) Ex 14, 21 sqq. 20) Jos 3, 14 sqq. 20*a*) Ms.: *Reddit.* 21) 1 Esr 3, 11. Vulg. loc.: *Confitemini,* etc. habet: *Et concinebant in hymnis et confessione Domino,* etc.

pore et spiritu Eva, sic et Maria. De hoc habitaculo ait Moyses: *Plantabis eos in monte hereditatis tuae, firmissimo habitaculo tuo..., sanctuarium tuum, Domine, quod firmaverunt manus tuae.*[22] Sic divinitus fundatum hoc templum est; sic namque per A g g a e u m dicitur templi secundi aedificatoribus: *Facite, quoniam ego vobiscum sum, dicit Dominus exercituum..., et spiritus meus erit in medio vestrum.*[23]

quia in monte sanctitatis fundatum,

Sed ubinam templum hoc fundatum est? Utique ubi prius fundatum fuit, in innocentia, puritate et sanctitate, in qua prius templum divinitus fundatum extitit; non in planitie Sennaar sicut turris Babel,[24] sed in monte alto sicut turris et arx David:[25] *Quoniam elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi. Haec requies mea in saeculum saeculi, hic habitabo quoniam elegi eam,* sive *desideravi eam;*[26] sic alibi: *Tribum Ephraim non elegit, sed elegit tribum Iuda, montem Sion quem dilexit: et aedificavit sicut unicornium sanctificium suum;*[27] hebr.: *Aedificavit sicut excelsos sanctuarium suum.* Quid est *sicut excelsos*? Utique vel coelos intelligit, nam subiungitur hebr.: *Sicut terram quam fundavit in saecula,*[28] coelos autem Deus purissimos condidit; vel Angelos, quos novimus in summa puritate ac sanctitate creatos absque ulla penitus peccati macula.[28a] Fundatum fuit templum in monte Sion, sive Moriah,[29] altiori utique parte et editiori situ civitatis Ierusalem, imo supra montem in vertice montium.[29a]

in vertice montium, idest, supra sanctitatem hominum et angelorum; ergo sine peccato originali.

Gratia namque et sanctitas Mariae, quam in sua conceptione accepit, mons fuit in vertice montium, sublimior omni tum hominum tum Angelorum gratia et sanctitate. Nam, cum gratia effectus sit divinae dilectionis et caritatis, Deus multo magis Virginem dilexit in primo instanti conceptionis suae quam Angelos in momento creationis, vel homines; nam illos quidem dilexit ut ministros, hanc autem ut Sponsam suam et veram ac naturalem Matrem Unigeniti Filii sui. Sic: *Fundamenta eius in montibus sanctis.* Quam ob causam? Quia *diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.*[30]

Si ergo tunc Deus Virginem tantopere dilexit, quomodo odisse potuit? Peccatum autem originale hominem constituit inimicum Dei et natura filium irae.[31] Si gratia effectus est divinae caritatis, sicut radius

22) Ex 15, 17. 23) 2, 5-6. 24) Gn 11, 2-4. 25) 2 Rg 5, 7-9.
26) Ps 131, 13-14. *Desideravit* ex hebr. 27) Ps 77, 67-69. 28) Ps 77, 69.
28a) Vide not. 114 *a Serm. 1 in Immac. Concept.* 29) 2 Par 3, 1. 29a) Cf. Is 2, 2.
30) Ps 86, 1-2. 31) Cf. Eph 2, 3.

solaris lucis, quomodo tenebrae peccati originalis, ubi tanta lux divinae dilectionis? Sol lunam coram se positam sibi quam similem reddit; quomodo Maria *pulcra ut luna* [32] coram lucentissimo sole iustitiae peccati eclipsim passa maculisque foedata? Quomodo soli dissimilis?

Maria sine peccato originali quia Deus semper cum ea. Peccatum originale habitus dissimilitudinis cum Deo.

VI. Est autem originale peccatum ex Dionysio in *Ecclesiastica Hierarchia* cap. 2, [33] « habitus dissimilitudinis ad Deum homini inditus », quod alii dicunt « habitualem voluntatis aversionem a Deo », sive, ut Anselmus loquitur, [34] « privatio est originalis iustitiae debitae », aut « concupiscentia mali », ut Augustinus, [35] ita tamen ut per concupiscentiam intelligat non tantum concupiscibilem, ut aiunt, appetitum, verum etiam voluntatem et ceteras animae facultates [quae], quatenus gratia et originali iustitia virtutumque habitibus, quae cum illa erant, destitutae, manent, perturbato ordine, ad exequendas sine crimine virtutum actiones et munera ineptae et impotentes, ad vitia vero quaeque contra divinas leges et iussa proclives: [36] *Sensus enim et cogitatio cordis humani ad malum prona sunt ab adolescentia sua.* [37] Hac autem virtutum privatione, hisce vitiorum seminibus atque radicibus malis fit anima Deo quam dissimilis atque odibilis, satanae autem simillima ipsiusque potestati subiecta.

Deus semper cum Maria, diabolus nunquam.

Sed quid *luci ad tenebras?* [38] *Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae.* [39] Sol lucidissimus est; ubi sol est, tenebrae et nocturna obscuritas reperiri non potest. Deus semper cum Maria et in Maria, nam *ipse fundavit eam Altissimus.* [40] Qui templum aedificabant, ut in *Esdra* legimus, noluerunt alienigenas idololatras habere cooperatores et coaedificatores; sic enim illis Zorobabel et Iosue sacerdos dixerunt: *Non est nobis et vobis ut aedificemus domum Deo nostro, sed nos ipsi soli aedificabimus domum Domino Deo nostro.* [41] Et Deus diabolum voluerit coadiutorem, ut ipse satanas in templi huius fundatione primum lapidem miserit? Creditu plane plus quam dici potest indignum!

32) Ct 6, 9. 33) § 5. (P. G. 3, 172). 34) Cf. *De Concept. Virg.*, etc. cp. 2. (P. L. 158, 97-98). 35) Cf. *De Peccat. Meritis et Remis.* cp. 9, n. 10. (P. L. 44, 115); cp. 29, n. 57. (P. L. 44, 142); *De Nuptiis*, etc. cp. 26. (P. L. 44, 430); *Contra Iulianum Pel.* lib. 5, cp. 7, n. 29. (P. L. 44, 802); *Serm. 151* (alias 45), nn. 5-7. (P. L. 38, 817-18) et alibi. 36) Praeter loc. cit. cf. *Contra Iulianum Pel.* lib. 4, cp. 5. (P. L. 44, 756-57); cp. 14. (P. L. 44, 769 sqq.); *De Genesi ad Lit.* lib. 11, cpp. 31-32. (P. L. 34, 445 sqq.) et alibi; cf. etiam Berti qui de hac Augustini sententia fusius agit in op. *De Locis Theolog.* lib. 13, cp. 4. 37) Gn 8, 21. Vulg. habet: *Humani cordis*, etc. 38) 2 Cor 6, 14. 39) 1 Io 1, 5. 40) Ps 86, 5. 41) 1 Esr 4, 3.

Maria sine peccato originali, quia propinquior Deo.

VII. Deus suapte natura summus est munditiei, puritatis et sanctitatis amator. Hinc neminem ad se nec ad sanctuarium suum accedere permittebat impurum; [42] hinc in habitationem suam purissimum coelum elegit, in ministros purissimos Angelos, populum voluit purum et sanctum: *Eritis mihi gens sancta, regnum sacerdotale;* [43] sic: *Facta est Iudaea sanctificatio eius, Israel potestas eius;* [44] nec descendere voluit ad dandam legem nisi post sanctificatum populum; [45] levitas voluit omnino puros, [46] sacerdotes purissimos. [47] pontificem autem, cui soli licebat ad divinum thronum accedere, [48] omnino purum, sanctum, immaculatissimum;[49] templum voluit sanctissimum, ita tamen ut quo magis appropinquabant templi partes divino propitiatorio, quod sedes erat maiestatis eius, [50] eo essent sanctiores; nam atrium quidem sanctum erat, tabernaculum vero exterius, quod erat veluti aula divini palatii, sanctum sive sanctitas appellabatur, tabernaculum autem interius, quod erat veluti cubiculum secretum ubi thronus erat divinae maiestatis, sanctum sanctorum, sive sanctitas sanctitatum dicebatur, quasi summa sanctitas. [51] Sic et in coelo Angeli quo Deo sunt propinquiores eo etiam sanctiores; sic et in Ecclesia omnes Christi discipuli sancti, sed septuaginta sanctiores, Apostoli autem, Christo omnium proximi, sanctissimi.

Maria purissima quia Mater et Sponsa Dei.

Sed quis Deo magis propinquus quam Virgo, cum Sponsa sit Dei? Quis proximus magis Christo Maria, quae eius est Mater? Ipsa ergo omnium Angelorum sanctissima, omnium purissima, omnium immaculatissima. Deus nanque summopere delectatur et gaudet sanctitate. Hinc Seraphim, qui divinam voluntatem optime norunt, nonnisi sanctitatis titulo Deum honorant, trisagium canentes: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus... exercituum:* [52] similiter quatuor coelestia animalia in *Apocalypsi* hoc ipsum perpetuum trisagium canunt; [53] sic voluit sanctissimum habere Filium, per omnia sibi simillimum; cur non sic et Sponsam? Assuerus propterea accepit Esther in sponsam, quia omnium mulierum vidit pulcherrimam; [54] cur non et Deus omnium sanctissimam elegerit?

Voluit Deus Christum Filium suum nobilissimum esse: *Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus;* [55] hominis autem nobilitas ex utro-

42) Cf. Lv 12, 4; 21, 1 sqq.; 22, 1-3. 43) Ex 19, 6. Vulg. habet: *Eritis mihi in regnum sacerdotale*, etc. 44) Ps 113, 2. 45) Cf. Ex 19, 9-15. 46) Cf. Nm 8, 5-15. 47) Cf. Lv 21, 1-9. 16-23. 48) Cf. ibid. 16, 1; Hebr 9, 7. 49) Cf. ibid. 21, 10-15. 50) Cf. Ex 25, 22-23. 51) Cf. 2 Par 3, 1, sqq.; Ex cpp. 26-27; Hebr 9, 2-3. 52) Is 6, 3. 53) Cf. 4, 8. 54) Cf. Est 2, 15-17. 55) Rom 8, 29.

que parente pendet. Si Christus nobilissimus ex patre, cur non etiam ex matre? Quomodo autem nobilissima Virgo dicenda est, si aliquando satanae per peccatum mancipium fuit? Est item Deus honoris sui ac Unigeniti Filii sui zelantissimus; quomodo ergo permiserit Virginem Sanctissimam a satana stuprari? Si hoc egit, quomodo Deus *zelotes?*[55a]

Maria sine peccato actuali, ergo et sine originali.

VIII. Aiunt theologi, et in primis Divus Thomas Aquinas, theologorum nemini secundus, non esse admittendum in Virgine nec minimum quidem peccatum veniale, alioquin non fuisset digna Mater Dei. In 3 part., quaest. 27, art. 4, sic docet Aquinas: « Quos Deus ad aliquid eligit, ita praeparat et disponit, ut ad id ad quod eliguntur inveniantur idonei, iuxta illud Pauli: *Qui et idoneos ministros nos fecit Novi Testamenti.*[56] Beata autem Virgo fuit electa divinitus, ut esset Mater Dei; et ideo non est dubitandum quod Deus per suam gratiam eam ad hoc idoneam reddidit, secundum quod Angelus ad eam dixit: *Invenisti... gratiam apud Deum.*[57] Non autem fuisset idonea Mater Dei, si peccasset aliquando, quia honor parentum redundat in prolem, secundum illud *Proverbiorum* 17: *Gloria filiorum patres eorum.*[58] Unde per oppositum ignominia matris in Filium redundasset, tum etiam quia singularem affinitatem habuit ad Christum, qui ex ea carnem accepit; dicitur autem: *Quae... conventio Christi ad Belial?*[59] Et ideo simpliciter fatendum est quod Beata Virgo nullum actuale peccatum commisit, nec mortale nec veniale, ut sic in ea impleretur quod dicitur: *Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te* ».[60] Sic Thomas.

At rogo: Si veniale peccatum poterat Virginem indignam reddere ne Mater Dei esset, quanto magis originale piaculum? Non enim veniale facit hominem irae filium, Dei inimicum, vita aeterna indignum, satanae mancipium et vitiorum omnium putidam sentinam; sed originale, per quod totus damnatus est mundus, nam *per unum hominem peccatum intravit in... mundum et per peccatum mors, et* sic *in omnes homines mors pertransiit;*[61] sic *modicum fermentum totam massam* corrupit.[62] Si minimus naevus adeo potuit Virginis faciem deturpare, quomodo non foedissima macula et vulnus, quo universa natura fuit turpissime conspurcata et sauciata?

55a) Ex 34, 14. 56) 2 Cor 3, 6. Vulg. habet: *Qui et idoneos nos fecit ministros*, etc.
57) Lc 1, 30. 58) Vr. 6. 59) 2 Cor 6, 15. 60) Ct 4, 7. 61) Rom 5, 12. 62) Gal 5, 9.

Expenditur sententia Sanctorum Thomae et Bernardi.

Et quidem Divus Thomas,[63] Bernardum, sicut etiam Bonaventura,[64] secutus, tenuit Virginem in originali conceptam; primus enim omnium Divus Bernardus, licet Virginis devotissimus, in ea fuit sententia, et hanc veluti contestatus est litem. Scribens enim ad Lugdunenses Canonicos,[65] qui festum hoc solemni ritu in sua Ecclesia celebrare coeperant, multis eos conatur avertere ab hoc instituto. Timebat nanque vir pientissimus ac religiosissimus novum aliquod dogma ex nova hac celebratione, cum nulla alia Ecclesia festum hoc celebraret, nec ad illud celebrandum sanctae Romanae Ecclesiae auctoritas intercederet; nam illa epistola Bernardus hoc maxime titulo Lugdunenses Canonicos coarguit, quod, inconsulta Romana Ecclesia, novam hanc celebritatem admittere et introducere voluissent.

Quid igitur egisset Bernardus, si praesentis Ecclesiae faciem vidisset? An non festum hoc cum Romana et universali Ecclesia devotissime celebrasset? Nam in hac ipsa celebritate Romanae Ecclesiae iudicium exposcebat et desiderabat, ipsiusque auctoritati et iudicio sententiam suam humillime submittebat. Neque enim mordicus hanc sententiam defendit aut tenuit Bernardus, sed ancipiti animo; hinc enim aliquando hac de re pavide loquitur, agens de Virginis assumptione. « Quod si, inquit, originalem a parentibus maculam traxit: sed minus a Ieremia sanctificatam in utero, aut non magis a Ioanne Spiritu Sancto repletam credere prohibet pietas christiana ».[66] Dubitanter loquitur, « si traxit », non cum asseveratione.

Talis mihi semper visus est Thomas. Licet enim aliquando docere visus sit cum Bernardo Virginem esse in originali conceptam, alibi tamen contrarium docuit. Exponens enim angelicam salutationem, immunem eam facit ab originali peccato;[67] et *1 Sent.*, dist. 44, art. 3, docet eam nituisse ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, quoniam ab omni peccato originali et actuali pura fuit; eodem etiam lib. dist. 17, art. 4, idem tradidit, docens intendi puritatem per remotionem a contrario; quae plane indicio sunt eum non sibi plene satisfecisse in hac sententia. Mitto eum alibi docere talem fuisse Mariam, ut maius quid agere minime potuerit Deus ratione materni-

63) Cf. 3 *Sent.* dist. 3. q. 1. a. 1. ad 2; *Summa Theolog.* 3 p. q. 27. a. 2. 64) Cf. 3 *Sent.* dist. 3, a. 1, q. 2. (3. 65 sqq.). 65) *Epist. 174.* (P. L. 182. 171-172 sqq.). 66) *Serm. 2 in Assumpt. Virg.* n. 8. (P. L. 183. 999). 67) *Opuscul. 8. Expos. in Salut. Ang.* — S. Auctor certe prae manibus habebat editionem in qua legebatur: *Maria purissima fuit ad omnem culpam quia, nec originale nec veniale peccatum aliquando incurrit.* Sic in antiquis editionibus iuxta Salmeron et D. Petrum Canisium apud Lambruschini in *Dissert. Pol. sull'Im. Conc. di Maria*, n. 41. Vide etiam Edit. 1881 C. Raulx, Parisiis; Campana, *Maria nel Dog. Cat.* Marietti, 1923, pag. 407.

tatis divinae, sicut nec coelestem beatitudinem, nec Christum maiorem aut meliorem facere potuit, 1 part., quaest. 25, art. 1.

IX. Quod si Divus Thomas, vir plane uti doctissimus et sapientissimus ita piissimus et candidissimus, in praesentiarum civis esset Ecclesiae, procul dubio existimo eum in hanc sententiam immaculatae conceptionis pedibus manibusque venisset, cernens quod Romana Ecclesia, cui ille maxime semper detulit, summoque in honore, ut modestissimus et obedientissimus filius, habuit, festum hoc solemni ritu celebrat; docuit enim ipse, 2 2ae quaest. 10, art. 12, Romanae Ecclesiae auctoritatem et consuetudinem praevalere omnium doctorum auctoritati. Nunc autem Romanae Ecclesiae consuetudo iam inolevit, ut non solum celebret festum hoc, sed celebrandum etiam moneat indulgentiarum copiosis largitionibus, licet neminem cogat.

Maria sine peccato originali ex festo ab Ecclesia instituto.

X. Cumque ipsa sit magistra omnium ecclesiarum, *columna et firmamentum veritatis*,[68] quae a Spiritu veritatis recta errare nullatenus potest, ipsaque concedat nobis, ut de Virgine Dei Genitrice pro pietate et decentia sentiamus, et ut ab omnibus Divinarum Scripturarum enunciationibus, quae de peccato in universum loquuntur, ipsam excipere possimus. Digna est Mater Dei ut honoris hoc spontaneum munus illi offeramus, ut, sicut Magi Unigenito Filio suo aurum, thus et myrrham obtulere,[69] ita nos Virgini aurum exhibeamus caritatis, ut illam tanquam Dei Matrem diligamus et veneremur tanquam coeli Reginam, thus piarum precationum tanquam omnipotenti advocatrici nostrae apud Unigenitum suum, et myrrham fidei immaculatae conceptionis, qua ex gratia speciali praeservata fuit a labe peccati, sicut myrrha praeservantur corpora a corruptione.

Dignum est nos Mariam titulo *Immaculatae* honorare;

Dignum est ut Matri Dei hunc exhibeamus honorem, nam mysteria gratiae, quae in Virgine operata sunt, non sunt ordinariis legibus metienda, sed divina omnipotentia: *Quia*, inquit, *fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen eius*,[70] uti in virginali conceptu et partu liquido apparet. Dignum est ut hoc illi praestemus, ne Virgini negatum dicamus aliquod privilegium gratiae cuivis alteri creaturae donatum, nam Deus Angelos et homines primos in gratia creavit. Et si Virgo prudentissima et sapientissima

ne Virgini negatum dicamus ullum privilegium,

68) 1 Tim 3, 15. 69) Cf. Mt 2, 11. 70) Lc 1, 49.

tanti faciebat carnis virginitatem, ut potius elegisset intacta virgo manere, quam, violata virginitate, Mater Dei fieri: *Quomodo*, inquit, *fiet istud, quoniam virum non cognosco;*[71] quid, si data fuisset ei optio, ut quid libere magis eligeret vel integram utriusque hominis puritatem omnino illibatam, vel maternitatis divinae altissimam dignitatem? Multo enim maius malum est originale peccatum, quae totius divinae gratiae carentia est cum ira et indignatione, quam dignitatis huius carentia. Mortem potius elegisset et non nasci. Talis tantaque est peccati pravitas! Ad quid ergo Deus tantum malum permiserit Virgini sine causa? Quae inde utilitas aut emolumentum? Num ne Virgo magnitudine munerum divinorum extolleretur? Sed potius permittendum ei erat veniale peccatum, nam hoc magis voluntarium est. Sed Virginis humilitas fuit humilitati Christi simillima; humilitas autem Christi oriebatur non ex mali alicuius agnitione, sed ex perfecto lumine et cognitione suipsius, ut homo erat.

ne potissimum divino titulo sanctitatis eam privemus.

Tandem dignum est ut Virgini hunc exhibeamus honorem. Nam iidem tituli tribuuntur augustis atque reginis qui regibus et imperatoribus; titulus autem Dei sanctitas est, quoniam vere sanctissimus est, Maria autem vera Sponsa Dei et Summi Imperatoris, vera Christi Regis regum Mater; sic divino titulo sanctitatis honoranda est. Licet non id praeceptum sit nobis, neque enim praeceptum est legibus ut augustis dentur tituli maritorum; dantur tamen, quia si decet et gratum principibus maritis est, ut sic honorentur. Et quis nostrum est, fratres, cui si pro suo arbitratu Deus dedisset, ut Virginem vel servaret ab illo peccato puram, vel a satana foedari permitteret; pro eximia in Virginem pietate, sciens quod futura erat Mater Christi, Sponsa Dei, Angelorum Domina, coeli Regina, illam satanae potestati permisisset? Non eam immaculatam servasset? Permittitur autem nobis ut pro nostro arbitratu eam veneremur; cur ergo non potius omnino immaculatam et divina puritate praeditam arbitremur ac veneremur?

71) Ibid. 1, 34.

SERMO OCTAVUS

VERA SPONSA ET MATER DEI MARIA IDEO IMMACULATA

Iacob autem genuit Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. [1]

Ex primo principio in scientiis omnes conclusiones; ex principio quod Virgo est vere *Theotocos* omnes eius praerogativae, etiam exemptio a peccato originali.

I. In sacrosancto hodierno Evangelio de Sanctissima Virgine Deipara, cuius immaculatam conceptionem hodie solemniter celebrat sancta mater Ecclesia, nihil aliud habemus nisi quod ipsa sit vera et naturalis Mater Christi: *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Et quidem haec prima est et summa dignitas Virginis Gloriosae, ex qua omnis eius gloria honorque dependet. Sicut enim in qualibet scientia statuitur primum aliquod principium et axioma, ex quo omnes fere illius scientiae conclusiones educuntur, et comprobantur, uti in theologia quod Deus sit primum ens, in naturali philosophia quod natura est principium motus, in morali quod bonum est faciendum et fugiendum malum; ita in hodierno Evangelio statuitur hoc primum principium nobilitatis et dignitatis Mariae, quod ipsa sit vere *Theotocos*, naturalis, vera et propria Mater vivi et veri Dei, Unigeniti Filii summi Patris, ex quo principio concluditur quod ipsa sit Sponsa Altissimi, quod sit Domina Angelorum, Regina Sanctorum omnium, Imperatrix totius universi, etc. Ex hoc autem eodem principio educenda nobis est hodie conclusio haec, quod ipsa fuerit semper sanctissima, semper gratia plena, absque omni macula peccati, quod sine originali peccato concepta sit.

1) Mt 1, 16.

Maria sine peccato originali, quia vera Sponsa et Mater Dei.

II. Audite, quaeso: Si Maria vera Mater est Christi Unigeniti Filii Dei, ergo vera Sponsa est vivi et veri Dei omnipotentis. Sed quomodo Deus infinitae maiestatis mulierem desponsavit, sibique vero matrimonio copulavit? Utique ex amore, sicut magnus rex Assuerus Esther pulcherrimam humili loco natam, amore captus, duxit in uxorem, reginamque constituit.[2] Hoc ergo manifestissimum signum et evidentissima demonstratio est infiniti amoris Dei erga Virginem Sanctissimam. Quod maius amoris indicium demonstrare potest rex aut imperator in puellam pulcram quidem, sed pauperem humilemque, quam si in uxorem legitimam eam ducat, reginamque constituat? Quid amplius aut maius facere ei potest? Potest ne eam sublimius exaltare? Num maiorem dignitatem conferre? Indicat ergo locus iste quod Deus, ex nimio amore Virginem desponsans, eam quantum potuit exaltavit, omnem quam potuit dignitatem ei contulit.

Nunc quid dicendum, quod non potuit Deus animam Sanctissimae Virginis sanctam, in gratia creare, sicut creavit Angelos et primos homines? Non potuit omnipotentia Dei praeservare Virginem a peccato originali? Num Deus suis tenetur legibus, ut eas dispensare non possit? Absit; p o t u i t, p o t u i t, imo et d e b u i t. An non infinito honore et gloria dignus est Christus? Ergo Deus omni quo potuit honore et gloria donare eum debuit. Sed, an non dedecus Christo fuisset nasci ex muliere a diabolo violata et per peccatum spiritu stuprata? Si ergo potuit et debuit ob Christi honorem et infinitam maiestatem, cur noluit? Cur hac in re non complacuit Christo et Virgini?

Hinc, sicut ad supremam gloriam, ita etiam et ad supremam gratiam praedestinata.

Praeterea, si Deus ex amore et caritate solam Virginem sibi desponsavit, ergo solam Virginem super omnem aliam creaturam in terra et in coelo dilexit. Quid enim sunt omnes Sancti? Omnes Angeli? Imo ad quid creavit Deus omnes Sanctos omnesque Angelos paradisi? Ut essent servi Dei, ministri Christi; Mariam vero, ut esset Sponsa Dei et vera Mater Christi. Diligit Deus Mariam unicam Sponsam suam super omnes Sanctos, super Angelos post Christum. Nec novus hic amor est, sed caritate perpetua ab aeterno dilexit eam,[2a] cum eam Sponsam suam et Christi Matrem praedestinavit atque elegit. Sicut enim in paradiso super omnes Sanctos et Angelos tanquam Sponsam suam Angelorum Dominam et Reginam ad Christi dexteram collocavit; ita ab aeterno super omnes Sanctos et Angelos eam praedestinavit. Sed quid est praedestinatio? Utique praeparatio gratiae et glo-

2) Cf. Est 2, 5-18. 2a) Cf. Jer 31, 3.

riae, sanctitatis et felicitatis. Sicut ergo praedestinata fuit in maiorem gloriam in paradiso, ita ad maiorem gratiam et sanctitatem in hoc mundo. Sanctitas ergo Mariae in hoc mundo multo maior fuit quam sanctitas Angelorum in coelo. Sed Angelorum sanctitas est omnino immaculata, absque omni vel minimo naevo peccati, ergo et sanctitas Mariae.

Hinc inter omnes creaturas dilecta, ergo super omnes gratia ditata.

Imo quid est quod Deus plus diligit Mariam quam omnes Sanctos et Angelos: *Fundamenta eius in montibus sanctis; diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob?* [3] Diligere nobis quidem est velle ac desiderare bonum alicui, quem diligimus; Dei autem diligere et velle bonum est facere et conferre. Magis dilexit Mariam, maiora bona ei contulit; ergo maiorem gratiam, maiorem sanctitatem; nam spiritualibus bonis delectatur Deus, haec suis, quos diligit, libentissime confert. Si maiorem Spiritus Sancti gratiam contulit Mariae, maiori eam sanctitate donavit, Angelis multo puriorem effecit, ita ut merito dicere possimus quod *tanto melior* est *Angelis* effecta, *quanto differentius prae illis nomen hereditavit.* [4] O infinitam dignitatem Mariae, qua vera est Sponsa Dei, vera Mater Christi vivi, veri et summi Dei!

Maria sine peccato originali, quia non solum vera Mater sed etiam digna Mater Christi digni infiniti honoris.

III. Non enim tantum voluit Deus ut Virgo Sanctissima esset Mater Christi, sed ut digna esset Mater, sicut non solum voluit ut Apostoli essent praedicatores et ministri Christi, sed ut digni, apti et idonei essent; [5] hinc Spiritum Sanctum, omnium coelestium gratiarum thesaurum, eis donavit. [6] Non solum voluit ut Ioannes praecursor esset Christi, sed ut dignus esset praecursor; hinc eum ex matris utero Spiritu replevit. [7] Non solum ut Salomon rex esset Israel, sed ut rex dignus et aptus esset; hinc ei thesaurum coelestis sapientiae dono dedit. [8] Sic, inquam, voluit Deus ut Maria digna esset Mater Dei, dignum Christi habitaculum. Sicut pro digna hominis habitatione condidit paradisum terrestrem, pro digna habitatione Angelorum paradisum coelestem, sicut Salomon, factus rex, palatium sibi aedificavit dignum regia maiestate, [9] reginae quoque sponsae suae, filiae regis Aegypti, aliud extruxit palatium tanta regina dignum; [10] ita Deus, cum Mariam formavit, palatium fabricavit dignum tanto Filio, qui infinito dignus est honore, infinita gloria, cuius est infinita dignitas. Salomon palatium suum et reginae, [11] sicut et templum Domini, [12] ex lapidibus pretio-

3) Ps 86, 1-2. 4) Hebr 1, 4. 5) Cf. 2 Cor 3, 6. 6) Cf. Act 2, 4.
7) Cf. Lc 1, 15. 41. 8) Cf. 2 Par 1, 12. 9) Cf. 3 Rg 7, 1-2. 10) Cf. Ibid. 7, 8.
11) Cf. ibid. 7, 1-12. 12) Cf. ibid. cpp. 6-7.

sis, hoc est, finissimis et pretiosissimis marmoribus aedificavit, ut regia maiestate dignum videretur. Ex quibus lapidibus aedificasse hoc Divinitatis palatium Unigenito Filio suo censendus est Deus?

Hinc prima eius gratia maior fuit quavis gratia Sanctorum.

Audite quid Isaias dicat. *Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium.* [13] Aedificabitur, inquit, domus Domini supra montem, qui erit in vertice montium, positus super cacumina aliorum montium. Montes sunt omnes Patriarchae, montes Prophetae, montes Apostoli, montes omnes Sancti, montes omnes Angeli; sed mons domus Domini fundatus est super cacumina montium. Prima gratia, quae collata fuit Mariae, fuit superior maiorque quavis gratia Sanctorum et Angelorum. Sic enim Divus Gregorius ait, *1 Regum* 1: « Mons Dei Genitrix Maria fuit, quae omnem electae creaturae altitudinem electionis suae dignitate transcendit. An non mons sublimis Maria, quae ut ad conceptionem aeterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum choros, usque ad solium Deitatis erexit?... Mons in vertice montium fuit, quia altitudo Mariae super omnes Sanctos refulsit ». [14] O plane infinitam altitudinem dignitatis! Hoc est esse Matrem Christi, unicam Sponsam Dei!

Et quaeso: Quis est hominum, qui ducturus uxorem, si posset eam iuxta cordis sui desiderium formare intrinsecus et extrinsecus, sicut pictor excellentissimus quam vult imaginem, non talem sibi formaret uxorem, quae omnibus esset gratiis virtutibusque ornata? Quis sciens et volens eam a sordidissimo homine violari permiserit? Solus Deus hoc potuit, sponsam sibi adamussim formare talem qualem voluit iuxta omne desiderium cordis sui, ad libitum voluntatis suae; et non formaverit eam omni gratia, omni virtute, omni dono coelesti praeditam? Et permiserit eam a satana violari? Hoc est: *Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. Unctus.* Rex, sed *Rex regum et Dominus dominantium.* [15]

Hinc voluit Deus ut esset nobilissima secundum carnem, sed magis secundum spiritum.

Et quidem quo dignior esset Mater Christi voluit Deus eam nasci ex semine Abrahae, Isaac et Iacob, gente omnium nobilissima et illustrissima, ex tribu Iuda, omnium tribuum nobilissima et principalissima ex illa gente, ex domo et familia David, nobilissima familia illius tribus, [16] et ut materno ex genere descenderet ex Aaron summo pontifice, [17] ut eo magis nobilitaretur, adeo ut etiam secundum carnem Deus pro viribus voluerit eam nobilissimam nasci; quanto magis secundum spiritum? Nobilitas autem spiritus in virtute consistit; nec

13) 2, 2. 14) Lib. 1, n. 5. (P. L. 79, 9). 15) 1 Tim 6, 15. 16) Cf. Lc 1, 27; Rom 1, 3. 17) Cf. Lc 1, 5.

carnis sed spiritus nobilitate Deus, qui spiritus est,[17a] apprime delectatur. Sed videte seriem verborum: Maria proxima Christo statuitur. Christus autem sol est iustitiae, omnes autem Sancti et Angeli stellae sunt; omnes stellae a sole lumen accipiunt, omnes Sancti et Angeli a Christo lumen et splendorem iustitiae, bonitatis et sanctitatis. Maria stella est, sed proxima soli; ergo in tenebris esse non potest, nec pati eclipsim aut quamvis obscuritatis maculam: *De qua natus est Iesus* tanquam sol ab aurora clara; nam clarissima est aurora cum sol nascitur, nullasque habet tenebras obscurae noctis.

Maria sine peccato originali quia coelestis mulier, ex qua homo coelestis Christus.

IV. *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* De primo homine Deus formavit mulierem coadiutricem ad propagandum genus humanum, ei per omnia similem quoad naturam et quoad gratiam.[18] Nunc ex secunda muliere producit secundum hominem. Inquit autem Paulus quod *primus homo de terra terrenus* fuit, sed *secundus homo de coelo coelestis,*[19] veluti dicens quod de coelesti muliere coelestis homo Christus formatus est. Sicut sol ex purissimis coeli partibus Dei manu formatus fuit, ita Christus ex coelesti Maria. Regius Vates inquit quod Deus coelum creavit, ut esset solis habitaculum: *Lascemesc scam ohel bahem,* idest, *bascamaim, soli posuit tabernaculum in coelis;*[20] sic pro tabernaculo solis iustitiae Christi coelum creavit Mariae. Adhuc; si Deus primum hominem formare voluit de terra nulli adhuc maledictioni subiecta,[21] cur non sic secundum hominem? Et si Deus filio Abraham Isaac praeparavit in sponsam matremque totius Israel virginem pulcherrimam et incognitam viro, idest, nullatenus violatam,[22] cur non talem praeparaverit Unigenito Filio suo? Si propter merita Noe, quoniam iustus fuit et perfectus coram Domino,[23] salvavit Deus ab aquis diluvii per arcam familiam ipsius,[23a] cur propter merita Christi non salvaverit ipsius Matrem a diluvio peccati originalis? Rahab ob hospitalitatis officium meruit ut universa ipsius familia et cognatio servaretur a perditione civitatis Iericho, quae divino decreto universa totaliter perdenda erat.[24]

Duplici carnis et spiritus virginitate delectatur

V. *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Hodiernum mysterium immaculatae con-

17a) Cf. Io 4, 24. 18) Cf. Gn 2, 18. 19) 1 Cor 15, 47. 20) Ps 18, 6 hebr.
21) Cf. Gn 2, 7. 22) Cf. ibid. 24, 16. 23) Cf. ibid. 6, 8-9. 23a) Cf. ibid. 7, 1 sqq.
24) Cf. Jos 6, 17. 25.

Deus sicut in Virgine,

ceptionis Virginis Sacratissimae ostendit quod duplici virginitate delectatur Deus: virginitate corporis, virginitate spiritus. Sic P a u l u s ait: *Mulier innupta et virgo cogitat quae Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu, quomodo placeat Deo.*[25] Res est Deo placens et gratissima sanctitas corporis et spiritus; in Virgine autem Sanctissima maxima fuit utraque sanctitas. Sed mirabile dictu est quod sanctitatem utramque Virgo Beatissima absconditam tanquam thesaurum tenuerit. Virginitatem corporis sub veri matrimonii velo; quis eam virginem existimasset, cum et virum haberet et filium? Ita quoque infinitam mentis sanctitatem celabat, vivens in saeculo viro subiecta, domus curam gerens et veluti communem vitam cum reliquis mulieribus ducens. Sic erat veluti tabernaculum Domini foris quidem vilibus pellibus opertum,[26] intus autem auro resplendens.[27]

ita in quavis anima fideli.

Non solum autem a Sanctissima Virgine duplicem hanc sanctitatem requisivit Deus, sed a quavis anima fideli requirit: *Despondi... vos uni viro,* inquit P a u l u s , *virginem castam exhibere Christo;*[28] et alibi: *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquae in verbo, ut exhiberet* ipsam *sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam..., sed ut sit sancta et immaculata.*[29] Sic Deus in Divinis Litteris ostenditur semper cupidissimus verae sanctitatis ac puritatis, et e contra inimicissimus omnis iniquitatis, qui summo infinitoque odio omnem impietatem omneque peccatum prosequitur. Ita vel maxime in originali peccato, primo nostrorum parentum piaculo, demonstratur; unum enim illud peccatum omnibus saeculis punivit, nec punire desinet unquam, ita ut ob illud innocentes parvuli morti et multis passionibus sint subiecti tanquam filii perditionis et irae,[29a] donec *per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti*[30] emundentur ab illo peccato. Sic implacabilis est ira Dei contra peccatum, nisi vera poenitentia et Sacramentorum divina virtute deleatur.

quae et a vitiis abstinere debet, et in virtutibus proficere.

Nec tantum requirit a nobis Deus innocentiam vitae, qua a vitiis et peccatis abstineamus, sed etiam vitae sanctitatem in virtutibus et bonis operibus. Sic Paulus ait: *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei omnibus hominibus, erudiens nos, ut, abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie et iuste et pie vivamus in hoc saeculo, expectantes beatam spem et adventum gloriae magni*

25) 1 Cor 7, 32. 34.
26) Cf. Ex 36, 14-19.
27) Cf. ibid. 36, 20 sqq.; 37. 1 sqq.
28) 2 Cor 11, 2.
29) Eph 5, 25-27.
29a) Cf. 2 Thess 2, 3; Eph 2, 3.
30) Cf. Tit 3, 5.

Dei.[31] Requirit a nobis virginalem puritatem, castitatem corporis et mentis, carnis et spiritus, ut in nobis inhabitet; nam spiritus sapientiae, spiritus Domini, Deus ipse non habitabit in corpore subdito peccatis.[32] Requirit a nobis ut in carne non secundum carnem vivamus,[33] sed tanquam Angeli in carne simus. Sed utinam vitio nostro non evaserimus bestiis multo animaliores et carnaliores! Ubi est virginitas et castitas mentis? Imo ubi virginitas et castitas corporis?

31) Ibid. 2, 11-13. Verba: *Benignitas et humanitas... Dei* ex ep. 3, 4. 32) Cf. Sap 1, 4.
33) Cf. 2 Cor 10, 2-3.

In calce huius sermonis in manuscripto invenitur hoc commentariulum super *Psal.* 45. vrr. 5-6, quo immaculata Mariae conceptio illustratur, quod, cum evidenter non pertineat ad praecedentem sermonem, hic separate posuimus.

Regius Vates *Psal. 45*[1] ad vivum exprimere, ac veluti vivis coloribus depingere visus est mysterium sanctissimae conceptionis Deiparae Virginis, dum ait: *Fluminis impetus laetificat civitatem Dei, sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. Deus in medio eius, non commovebitur; adiuvavit*[2] *eam Deus mane diluculo.* Hebr. est paulo aliter: *Flumen pelagorum eius laetificabit civitatem Dei, sanctum tabernaculorum Altissimi,* idest, sanctissimum. *Deus in medio eius* - subintelligendum - est, propterea *non commovebitur* ipsa, nam hebr. [verbum] est generis feminini: praesente Deo nutare non poterit ipsa. *Adiuvabit eam Deus mane diluculo:* hebr.; *Ad respicere diluculum,* idest, quam primum, opportunissimo tempore, quam citissime, cum opus fuerit.

1) Vrr. 5-6. 2) Vulg. habet: *Adiuvabit.*

SERMO NONUS

SANCTIOR SANCTORUM SPONSA DOMUS ET PORTA DEI MARIA IDEO IMMACULATA

Iacob autem genuit Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. [1]

Conceptio et nativitas Virginis similis conceptioni et nativitati Christi,

I. Celebrat hodie [Ecclesia] festum conceptionis Virginis Gloriosae, Matris Dei beatissimae atque dignissimae, et legit Evangelium conceptionis et nativitatis Christi: *Liber generationis Iesu Christi, filii David...,* [2] *genuit Ioseph, virum Mariae, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus;* plane ad insinuandum quod nativitas et conceptio Virginis similis fuit nativitati et conceptioni Christi, sicut creatio lunae similis creationi solis, formatio Evae similis formationi Adami. Sancta Christi nativitas, immaculata conceptio; sancta nativitas Virginis, pura conceptio: non quod Virginem Christo aequalem paremque faciamus, absit, sicut nec lunam soli, nec Evam Adamo. Christus enim natura sanctus est, omnino purus et immaculatus Sanctus Sanctorum, sol iustitiae, fons gratiae: *De plenitudine eius nos omnes accepimus;* [3] Maria autem sancta et sine peccato per gratiam, quam a Christo accipit, sicut luna a sole splendorem lumenque suum.

sicut creatio lunae similis creationi solis.

Sol ab initio lunam a tenebris praeservavit; in tenebris enim creata fuisset, nisi a sole lumen accepisset, quoniam a seipsa lumen non habet, sed a sole, suapte natura opaca est, obscura est, non sicut

1) Mt 1, 16. 2) Ibid. 1, 1. 3) Io 1, 16.

sol lucida; in primo tamen suae creationis instanti lumine plena soli similis, ut fratri soror, aut sponsa sponso, in coelo apparuit. Sic dicimus de Maria, sic quod Mariae conceptio similis extitit conceptioni Christi, sicut plenitudo gratiae Mariae similis fuit plenitudini gratiae Christi, et nunc in coelo splendor gloriae Mariae similis splendori gloriae Christi. Sicut enim rex coeli Christus, ita Maria regina: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato.* [4]

Sic hodie festum immaculatae conceptionis celebramus in quo accidisse mihi visum est, sicut usu venire solet dum in stadio curritur; is enim accipit bravium qui cursu velociori prior pervenit ad metam. [4a] In Mariae conceptione ad bravium animae ipsius currebant simul Spiritus Sanctus et satanas, sicut ad Christi sepulcrum Petrus et Ioannes; sed citius praecucurrit Ioannes, et prior venit ad monumentum. [5] Veluti si in creatione mundi, quando creata fuerunt luminaria, extitissent sol et luna, ut astrologi loquuntur, prope caput et caudam draconis, ubi per terrae interpositionem fieri solet eclipsis lunae, tunc in ipsam lunam currerent aut cucurrissent duo veluti flumina: a sole quidem, qui fons est omnis lucis, magnus radius veluti luminis flumen, a terra vero, quae fons et origo est omnium tenebrarum, magna umbra veluti flumen tenebrarum; sed praecucurrit in hanc lunam fluvius luminis, lunam illustravit, et ab umbra terrae servavit.

Lunae eclipsis fit per interpositionem terrae.

In conceptione nostra interponit se satanas inter Deum, solem iustitiae, et animam nostram, quae veluti luna [est]; sic obscuratur anima tenebris originalis peccati. Sunt Deus et anima veluti in capite et cauda draconis, quando necessario fit lunae eclipsis. Si autem sol paululum dimoveatur a capite draconis, ablato terrae obstaculo, recta lunam respicit eamque suo lumine replet.

Est satanas minister divinae iustitiae, nam in poenam primi peccati parentum nostrorum nascimur *filii irae,* [6] inimici Dei, sub potestate satanae. In conceptione Virginis currebant simul divina misericordia et divina iustitia; haec exigebat ut Maria conciperetur in peccato, quoniam vera erat filia Adami peccatoris et inimici Dei, misericordia autem ut conciperetur sine peccato, ut vera et naturalis Mater Christi. Sed praecucurrit misericordia, prior ad metam pervenit, accepit bravium, obtinuit palmam, quoniam Christus Adamo multo maior est, gratia Christi quam peccatum [6a] Adami, meritum

Eclipsis Mariae per interpositionem peccati facta non fuit.

4) Ps 44, 10. 4a) Cf. 1 Cor 9, 24. 5) Cf. Io 20, 4. 6) Eph 2, 3. 6a) Ms.: *Peccati.*

obedientiae Christi quam demeritum inobedientiae Adami. Si Maria ut filia Adami debebat incurrere in originale peccatum, multo magis praeservari debebat ut Mater Christi. Praeucurrit misericordia, et citius ad Mariam pervenit, quoniam Deus suapte natura multo propensior est ad misericordiam quam ad iustitiam, et tum maxime cum causa intercedit rationi et aequitati consentanea.

Simile: Ionathas damnatus ad mortem sed non occisus.

Accidit sicut olim accidisse legimus Ionathae. Promulgaverat Saul edictum terribile, dum pugnaret contra Philisthaeos: *Maledictus*, inquit, *vir qui comederit panem hodie usque ad vesperam.*[7] Ionathas autem filius eius, cum hoc patris edictum ignoraret, oppido lassus et viribus destitutus, ita ut prae esurie lumen oculorum ei defecerit, gustavit paululum mellis; sic nesciens patris praeceptum trasgressus fuit. Qua re cognita, pater tanquam reum mortis capitalem in eum sententiam tulit;[8] non tamen executus fuit, quia populus Ionatham liberavit, dicens: *Ergone Ionathas morietur, qui fecit salutem hanc magnam in Israel? Hoc nefas est: vivit Dominus, si ceciderit capillus de capite eius in terram, quia cum Deo operatus est hodie.*[9] Sic gratia et caritas populi regnique totius erga Ionatham praevaluit magnae illi severitati regis.

Sic, inquam, comedit Maria in lumbis Adami vetitum fructum, suapte natura erat mortis rea; sed divina misericordia eam a morte peccati liberavit ac praeservavit, quia salutem mundo paritura erat: *Genuit Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus*, idest, *salvator, salus. Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.*[10] Sic Maria divinitus ab originali peccato praeservata fuit. Hoc autem videtur esse quod in *Apocalypsi* legimus misisse draconem de ore suo flumen contra coelestem mulierem ad perdendam eam: sed nihil ei nocuit, quoniam divino miraculo aperuit terra os suum et flumen illud absorbuit.[11] Sic, inquam, divino miraculo Dei Mater ab omni peccato praeservata fuit.

Conceptio immaculata Virginis conveniens fuit, ut impleretur vacuus locus in

II. *Genuit Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus*. Ponitur Maria in medio inter Ioseph et Christum, inter sponsum et filium, sicut arca Domini inter duos Cherubim, qui alis eam protegebant.[12] Sanctus Ioseph, de quo legimus: *Ioseph autem vir eius cum esset iustus,*[13] sanc-

7) 1 Rg 14, 24. 28. 8) Cf. ibid. 14, 27-44. 9) Ibid. 14, 45. 10) Mt 1, 21.
11) Cf. 12, 15-16. 12) Cf. Ex 25, 10-21. 13) Mt 1, 19.

tus Christus: *Quod ex te nascetur Sanctum.*[14] Uterque protexit Mariam; Ioseph ut sponsus custos fuit corporalis virginitatis, quam perpetuo servavit inviolatam et integerrimam; protexit eam Christus ut filius animam Virginis divina protectione, custodiens in purissima et immaculatissima spiritus virginitate. In medio posita est sicut stella matutina inter lunam et solem, sicut coelum inter mundum elementalem et paradisum, sicut angelica natura inter humanam et divinam, sicut in tabernaculo Moysis[15] et templo Salomonis[16] sanctum erat inter atrium et sanctum sanctorum.

sanctitate et in emundatione a peccato.

Intra atrium, ubi erat altare holocaustorum et aqua lustratoria, non admittebantur nisi levitae mundi et puri;[17] intra sanctum, ubi erat altare incensi, aureum candelabrum et mensa propositionis, nonnisi sacerdotes sancti et immaculati;[18] intra sanctum sanctorum vero, ubi propitiatorium, Cherubim et arca, nonnisi unus sacerdos summus.[19] Magna erat sanctitas atrii, maior sancti, maxima sancti sanctorum. Sic magna sanctitas Ioseph, iustificati per gratiam a peccato originali, sicut quivis alius Sanctus et Electus Dei; maior sanctitas Mariae praeservatae a peccato originali per gratiam et merita Christi; maxima sanctitas Christi, qui natura nullum omnino habet peccatum, sed natura sanctissimus est, Sanctus Sanctorum et sol iustitiae. Sic Maria inter Christum et omnes Sanctos medium locum obtinet.

Mariae sanctitas media inter magnam sanctitatem Ioseph et maximam Christi.

Sicut enim Deus in natura vacuum dari minime voluit, ita nec in gratia. Non est vacuum in mundo nec in Ecclesia. Hinc videmus quod, cum tres essent gradus procreationis humanae: sine mare et femina sicut Adam, ex mare sine femina sicut Eva, ex mare et femina sicut quilibet nostrum; implere voluit locum, qui vacuus remanere videbatur, Christum procreans ex femina sine mare. Sicut in mundi creatione, cum prius nulla esset creatura nec corporalis nec spiritualis, creavit primam materiam, quae suapte natura, ut philosophi autumant, nec corpus nec spiritus est,[19a] creavit etiam Angelos mere spirituales, coelum, elementa, plantas, animalia, corporalia, tandem hominem corporalem et spiritualem simul; ita plane in Maria vacuum locum implere voluit, ut esset perfectus redemptor et sanctificator, sicut perfectus conditor et creator: *Dei perfecta sunt opera, et omnes viae eius iudicia.*[20]

Maria redempta per praeservationem ab omni peccato et actuali et originali.

14) Lc 1, 35. Vulg. habet: *Quod nascetur ex te.* etc. 15) Cf. Ex 40, 1 sqq. 16) Cf. 2 Par 3, 1 sqq. 17) Cf. Nm 8, 5-22. 18) Cf. Ex 30, 17-21; Hebr 9, 6. 19) Cf. Hebr 9, 7. De his, quae in his tribus locis inveniebantur cf. Ex 40, 1 sqq.; Hebr 9, 1-5. 19a) Cf. Arist. 7. *Metaph.* (tex. 8. 35); August. *Confes.* lib. 12, cpp. 6. 8, (P. L. 32, 827-829) et alios, quos videre potes apud Suarez *Metaph. Disput.* d. 13, ss. 4-6. 20) Dt 32, 4.

idest, omnia opera eius sapientissime, summo cum iudicio facta, ita ut nihil in eis reperiatur quod iure reprehendi possit.

Est autem nobilis redemptionis modus per praeservationem ac, ut ita dicam, praeliberationem. Multos iustificavit atque redemit a peccato originali et actuali, sicut Apostolos ceterosque fideles; nonnullos ab originali iustificavit, et praeservavit ab actuali, ut Ioannem Baptistam.[20a] Vacuus restabat locus, praeservationis ab originali; hunc implevit in Virgine perfectus redemptor, siquidem eam ab omni penitus peccato praeservavit et actuali et originali. Sicut in incarnatione alium implere voluit vacuum locum. Erat in mundo Deus tantum creator, non creatura; erat mundus creatura, non creator; erant multa quae iam interierant vel nondum orta erant, quare nec creator nec creatura; Christum misit in mundum simul creatorem et creaturam.

Conceptio immaculata Virginis conveniens fuit, ut digna esset Spiritus Sancti Sponsa.

III. *Genuit Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus.* Virgo Sanctissima s p o n s a ostenditur nobilissimi viri Ioseph de stirpe David, sicut Angelus dixit ei: *Ioseph, fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam.*[21] Imo, quid dico sponsa Ioseph? Sponsa Dei, per coelestem paranymphum et pronubum Gabrielem Deo desponsata;[22] Mater item nobilissimi et dignissimi Filii Christi: *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus, Rex* utique *regum et Dominus dominantium.*[23] O infinitam Virginis nobilitatem et dignitatem!

Nobilitatis origo in mulieribus.

Mulier enim tanto nobilior est, quanto nobiliori viro desponsatur; et tanto dignior, quanto digniorem filium genuit. Quae nobilitas Dei,[24] cuius sponsa Maria! Quae dignitas Christi, cuius ipsa naturalis mater et vera genitrix! Sed adhuc; tanto maiora ac pretiosiora ornamenta tribuuntur sponsae, quanto nobiliori sponso copulanda est. Quis ergo ornatus gratiae a Spiritu Sancto datus est Virgini, ut dignus esset divina Maiestate? Eliezer multa dedit ornamenta Rebeccae,[25] ut Isaac digna appareret sponsa; et Esther datus omnis ornatus est quemcumque ipsa petiit et prout libuit.[26]

Conceptio immaculata Virginis conveniens fuit,

IV. *Genuit virum Mariae, de qua natus est... Christus.* Ostenditur Virgo Sanctissima d o m u s et p o r t a Christi, per quam in hunc

20a) Cf. Suarez, *De Incarnat.* q. 38, disp. 26, s. 4. 21) Mt 1, 20. 22) Cf. Lc 1, 26 sqq. 23) 1 Tim 6, 15. 24) Ms.: *Deus.* 25) Cf. Gn 24, 53. 26) Scriptura vero dicit quod Esther non quaesivit mundum muliebrem, sed quod Egeus eunuchus eam ornavit (Est 2, 15), ornatu quidem electissimo, utpote quae ipsi prae ceteris placuerat (2, 9).

mundum ingressus est, et domus in qua novem mensibus habitavit. Hinc nanque mulier aedificata dicitur a Deo,[26a] quoniam nascentis hominis ipsa est prima domus. Qualis autem esset prima haec Christi domus in mundo hoc, legimus quidem: *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus:*[27] domus omnium honestissima, magnificentissima, pulcherrima. Sed quando et quomodo aedificata ac fundata sit non legimus, sed tantum divinae huius domus archetypa exemplaria ac descriptiones in tabernaculo Moysis,[28] in templo Salomonis,[29] in mirabili aedificio Ezechielis.[30] ut digna esset domus Incarnati Verbi.

Ad construendum tabernaculum implevit Deus constructorem Beseleel Divino Spiritu et coelesti sapientia;[31] similiter Salomoni magnum contulit sapientiae divinae thesaurum ingentesque divitias ad aedificandam domum Deo dignam.[32] Sic domus haec a Spiritu Sancto, a Sapientia Dei aedificata, fundat·que est. Quomodo ergo hic satanas partem habuit? Quomodo primum lapidem, qui in ecclesiis aedificandis sacratissimus est, ipse posuit? Quid luci ad tenebras? Quid Christo ad Belial? Quid templo Dei et idolis?[33] Spiritus Sancti cura quoad inanimatam suam domum,

Umbra terrae, licet magna sit, ut lunam etiam obscuret aliquando, non pervenit tamen nec pervenire potest usque ad stellas firmamenti; quomodo in paradisum usque coelumque empyreum omnium altissimum penetrabit? Malitia satanae non potuit inficere sanctos Angelos; quomodo ergo usque ad solium Divinitatis pertingere potuerit illudque coinquinare et conspurcare? Stella matutina, quae lucifer dicitur, stellarum omnium splendidissima, nunquam ab umbra terrae tangitur nec inficitur, quoniam soli semper proxima est, fonti lucis, qui suis radiis omnem terrae umbram dissipat et longissime fugat. Maria autem, omnium Sanctorum sanctissima, Christo semper proxima et vicinissima, Christo semper coniunctissima fuit, qui sol est iustitiae; quomodo ergo umbra satanicae iniquitatis infici potuit? coelum empyreum,

Si domum Angelorum Deus supra coelum altissimo loco constituit, longissime a loco corruptionis, miseriae et tenebrarum; quanto altiori ac digniori loco constituisse domum Unigeniti Filii Dei par est ut credamus? Hinc ait: *Quoniam tu, Domine, spes mea, altissimum posuisti refugium tuum; non accedet ad te malum, et flagellum,* sive *plaga, non appropinquabit tabernaculo tuo.*[34] Sic igitur Maria altissimum Dei habitaculum coelo ipso empyreo multo altius, ad quod satan accedere non valuit. domum Angelorum.

26a) Cf. Gn 2, 22. 27) Lc 1, 28. 28) Cf. Ex cpp. 36-38. 29) Cf. 2 Par cpp. 3-4. 30) Cf. Ez cpp. 40-41. 31) Cf. Ex 31, 1-5. 32) Cf. 2 Par 1, 7-12; 2, 12. 33) Cf. 2 Cor 6, 14-16. 34) Ps 90, 9-10. *Plaga* ex hebr.

Conceptio immaculata Virginis conveniens fuit, ut digna porta esset per quam ingrederetur in terram Incarnatum Verbum.

V. Ipsa item porta per quam Dominus in mundum ingressus est: *De qua natus est..., qui vocatur Christus;* porta, de qua apud Ezechielem legimus: *Duxit me ad portam, quae respiciebat viam orientalem; et ecce gloria Dei Israel ingrediebatur..., et maiestas Domini ingressa est templum per viam portae, quae respiciebat ad orientem;* [35] de qua item: *Convertit me ad portam sanctuarii..., quae respiciebat ad orientem et erat clausa...; porta haec clausa erit, non aperietur, et vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa.* [36] Ter dicitur *clausa,* quoniam virgo ante partum, in partu et post partum; ter *clausa,* quia omni peccato clausa, soli Deo et Spiritui Sancto aperta. De sub limine huius portae inquit Vates quod egrediebatur fluvius aquarum: [37] quia ipsa post Christum facta nobis est fons coelestium gratiarum, porta orientalis semper lucida, per quam ingressus est et *visitavit nos Oriens ex alto.* [38] Si solus Deus per hanc portam transiturus erat, quomodo satanas per eam transisse credendus est?

Virgo porta ter clausa, quia omni peccato clausa.

Mensura huius portae mystice accipienda pro sanctitate absque omni macula peccati.

Sed non vacat mysterio quod de magnitudine portae huius dicitur ab eodem Vate; quandoquidem aureo calamo mensurata porta haec ab Angelo, inventa est constare decem cubitis in latitudine, tredecim vero in longitudine sive altitudine. [39] Architectus huius aedifici non servavit canones et decreta architectonicae scientiae, non praecepta Vitruvii, [39a] ut porta esset in altitudine dupla pro latitudine; sed in his mensuris mysterium attenditur. Latitudo caritatem designat, sicut legimus: *Latum mandatum tuum nimis,* [40] haec decem cubitorum est, quoniam *plenitudo... legis est dilectio:* [41] altitudo autem gradum et perfectionem caritatis et gratiae designat, sive, ut aiunt, intensionem. Summa autem caritatis et sanctitatis perfectio visa est in Apostolis constitisse, postquam Spiritu Sancto divinitus repleti fuerunt. [42]

At vero Deipara Virgo excessit omnem sanctitatem Apostolorum. et usque ad sanctitatem Christi pervenit; sanctitas autem Christi purissima et candidissima extitit, absque omni peccati macula, propterea *resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.* [43] Quoniam ergo ad hanc sanctitatem Virgo pervenit: *Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te,* [44] propterea tre-

35) 43, 1-2. 4. 36) 44, 1-2. Vulg. habet: *Et convertit me ad viam portae sanctuarii,* etc. 37) Cf. 47, 1. 38) Lc 1, 78. 39) Cf. 40, 11. 39a) Cf. *De Architec.* lib. 4. cp. 6. Edit. 1584 Venetiis. 40) Ps 118, 96. 41) Rom 13, 8. 42) Cf. Act 2, 4. 43) Mt 17, 2. 44) Ct 4, 7.

decim cubitos altitudinis habuit, duodenarium perfectionis Apostolorum excessit. Sic igitur Virgo Deipara domus et porta Christi ostenditur: *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Porta Maria et porta Christus: *Ego sum,* dixit, *ostium: per me si quis introierit, salvabitur;*[45] *Haec porta Domini, iusti intrabunt per eam;*[46] et porta orientis Maria: *Hic... domus Dei est et porta coeli.*[47]

Porta coeli Maria, per quam Christus intravit in mundum et iusti intrant in coelum.

VI. Porta coeli Maria, et porta coeli Christus; sed Maria porta per quam Deus venit ad nos, Christus autem porta per quam nos ad Deum. Porta item Christus, quia mediator Dei et hominum, Deus homo; sic porta Maria, quia mediatrix inter Christum et fideles. Et sicut Christus, mediator Dei, naturam habuit Dei; ita Maria, mediatrix Christi, sanctitatem habet Christi, omnino pura et immaculata sicut Christus.

Hinc Regius Vates portas iustitiae dixit Christum et Mariam: *Aperite mihi portas iustitiae, et ingressus in eas confitebor Domino.*[48] Tunc subiunxit specialiter de Virgine: *Haec porta Domini,* - hebr.: *Haec porta Adonai, Domino,* - *iusti intrabunt per eam:* per merita et intercessionem ipsius intrabunt in Christi gratiam et amicitiam familiarem, salutemque perpetuam consequentur. Nam sic etiam Apostoli dicuntur esse portae coeli, unde coelestis Ierusalem duodecim portas habere dicitur;[49] sic Maria: *Haec porta Domino, iusti intrabunt per eam,* sicut per eam Dominus ingressus est in mundum.

45) Io 10. 9. 46) Ps 117. 20. Vulg. habet: *In eam.* 47) Gn 28. 17. 48) Ps 117. 19.
49) Cf. Apc 21. 12.

SERMO DECIMUS

RADIX HUMANITATIS CUBICULUM DEI ET AQUA PURA MARIA IDEO IMMACULATA

Maria est immaculata, quia, qua radix arboris humanitatis, ab exterminio praeservata.

I. Magna erat felicitas humanae naturae in paradiso ante originale peccatum, quandiu in statu innocentiae et iustitiae originalis permansit homo. Erat tunc humana natura sicut arbor illa, visa regi Nabuchodonosor in somnis, procerrima, cuius altitudo coelum tangebat, amplissima, cuius rami mundum universum occupabant, pulcherrimis frondibus floribusque et optimis fructibus maxima in copia ornata; sed, mox sententia per Angelum de coelo lata, arbor illa eximia, praecisis omnibus ramis et trunco, bonis omnibus expoliata, ad nihilum redacta fuit; nisi quod iussum fuit ut radix cum germine incolumis et intacta servaretur.[1] Devenit humana natura ex maxima felicitate in maximam infelicitatem ob peccatum; lux conversa fuit in tenebras, clarissimus dies in obscurissimam noctem, luna plena eclipsata fuit.

Contagium peccati et infelicitas.

Radix Maria et germen Christus servati.

Sed a contagione illius peccati servatum fuit germen quod Christus est, et radix, ex qua germen istud oriturum erat. Arbor illa significabat gloriam Nabuchodonosor; sed ad nihilum redacta gloria illa fuit, cum, divina sententia ob peccatum mutatus in bestiam, omnem gloriam amisit:[2] *Homo cum in honore esset non intellexit; comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est illis.*[3] Sic multo magis significare potest hominem in statu ante peccatum et post peccatum. Videmus autem in sacra *Genesi* praeservatam radicem cum germine, nam, antequam infligeretur poena homini pro peccato,

1) Cf. Dn 4, 7-12. 2) Cf. Dn 4, 17-25. 3) Ps 48, 13.

dictum est serpenti: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et* inter *semen tuum et semen illius; ipsa conteret caput tuum.*[4]

Maria est immaculata, quia intimum cubiculum regis Dei facta.

II. Sicut si rex palatium aedificet pro decenti et honesta habitatione suiipsius et familiae suae, totum quidem, ut regia maiestate dignum est, magnificum aedificat et regia magnificentia exornat, - sicut fecit Salomon aedificando domum suam, -[5] praecipue tamen cubiculum suum, ubi statuit thronum maiestatis suae, magnificentissime et ditissime exornat; sic Deus sanctam Ecclesiam aedificans, quod Dei vivum templum est: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus;*[6] *Vos estis templum Dei,*[7] templum fabricatum ex vivis lapidibus, totum quidem divina magnificentia constructum est, sicut templum Salomonis;[8] sed praecipue cubiculum suum Deus magnificentissime exornavit, quod est Sanctissima Virgo, quemadmodum Salomon sanctum sanctorum, divinae habitationis locum, totum auro vestivit, mirabiliterque ornavit.[9]

Maria est immaculata, quia in decursu generationum a fonticulo originalis peccati non infecta.

III. Peccatum originale fuit sicut fonticulus ille amarus qui totum Hypanim fluvium reddit amarum ac impotabilem; sic enim ferunt apud Scythas flumen esse, cuius aqua in principio quidem pura et dulcis est, ad potandum commodissima, fonticulo autem amaro ex latere vicini montis influente, totius fluminis aqua inficitur. De hoc flumine V i r g i l i u s in *Georgicis* mentionem facit.[10] Sic peccatum originale totam infecit naturam humanam: *Modicum fermentum totam massam corrumpit,*[11] modicum lethiferi veneni totum inficit corpus, morsus etiam venenati serpentis.

Ostenduntur Mariae nobilitas, humilitas et auctoritas.

IV. *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariae,* etc.[12] De Virgine Deipara tria ostenduntur: nobilitas, humilitas et auctoritas. Nobilitas, quia filia Abrahae, filia Davidis; humilitas coniugii: *Ioseph virum Mariae.* Absque ullo titulo dignitatis et honoris nominatur tanquam mulier de plebe, quoniam Divinarum Litterarum mos est res ita referre, uti visae sunt; sic enim ait quod serpens locutus est ad mulierem,[13] sic quod tres viri apparuerunt Abrahae,[14] etc.; quoniam igitur Virgo Sanctissima humillimae erat conversationis - similis Christo, qui ait: *Mitis sum et humilis corde* -:[15]

4) Gn 3, 15. 5) Cf. 3 Rg 7, 1-12. 6) Apc 21, 3. 7) 2 Cor 6, 16. 8) Cf. 3 Rg 6, 1-18. 9) Cf. ibid. 6, 19-36. 10) Cf. *Georg.* 4, vr. 370. Est fluvius in Sarmatia europaea inter Tyram (Dniester) et Borysthenem (Dnieper), in Euxinum pontum influens ad Olbiam. Cf. I. Perin in *Onomast.* sub cit. verbo. 11) 1 Cor 5, 6. 12) Mt 1, 16. 13) Cf. Gn 3, 1-5. 14) Cf. ibid. 18, 1-2. 15) Mt 11, 29.

Respexit humilitatem ancillae suae:[16] *Ecce ancilla Domini,*[17] cum in matrem esset electa. Humilitas honorata rara. Tertio auctoritas, quod ipsa supra Christum regem eam habet auctoritatem quam vera mater supra filium: *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.*

ideo summa cum reverentia et fiducia ad Virginem accendendum.

Tria haec consideranda nobis sunt, cum ad Virginem invocandam accedimus: summa ipsius nobilitas cum carnis tum spiritus, ut summa cum reverentia ad eam accedamus; summa humilitas, ut summa cum fiducia; summa auctoritas, sed cum summa caritate coniuncta, qua sicut potest, ita vult nos beneficiis cumulare, etc.

Maria immaculata, quia in ea nulla unquam macula,

V. *Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te.*[18] In hebr.: *Macula non in te* legitur, absque verbo *est.* Sicut Moyses de Deo ait: *Deus fidelis et absque ulla iniquitate,*[19] absque verbo *est;* et David: *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es,*[20] hebr.: *Non Deus volens iniquitatem tu,* idest, nunquam fuisti, es, aut eris volens iniquitatem, nunquam fuit, est, aut erit in Deo iniquitas; ita: *Macula non in te,* idest, nunquam fuit, est, aut erit. Sic igitur intelligendum: *Macula non in te.* Unica *est columba mea,* una est *perfecta mea,*[21] hebr. *immaculata mea;* sunt enim hebr. tres voces similes: *tham, thamah* et *thamim,* quarum prima *simplicem* significat, media *immaculatum,* postrema *perfectum;* hic autem hebr. media est. Hac autem ratione Virgo Sanctissima una tantum est super omnes reginas, concubinas et adolescentulas,[22] quoniam immaculata est, sicut purissima columba, sicut ipse sol, qui luce plenus conditus fuit. Hinc etiam dicitur: *Tota tu pulcra, amica mea, et macula non in te.* Singulariter loquitur: *Tota tu,* et: *Non in te,* quia haec singularis est gratia Mariae.

et a flammis concupiscentiae omnino illaesa.

Anima Virginis Deiparae in conceptione fuit sicut rubus Moysi in medio flammarum omnino intactus, incombustus, illaesus.[23] Sic anima corpori infusa a flammis carnalis concupiscentiae et fomitis peccati nil laesa fuit. Tres potentiae ipsius animae, sicut tres pueri in fornace Babylonis quos flamma ignis nil laesit omnino, quoniam Angelus Domini descenderat in fornacem,[24] sine quo laesi fuissent, sic etc.

16) Lc 1, 48. 17) Ibid. 1, 38. 18) Ct 4, 7. 19) Dt 32, 4. 20) Ps 5, 5.
21) Ct 6, 8. 22) Cf. ibid. 6, 7. 23) Cf. Ex 3, 2. 24) Dn 3, 19-50.

SERMO UNDECIMUS

MULTIS RATIONIBUS MARIA IMMACULATA

Iacob autem genuit Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus qui vocatur Christus. Matth. cap. I. [1]

I. Sicut Melchisedech sacerdos Dei Altissimi introducitur a Moyse in sacra *Genesi* sine patre, sine matre, sine genealogia,[2] et similiter Elias propheta Dei sanctissimus;[3] sic Virgo Beatissima introducitur in Novo Testamento. Haec sunt prima verba quae de ea legimus: *Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus,* idest, *Messias.* Introducitur prius maritata quam nata, prius mater quam filia: *Ioseph virum Mariae.* Quaenam est ista Maria, o sacer Evangelista? Cuius filia est? Quomodo nata in mundo? Cuius fortunae et status? Cuius conditionis? Sufficit, inquit, scire quod sit Mater Messiae, Genitrix Unigeniti Filii Dei, Filia, Sponsa, Mater vivi et veri Dei, Summi Regis gloriae, Imperatoris mundi, Monarchae totius universi.

Sicut Melchisedech ita Maria paucis verbis in Scripturis introducitur.

At, si in Divinis Scripturis non legitur eius nativitas vel conceptio, quomodo eam solemni festo celebrat sancta Ecclesia? Celebrat sanctam nativitatem Ioannis Praecursoris, quoniam ab Angelo Gabriele didicit illum sanctificatum fuisse et Spiritu Sancto plenum; manifeste enim in Evangelio legimus Ioannem prius sanctificatum quam natum,[4] et manifestissima est sancta ipsius nativitas.[4a] At de

tamen Ecclesia, Spiritu Sancto afflata, celebrat eius conceptionem.

1) Vr. 16. 2) Cf. Gn 14, 18-20; Hebr 7, 3. 3) Cf. 3 Rg 17, 1. 4) Cf. Lc 1, 15.
4a) Cf. ibid. 1, 57 sqq.

Virgine Deipara nihil tale aut simile legimus. Quomodo ergo aut quibus rationibus mota sancta Ecclesia celebrat sanctam et immaculatam non solum nativitatem, sed etiam conceptionem Mariae? Regitur Ecclesia Christi a Spiritu Sancto, et errare non potest, sicut synagoga in deserto semper directa fuit ab Angelo Dei in columna nubis et ignis, ne errare posset in vastissima illa solitudine.[5] Celebrat ergo sancta Ecclesia festum hoc ex afflatu et instinctu Spiritus Sancti, qui spiritus est veritatis et pietatis, spiritus sapientiae et intellectus.[5a] Quibus igitur rationibus Ecclesia, ex divina inspiratione et afflatu Spiritus Sancti, mota fuit ad celebrandam sanctam nativitatem et mirabilem gloriosamque assumptionem Beatae Virginis in coelum in anima simul et corpore, cum tamen nihil horum legatur in Scripturis Sanctis, iisdem mota est ad celebrandam sanctam et immaculatam conceptionem.

sicut et assumptionem.

Obiectionibus respondetur. Christus sine peccato per naturam, Maria per gratiam.

II. Nec tamen intendit sancta Ecclesia facere Mariam Christo aequalem, quia Christus sine peccato conceptus est per naturam, quia de Spiritu Sancto conceptus, Maria autem per gratiam et privilegium singulare; sicut rex et imperator solutus legibus suis est suapte natura, regina autem et augusta ex privilegio et gratia principis; et si ponatur luna creata in plenilunio, non ob id dicetur soli aequalis, nam multo maior est lux solis quam lunae, et sol a seipso lucem habet, luna autem a sole, ita ut, si non esset radius solis eam illuminans, perpetuum pateretur deliquium.

Maria redempta, at perfectissimo redemptionis modo.

Nec intendit sancta Ecclesia docere quod Maria non sit redempta a Christo tanquam immunis a peccato originali, sed quod sit redempta perfectissimo redemptionis modo, quia, nisi Christi gratia et merito praeservata fuisset, procul dubio incurrisset originalem labem; sicut dicimus quod omnes Electi per Christi gratiam liberati sunt a morte aeterna et poenis inferni, quia utique mala haec sempiterna incurrissent, nisi per Christi gratiam praeservati fuissent. Sic D a v i d liberatum se dicit ex inferno inferiori[6] et erutum a morte.[7]

Omnes in Adam peccaverunt per naturam, sed non Maria per gratiam.

Nec in hoc sancta Ecclesia contraria Divinis Scripturis, quae praedicant quod omnes in Adam peccaverunt;[8] sed interpretatur Scripturas quod omnes peccaverunt per naturam, cum in Adam essent in potentia, sicut fructus autumni in arbore sunt incipiente vere, florentibus ramis; sed haec praeservata est ex gratia et privilegio, sicut regina Esther non fecit contra legem imperatoris ingressa ad Assuerum non

5) Cf. Ex 13, 21-22; 14, 19-20. 5a) Cf. Is 11, 2. 6) Cf. Ps 85, 13.
7) Cf. Ps 114, 8. 8) Cf. Rom 5, 12.

vocata; [9] hinc ait: *Non enim pro te, sed pro omnibus haec lex constituta est.* [10]

III. Multis autem rationibus movetur sancta Ecclesia ad sic interpretandum Divinas Scripturas. Prima est ex merito Christi. Si enim Deus ex merito Noe non solum ipsum, sed etiam totam ipsius familiam salvavit ab aquis universalis diluvii, [11] cum tamen dixerit: *Finis universae carnis, - col bascar, omnis carnis, - venit coram me,* [12] et iterum: *Interficiam omnem carnem, in qua spiritus vitae est;* [13] et idem Deus non solum beatum Loth salvavit ab incendio Pentapolis, sed ob meritum ipsius etiam duas filias; [14] cur Deus ob infinitum meritum Christi non praeservarit a diluvio et incendio peccati originalis sanctissimam Matrem Christi? Et si ex praevisis meritis Christi, salvavit Deus innumerabiles animas sub lege naturae et Moysi a peccato et morte aeterna; cur non potuit unam tantum salvare a peccato originali, quae specialissime super omnem creaturam electa erat ut esset vera Mater Salvatoris mundi? Si potuit, - nec minor est Dei voluntas et bonitas quam potentia, - cur, quaeso, non fecerit? non concesserit privilegium hoc Sponsae suae?

Maria a peccato originali praeservata ob meritum Christi.

Christus potuit Matrem praeservare, ergo fecit.

IV. Secunda ratio est ex Divinis Scripturis, quae ostendunt Deum sanctitate et puritate maxima summopere delectari. Hinc non solum voluit ut divinum ipsius habitaculum sanctum omnino esset: *Facient... mihi sanctuarium, et habitabo in medio eorum;* [15] sed voluit ut specialis locus divinae habitationis, in quo arca foederis cum divino propitiatorio reponenda erat, esset sanctissimus, et sanctum sanctorum diceretur, [16] idest, locus supra omnem sacratissimus: *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.* [17] Voluit Deus ut bases tabernaculi essent ex purissimo argento, ut in *Exodo* legimus, [18] et fundamenta templi Salomonis fuerunt ex lapidibus pretiosis, [19] fundatumque fuit templum in monte Moria, [20] ubi Abraham immolavit Isaac, [21] quod fuit opus perfectae in Deum caritatis, quo nullum perfectius opus factum ab eo legimus. Sed in cacumine huius montis fundatum fuit sacrosanctum hoc Divinitatis templum. Prima gratia collata Mariae fuit multo maior quam ultima et perfectissima caritas Abrahami:

Maria a peccato originali praeservata ob officium ad quod electa.

Maria Divinitatis templum, ergo

9) Cf. Est 15, 4-9. 10) Cf. ibid. 15, 13. 11) Cf. Gn cpp. 7-8. 12) Ibid. 6, 13 partim ex hebr. 13) Ibid. 6, 17. 14) Cf. ibid. 19, 15-23. 15) Ex 25, 8. 16) Cf. Ex 26, 34. 17) Ps 45, 5. 18) Cf. 26, 19-25. 19) Cf. 2 Par 3, 6. 20) Cf. ibid. 3, 1. 21) Cf. Gn 22, 2. 14.

pura ab originali peccato.

Fundamenta eius in montibus sanctis.[22] Sancta est anima quae pura est a peccatis mortalibus, sanctior quae pura est a venialibus, sanctissima quae pura ab originali; Deus autem in loco sanctissimo in ipso sancto sanctorum posuit thronum Divinitatis suae, elegit specialem locum suae habitationis.[22a]

Lux gratiae Mariae triplex contra triplex peccatum.

Hoc est quod triplici lucis symbolo declaratur sanctitas Mariae in Scripturis: *Aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol;*[23] *Mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius,* etc.,[24] contra triplicem culpam maculamque peccati. Hoc est quod Sponsus ait in *Canticis: Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te,*[25] ubi hebr. est: *Cullach iaphah rahaiathi umum en bach, tota tu pulcra, amica mea, et macula non in te.* Non habetur verbum *est,* sed *macula non in te,* ut referatur ad omne tempus: macula non fuit, nec est, nec erit in te; nulla macula reperitur in te, nulla penitus macula. Ideo dicitur *amicta sole;* nam in sole nulla unquam fuit macula sicut in luna; quo ostenditur quod sicut sol creatus fuit a Deo plenus luce, sic anima Mariae plena gratia.[25a] Et quid designant duodecim stellae in capite? Haec profecto metaphora est; caput principium designat, principium autem hominis conceptio est. Hoc caput ornatum fuit stellis duodecim: omnibus virtutibus, gratiis et donis Spiritus Sancti, quae sunt in anima Mariae sicut duodecim signa Zodiaci in coelo.

Nulla penitus macula in Maria, imo conceptio eius omnibus virtutibus ornata.

Ex Evangelio Maria quadruplici ratione immaculata.

V. Sed ex hodierno Evangelio desumuntur rationes. In hodierno quidem Evangelio quatuor ostenduntur de Virgine Deipara: nobilitas, quod orta sit ex Patriarchis, Prophetis et regibus; matrimonium, quod desponsata erat Ioseph; nomen, quod dicebatur Maria; et dignitas, quod fuerit Mater Christi: *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.*

Prima ratio: Maria immaculata ex nobilitate.

Quoad primum declaratur nobilitas Virginis, quoniam ostenditur nata ex patriarchali progenie Abrahae et ex regali stirpe David; unde cernitur quod Deus omnibus quibus potuit modis voluit Sanctam Virginem nobilitare etiam secundum carnem. Hinc nata est ex nobilissima gente, ex nobilissima tribu illius gentis, ex nobilissima familia illius tribus. Duplex autem nobilitas reperitur in hodierno Evangelio: nobilitas secundum spiritum ex virtute in sanctissimis patriarchis Abrahamo, Isaac et Iacob, et nobilitas secundum carnem

Nobilis carne, nobilis spiritu.

22) Ps 86, 1. 22a) Cf. Ex 25, 22. 23) Ct 6, 9. 24) Apc 12, 1. 25) 4, 7.
25a) Cf. Lc 1, 28.

et sanguinem in stirpe regali; illa prior est et veluti causa, haec autem posterior et veluti effectus illius, nam Deus ob virtutem elegit David in regem.[26] Nobilitas spiritus maximi momenti est apud Deum, nobilitas autem carnis minimi. Quod si Deus voluit Virginem nobilissimam esse etiam secundum carnem, multo magis ergo secundum spiritum. At peccatum originale est contra nobilitatem spiritus, quoniam facit hominem servum et mancipium vilissimum diaboli;[27] igitur, ut summa spiritus nobilitate Sanctissimam Virginem donaret, Deus a peccato originali eam praeservavit, a vilissima servitute et captivitate.

Peccatum originale destruit spiritus nobilitatem.

VI. Quoad secundum agitur de matrimonio inter Mariam et Ioseph, quod symbolum est spiritualis matrimonii inter ipsam Virginem et Deum. Maria desponsata est Ioseph cum esset virgo,[27a] voluitque Deus ut esset perpetua virgo; hinc hebr. dicitur *halmah*,[28] quod *virginem perpetuam designat*. Procul dubio autem multo magis placet Deo virginitas spiritualis quam corporalis; nam sine virginitate corporali multi salvari possunt in matrimonio sancte viventes, et cum corporali virginitate multi damnari possunt, sicut quinque virgines fatuae.[29] At non sic in virginitate spirituali. Potuisset Maria sanctissimam vitam ducere, matrimonio consummato cum viro suo Ioseph; Deus tamen voluit ipsius virginitatem corporalem perpetuo praeservare et conservare.

Secunda ratio: Maria immaculata ex matrimonio cum Deo.

Virginitas corporis et spiritus.

Quod si Deus corporalem virginitatem voluit in Maria omnino illibatam esse, ergo multo magis spiritualem. Peccatum autem violatio virginitatis est, spirituale adulterium et fornicatio inter animam et diabolum. Quis autem vir honoris non cupiat illibatam virginem in uxorem ducere? Quis non acutissimos sentit in animo aculeos, si noverit sponsam suam prius ab aliquo defloratam fuisse? Quomodo ergo Deus, cum ab aeterno elegerit Sanctissimam hanc Virginem in Sponsam suam et Matrem Unigeniti sui, sua sponte prostituerit eam, et diabolo supposuerit per originale peccatum? Noluit tactam esse ab homine secundum carnem, quod esse poterat absque omni culpa; et permiserit tactam esse a diabolo secundum spiritum et coinquinatam iniquitate peccati? Praeservavit ab actu matrimonii legitimi et sancti corpus; et non praeservarit animam a turpissima fornicatione et adulterio cum diabolo?

Deus Mariae virginitatem corporalem illibatam voluit, ergo multo magis spiritualem.

26) Cf. 1 Rg 13, 14. 27) Cf. Io 8, 34. 27a) Cf. Lc 1, 27. 28) Cf. Is 7, 14.
29) Cf. Mt 25, 12.

Tertia ratio: Maria immaculata ex nominis significatione.

VII. Quoad tertium exprimitur nomen Virginis, quod est Maria, nomen sacrum et ter sanctum, multis mysteriis plenum. Hebr. autem nomen Virginis est *Miriam*, sic enim appellatur soror Moysi *Miriam;*[30] et apud Lucam, 1 cap. sui Evangelii, sic graece scriptum est: *Che to onoma tis parthenu Mariam, et ipsum nomen Virginis ipsius Mariam.*[31] Interpretatur autem multis modis: vel *amaritudo maris*, vel *myrrha maris*, vel *odor maris*, nam myrrha sumitur pro odore: *Labia eius lilia*, sive *rosae, stillantia myrrham optimam,*[32] idest, suavissimum odorem. Interpretari etiam potest ex syriaco *domina maris*, vel a verbo *irah*, quod est *docere*, unde *moreh doctor*, interpretari potest *doctrix eorum*. Habemus autem nomen hoc *Nehemiae* cap. 9 *Miriam*, quod est *rebellio eorum*, sive *contentio eorum*,[33] a verbo *marah*.[34] Omnia autem haec interpretamenta competunt Virgini Sanctissimae.

Quid nomen Maria.

Maria amaritudo maris ob fletum super peccata et Filium, victimam peccatorum, ex infinita caritate erga illum.

Amaritudo maris, idest, maxima ac plane infinita, ut: Facta *est... velut mare contritio tua.*[35] Amaritudinis autem animi et doloris amor in causa est; non possumus non amaro animo ferre laesiones eorum quos diligimus. Maria autem infinita prope caritate Deum diligebat, ergo divinas offensiones summopere dolebat, cum totus mundus in maligno positus esset.[36] Divus Petrus ait quod Sodomaei iniquis operibus cruciabant iustam animam Loth, quoniam aspectu et auditu iustus erat;[37] quanto magis ergo anima Beatissimae Virginis cruciabatur mundi peccatis? Maximum autem infinitumque dolorem sensit in passione et morte Filii sui ex infinita caritate.

Peccatum est destructio caritatis.

At si intentum Dei erat Mariam infinita implere caritate, nam et secundum acrostichida idem est מרים ac *min ruah Ieohovah melua*, ac *de spiritu Dei plena*, ad quid eam prius cupiditate implere, quae venenum est caritatis? Non enim potest caritas cum originali manere. Si voluit eam spiritu Dei implere, ad quid eam permittere satanae spiritu prius impleri? Si voluit ut esset specialissimum ac sacrosanctissimum templum Spiritus Sancti, ad quid permittere ut prius satanae domus fieret?

Maria incorruptio, peccatum corruptio.

Deinde *myrrha* dicitur *maris*. Quis autem nesciat quod myrrha incorruptionem quandam habeat, ita ut mortua etiam corpora a corruptione praeservet? Voluit Deus Virginem omnino incorruptam esse,

30) Cf. Ex 15, 20. 31) Vr. 27. 32) Ct 5, 13. Vulg. habet: *Myrrham primam*.
33) Vr. 17. 34) Auctor data opera agit de Mariae nomine in *Serm. 3 in Salut. Ang.*
35) Thren 2, 13. 36) Cf. 1 Io 5, 19. 37) Cf. 2 Petr 2, 8.

non tantum carne sed etiam spiritu, non corpore solum sed etiam anima. Originale autem peccatum corruptio spiritus est; at Virgo tota est myrrha incorrupta.

Odor etiam *maris. Christi bonus odor sumus in omni loco.*[38] Virtus perfecta odor est suavissimus; peccatum autem originale putentissima vitiorum sentina est, putentissimum stercus. Maria odor virtutis suavissimus, peccatum foetor.

Et si volebat Deus ut Maria mundi Domina esset et Angelorum etiam Regina, ad quid eam servituti satanae prius subiugare, ut exprobrare Angelis posset diabolus quod Regina ipsorum sit quae serva extitit suiipsius, et quod quae aliquando mancipium fuit daemonum nunc Domina sit Angelorum? Maria Domina Angelorum, peccatum servitus diaboli.

Tandem interpretatur *rebellio eorum*, idest, causa rebellionis hominum ut, a principe mundi huius tanquam pessimo tyranno et crudelissimo Pharaone deficientes, Aegyptum mundanae vanitatis relinquerent, et in desertum sacrae poenitentiae exirent ad serviendum Deo.[39] Si Hebraei iugum excusserunt aegyptiacae servitutis, Maria soror Moysi divinae illius libertatis magna ex parte in causa extitit, quia Moysem liberatorem servavit;[40] multo magis Maria in causa est salutis et libertatis nostrae. Maria causa rebellionis hominum contra satanam.

Significat hoc nomen quod futura erat capitalis inimica diaboli, iuxta illud oraculum: *Inimicitiam ponam inter te et mulierem*, et ut vinceret ipsum diabolum: *Ipsa conteret caput tuum*,[41] ut esset mulier non victa sicut Eva, sed victrix, mulier fortissima;[42] ut quid ergo eam debilitare prius infirmitate originalis peccati? Ad vincendum diabolum non infirmitate peccati, sed infinita opus erat virtute gratiae, divina spiritus fortitudine. Capitalis inimica satanae, ergo sine peccato.

VIII. Tandem quoad quartum declaratur hic dignitas Mariae: *De qua natus est... Christus.* Infinita haec dignitas est ut Maria vera sit Mater et Genitrix veri Dei, summi Dei. Quod si Dei propositum erat Virginem ad talem tantamque dignitatem promovere; ad quid eam prius tam indignae servituti subiicere, ut per peccatum originale esset mancipium diaboli, ut dici vere posset quod Christus Unigenitus Filius Dei natus sit ex mancipio satanae? Absit! Quarta ratio: Maria immaculata ex dignitate. Maria Mater Dei, ergo non mancipium satanae per peccatum.

38) 2 Cor 2. 15. 39) Alludit ad Ex 12, 31 sqq.; 4. 23. 40) Cf. ibid. 2. 1-10.
41) Gn 3, 15. *Inimicitiam* ex hebr. 42) Cf. Prv 31. 10 sqq.

2.
IN PURIFICATIONEM
SERMONES SEX

SERMO PRIMUS

DE CHRISTI OBLATIONE DEQUE VIRGINIS MAIORI PURIFICATIONE IN HODIERNA FESTIVITATE

Postquam impleti sunt dies purgationis Mariae secundum legem Moysi, tulerunt illum in Ierusalem. [1]

Duo mysteria in festivitate hodierna: oblatio Christi et Deiparae purificatio.

I. Post celebratas festivitates nativitatis, circumcisionis et epiphaniae Domini, occurrit hodie solemnitas praesentationis eius in templo, quae postrema est solemnitas infantiae Salvatoris. Sicut autem in primis ordinamentis universi, quarto creationis die, una cum sole apparuit in coelo etiam luna plena, apparuerunt et sidera splendentia; [2] ita hodie in hac quarta solemnitate Salvatoris. in primordiis mystici huius mundi, sanctae, inquam, Ecclesiae Dei, una cum sole iustitiae [2a] Christo apparet in templo Domini etiam luna perfecta in aeternum [3] Virgo Sanctissima, apparent etiam stellae splendidissimae Ioseph parens Christi, Virginis sponsus, Simeon iustus, Spiritu Sancto plenus, Anna Phanuelis prophetis et alii, qui expectabant consolationem Israel. In hodierna autem festivitate duo simul celebrantur mysteria, duo sacramenta: alterum est purificationis Deiparae Virginis, alterum praesentationis Christi in templo.

1) Lc 2, 22. 2) Cf. Gn 1, 14-18. 2a) Cf. Mal 4, 2. 3) Cf. Ps 88, 38.

Oblatio Christi in oblatione Samuelis figurata.

II. Discessit hodie Virgo Sanctissima una cum dilectissimo sponso Ioseph a civitate Bethlehem, abiit in Ierusalem ad visitandum templum Domini, ad suscipiendum divinae purificationis sacramentum, ad praesentandum Primogenitum suum et Unigenitum Dei aeterno Patri, sicut egit Anna mater Samuelis. Cum enim magno Dei beneficio, imo miraculo optatissimum filium a Deo multis precibus obtinuisset ac suscepisset, cum esset natura sterilis, postquam susceptum filium ablactavit, abiit cum viro suo in templum Domini, et illum Deo obtulit, et praesentavit, sicut voverat, Domino. [3a]

Ante Christum de nullo alio legimus quod Domino fuerit praesentatus, non Abel, non Enoch, non Noe, non Abraham, non Isaac, non Iacob, non Ioseph, non Moyses aut Aaron, non Iosue aut Gedeon vel Samson, non David aut Salomon, non Elias aut Eliseus; unus tantum Samuel legitur Domino praesentatus. Fuit autem Samuel singularis figura et imago Christi; Christus enim verus est *Samuel, postulatus a Deo,* [4] *desideratus cunctis gentibus,* [5] summis precibus sanctae Ecclesiae impetratus, mundi Redemptor et Salvator; Christus, sicut Samuel, sacerdos et princeps, summus rex et pontifex sicut Melchisedech; Christus, sicut Samuel salvator populi de manu Philisthaeorum, qui salvavit *populum suum a peccatis eorum;* [6] Christus, sicut ille de quo nullum in Sacris Litteris peccatum legimus, [6a] totus sanctus, totus immaculatus, *excelsior coelis factus;* [7] Christus verus filius Elcanae, quod interpretatur *Deus zelotes,* verus et primogenitus Filius omnipotentis Dei.

Mater Christi in Samuelis matre figurata.

Oblatus fuit Samuel a matre sancta prophetissa, quae pro sua reverentia exaudita fuit a Deo, quae a viro suo Elcana diligebatur, quae dicebatur *Anna,* idest, *gratia,* tota gratiosa. Haec sunt quae de matre Samuelis leguntur: quod mulier erat sterilis, Elcanae desponsata, viro valde dilecta, quod mulier erat valde devota, sancta et patiens, quod exaudita a Deo fuit et divino munere fecundata, quod spiritu prophetico divinitus praedita fuit, quod Deo divinas laudes cecinit, quod magnum prophetam genuit, quod Deo praesentavit in sancto templo.

Sed sicut Samuel Christi imaginem retulit, ita Anna mater eius Beatissimam Christi Matrem Mariam praefiguravit. Haec vere *Anna,* tota *gratia,* quam Archangelus Gabriel gratia plenam salutavit: *Ave,*

3a) Cf. 1 Rg 1, 1 sqq. 4) Sic hebr. *Samuel* sonat. 5) Ag 2, 8. 6) Mt 1, 21.
6a) Cf. 1 Rg 12, 3-5. 7) Hebr 7, 26.

gratia plena, Dominus tecum;[8] haec Deo Sponso maxime dilecta: *Benedicta tu in mulieribus;*[8a] *Invenisti... gratiam apud Deum;*[9] haec non sterilis divino munere fecundata, sed virgo perpetua divinitus fecundata: *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi*[10] haec sicut Anna,[11] Divino Spiritu afflata, Canticum Domino cecinit: *Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo,*[12] *Iesu meo.*[12a] Credidit Anna Heli sacerdoti conceptum Samuelis promittenti; credidit Maria Archangelo Gabrieli: *Beata quae credidisti, quoniam perficientur* in te... *quae dicta sunt tibi a Domino.*[13] Sancta Anna et virtutibus omnibus ornata accessit ad templum Domini in Siloh, et filium suum primogenitum Deo obtulit; sanctissima Maria et superhumanis et superangelicis virtutibus ornatissima, primogenitum et unigenitum suum Deo in sacratissimo templo praesentavit.

III. Magnum donum obtulit Anna, sicut et Abraham, cum obtulit Deo dilectissimum filium suum Isaac,[14] sed maximum Maria. Bone Deus, quale d o n u m, qualis d o n a t r i x, qualis d o n a t a r i u s, cui munus et domum defertur! Donum Christus est, ingens thesaurus in agro carnis absconditus,[15] *in* quo *inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter;*[16] *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* Dei,[17] donum inaestimabile, thesaurus infinitus. Dedit Deus dono David regnum Israelis, Moysi summum principatum populi et divinam auctoritatem, Aaron summum pontificatum totius synagogae, Adamo mundum totum dono dedit, Christo regnum paradisi omnemque potestatem in coelo et in terra; sed comparatione huius doni nullius fere valoris est omne aliud donum, est enim donum hoc vere Deo, cuius est infinita maiestas, dignissimum.

Oblatio Mariae maxima a dono Christo, a donatario Spiritu Sancto, a donatrice Maria, coelesti Regina.

Deus autem, qui donatarius est, quis non videt quanti facit hoc donum? Ad suscipiendum illud non Angelum mittit vel Archangelum, non unum de Cherubim aut supremis Seraphim, sed ipsum Spiritum Sanctum, qui verus est Deus, coaeternus, consubstantialis et coaequalis sibi. Hoc est quod ait: *Homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon, et homo iste iustus et timoratus, - eulabis pius, religiosus -..., et Spiritus Sanctus erat in eo...;* hic *venit in spiritu in templum;*[18]

8) Lc 1, 28. 8a) Ibid. loc. cit. 9) Ibid. 1, 30. 10) Ibid. 1, 35.
11) Cf. 1 Rg 2, 1 sqq. 12) Lc 1, 46-47. 12a) Hab 3, 18. 13) Lc 1, 45.
14) Cf. Gn 22, 1 sqq. 15) Cf. Mt 13, 44. 16) Col 2, 9. 17) Ibid. 2, 3.
18) Lc 2, 25. 27. *Eulabis* ex graec.

Spiritus Sanctus eum impulit duxitque in templum. *Et... accepit* puerum Iesum *in ulnas suas, et benedixit Deum,* [19] commendans divinum hoc donum, appellans in suo cantico Christum auctorem pacis, salutare Dei, lumen gentium et gloriam Israelis. [20] Ubi designatur Christus verus Deus, auctor naturae, fons gratiae et thesaurus gloriae, quoniam Unigenitus Filius Dei, verus Deus et verus homo.

Sed quaenam est haec mulier, quae talem ac tantum donum potuit Summo Deo, regum Regi et Imperatori offerre? Utique mulier illa mirabilis, de qua Ioannes in suis *Revelationibus: Signum magnum apparuit in coelo, mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim,* nam *peperit filium masculum...,* qui *raptus est... ad Deum et ad thronum eius.* [21] Ecce munus divinum, donum infinita Dei maiestate dignum, donum Deo gratissimum et acceptissimum per manus Spiritus Sancti sanctorumque Angelorum ei praesentatum, sicut apud Danielem legimus: *Ecce in nubibus coeli quasi filius hominis..., et usque ad Antiquum dierum pervenit,* et coram eo *obtulerunt eum.* [22] Mulier tanti doni praesentatrix et donatrix Regina est, sicut regina Saba, ditissima, quae magna munera obtulit Salomoni; [23] Regina, sed non auro, argento et gemmis ornata; Regina coeli est, non terrenis sed coelestibus ornamentis, sole, luna et stellis decorata.

Purificatur Deipara non a sordibus, quia sanctior Angelis, sed ut obediat legi.

IV. Sed si tota lux coelestis est, in capite stellae, in pedibus luna, toto corpore sol; si in coelo purissimo est, ubi nullae penitus sordes, ubi immundum nihil reperitur, quomodo purgatur hodie? *Postquam impleti sunt dies purgationis* Mariae. Purgatio omnis a sordibus est. Impurum argentum et aurum purgantur in fornace, impuri ac sordidi panni lavantur ac purgantur in aquis, impurus aer ventis, luce et calore purificatur a caligine, nebulis crassisque vaporibus, quibus saepe noxie et pestilenter inficitur et corrumpitur. Ubi nulla est impuritas, nulla opus est purgatione; nam etiam canonica et saecularis ac vulgaris purgatio a criminibus est, quibus veluti sordibus horor et fama hominis deturpatur. In Maria vero nulla penitus reperta est impuritas: *Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te:* [24] tota gratia plena, benedicta in mulieribus, Spiritu Sancto superplena, mulier vere omnium Sanctorum sanctissima, Angelis, Archangelis, Cherubim, Seraphim multo purior sanctiorque, Deo, fonti omnis puritatis atque sanc-

In Maria nulla impuritas.

19) Ibid. 2, 28. 20) Ibid. 2, 28-32. 21) Apc 12, 1. 5. 22) 7, 13.
23) Cf. 3 Rg 10, 10. 24) Ct 4, 7.

titatis, proxima atque simillima, quae prius fuit sancta quam nata. Nam si Deus Ieremiam prophetam Christi sanctificavit in utero matris,[25] et Ioannem proximum praecursorem nedum sanctificavit, verum etiam Spiritu Sancto replevit intra materna viscera;[26] quanto magis Matrem Christi? Qui enim servum principis honorat, multo magis matrem, et princeps qui religionis ergo clericalem ordinem statumque veneratur, multo magis sacerdotalem, episcopalem, pontificiam dignitatem. Si igitur Maria sanctior Ieremia, sanctior Ioanne, sanctior Prophetis, sanctior Patriarchis, sanctior Apostolis, sanctior ipsis Angelis est, nihil commune habens cum illa Isaiae sententia: *Omnes immundi nos..., quasi pannus menstruatae omnes iustitiae nostrae,*[27] *sed tota* pura, tota immaculata semper extitit; quomodo purgatur? Quomodo purificatur hodie?

sed sanctior omnibus.

Sed purgari voluit Maria secundum legem Moysis, sicut Christus unigenitus eius et Dei Filius circumcidi. Sicut assumpsit Christus *similitudinem carnis peccati,*[28] imaginem hominis peccatoris sine peccato, ut serpens aeneus figuram habebat serpentis non venenum, sicut Iacob assumpsit similitudinem Esau fratris sui non qualitatem; sic et Maria, ut Christo esset similis, assumpsit imaginem mulieris peccatricis, ac si communi et naturali modo cum ceteris mulieribus concepisset ac peperisset.

V. Sic legem purgationis servare voluit, cui tamen vere subiecta non erat, sicut nec Christus legi circumcisionis, nam lex purgationis conditionalis erat, sic enim habet in *Levitico: Mulier, si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit.*[29] Quid est: *Si suscepto semine,* vel, ut est hebr.: *Si semificaverit?* Num absque semine potest mulier concipere et parere? Ad quid ergo illa conditio: *Si suscepto semine?* Si naturali via, modo et usu communi conceperit et peperit? Utique, quia futura praevidebatur in spiritu mulier, quae absque semine viri, usu insolito, via supernaturali, modo mirabili conceptura ac paritura erat, sicut Isaias ait: *Ecce Virgo concipiet et pariet filium.*[30] Illa igitur lex mulieres obligabat, quae naturali usu concipiebant ac pariebant, Maria autem supernaturali modo per Spiritum Sanctum concepit: *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi..., quod* enim *nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.*[31]

Lex purgationis, quia conditionalis, non obligabat Deiparam.

25) Cf. Ier 1, 5. 26) Cf. Lc 1, 15. 27) 64, 6. Vulg. habet: *Facti sumus ut immundus omnes nos... universae iustitiae,* etc. 28) Rom 8, 3. 29) 12, 2. 30) 7, 14. 31) Lc 1, 35.

Plura Deus praeter iustitiae debitum largitur;

In legibus autem et pactis conditionalibus non exurgit obligatio nisi stante conditione secundum rigorem iustitiae. Promittit Deus vitam aeternam et gloriam paradisi hominibus; sed si divinam legem servaverint: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* [32] Minatur perpetuam mortem poenasque inferni iisdem; sed si peccaverint. Promisit homini immortalitatem et perpetuam felicitatem in paradiso deliciarum; sed si innocentiam servasset. Sed, sicut aliquando, Deus praeter debitum iustitiae multa largitur hominibus ex bonitate, clementia et caritate sua. Cum misit operarios in vineam suam primo mane, conventionem egit cum eis ex denario diurno; iis autem, quos misit circa tertiam, sextam et nonam, dixit: *Ite et vos in vineam meam, et quod iustum fuerit dabo vobis.* At vero, facto vespere, primi qui a summo mane laboraverant in vinea et portaverant pondus diei et aestus, dedit promissam mercedem ex debito iustitiae, cum pacti conditionem implevissent; aliis vero, etiam novissimis, qui una tantum hora laboraverant, eandem mercedem dare voluit ex sua bonitate: *Quia,* inquit, *bonus sum... et licet mihi quod volo facere... nec facio... iniuriam.* [33]

plura Sancti praeter legis praeceptum praestant;

Sic etiam veri electi Dei, qui *Spiritu Dei aguntur,* [34] multa opera bona praestant, ad quae ex divinae legis praescripto minime tenentur, sicut in Ioanne Baptista manifestum est. [35] Hoc autem singulare signum et stigma est animae electae, ut in Rebecca praefiguratum fuit: *Puella cui... dixero,* ait Eliezer: *Da mihi aquam de hydria tua, et illa dixerit: Bibe,* domine, *quin et camelis tuis potum tribuam,* [36] *ipsa est... quam praeparavit Dominus filio Domini mei.* [36a]

ita Deipara implendo purgationis legem.

Sic igitur Virgo Sanctissima, Spiritu Sancto plena, servare voluit legem Moysi, legem purgationis, ad quam minime tenebatur; honorare voluit sacramentum purificationis, revereri legem purgationis, quoniam a Deo per Moysem data erat. Sicut Simeon hodie in Spiritu: *Et venit... in templum,* ita etiam Maria ex impulsu et interno motu Spiritus Sancti venit hodie in templum. In quo elucet et mirum in modum effulget in Virgine magna in Deum pietas et religio, magna animi gratitudo, magna divinae legis reverentia, spontanea obedientia, profundissima humilitas et modestia; ceteris mulieribus nihilo meliorem aut sanctiorem seipsam existimabat. Columba era purissima, quam Regius Vates describit: *Pennae columbae deargentatae,*

32) Mt 19, 17. 33) Cf. ibid. 20, 12-16. 34) Rom 8, 14. 35) Cf. Mt 3, 4.
36) Gn 24, 14. Vulg. habet: *Inclina hydriam tuam ut bibam; et illa responderit: Bibe, quin et camelis tuis dabo potum.* 36a) Ibid. 24, 44.

et posteriora dorsi eius in pallore auri; [37] de qua item Sponsus: *Una est columba mea, perfecta mea, immaculata mea;* [38] sed divinam sanctitatem suam veluti ignorabat, sicut Moyses splendorem faciei suae; [39] hinc quasi vulgaris mulier pergit in templum sacrificio purificanda.

Purificatur Deipara non a sordibus, sed per maiorem puritatis infusionem.

VI. At vero in Sacris Litteris non omnis purgatio a sordibus est. Quis nescit quod in sacra theologia ex magno Dionysio [40] suprema Angelorum monarchia a Deo purgari, illuminari et perfici dicitur, media a suprema, infima a media et ecclesiastica ab angelica; et tamen in Angelis nulla est impuritas, nulla obscuritas, nulla imperfectio; sed per maioris luminis infusionem et manifestam divinorum arcanorum revelationem haec dicuntur. Purificare autem in Divinis Litteris idem est ac sanctificare. *Fide purificans corda eorum,* [41] idest, sanctificans. Sed etiam Christum sanctificatum legimus: *Quem Pater sanctificavit, et misit in mundum.* [42] Sed, sicut sol clarificare dicitur coelum et illuminare stellas, quae tamen nunquam fuerunt in tenebris et obscuritate, vere tamen dicuntur haec clarificari et illuminari a sole, quia nisi a solaribus radiis claritatem lumenque acciperent aut accepissent ab initio, semper in tenebris et obscuritate mansissent, quoniam haec non a seipsis habent sed a sole; ita dicimus sanctificatos et purificatos Angelos a Deo, ita Christi humanitatem, ita Virginem Beatissimam. Etiam Angeli sancti impuri fuissent, ut nunc sunt daemones, nisi supernaturalis gratiae munere divinitus purificati et ab omni impuritate servati fuissent. Ita de anima Christi sentiendum, ita de Virgine Deipara.

Gratia Christi ab initio summa, gratia Deiparae poterat augeri,

Differt autem gratia et sanctitas Virginis a gratia et sanctitate Christi; nam haec ab initio summa fuit, sicut lux solis, augeri minime potuit: *Verbum caro factum est... plenum gratiae et veritatis..., et de plenitudine eius nos omnes accepimus.* [43] At vero gratia Virginis augeri potuit; unde in *Canticis* de ea legimus: *Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol;* [44] ubi manifestus processus est semper ad maioris lucis copiam, usque ad summam perfectionem, qua sub Deo nequit maior intelligi.

et aucta fuit

Quis autem piae mentis homo dubitare potest quin hodie magnum

37) Ps 67, 14. 38) Ct 6, 8. *Immaculata* ex hebr. loc. *Perfecta*. 39) Cf. Ex 34, 29. 40) Cf. *De Coelest. Hierarchia*, cp. 7, § 3. (P. G. 3, 55-57). 41) Act 15, 9. 42) Io 10, 36. 43) Ibid. 1, 14. 16. 44) 6, 9.

Simeonis benedictione, idest, beneficiorum collatione;

a Deo pro tali tantoque munere susceperit coelestis gratiae donum? Anna mater Samuelis benedicta fuit ab Heli summo sacerdote, cum filium praesentavit Domino; sic enim legimus: *Benedixit Heli Elcanae et uxori eius, dixitque ei: Reddat tibi Dominus semen de muliere hac pro foenore, quod commodasti Domino,*[45] idest, pro filio Samuele quem praesentasti et tradidisti Domino, idest, divino cultui dedicasti. Abraham etiam offerens filium suum Isaac, magnam a Domino benedictionem consecutus fuit: *Per memetipsum iuravi, dicit Dominus; quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me,* benedicens *benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas coeli.*[46] Sic etiam hodie; ait enim: *Benedixit* eis *Simeon, et dixit ad Mariam matrem eius: Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur; et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.*[47] Erat hic Simeon pro Deo legatus Dei ad Christum suscipiendum; ideo pro Deo benedixit hodie Mariae. Spiritus Sanctus, Deus verus, per os et linguam eius loquebatur.

Benedictio autem Dei nihil aliud est nisi beneficiorum collatio, nam: *Ipse dixit, et facta sunt.*[48] Quare sicut Abraham ab oblatione domum reversus fuit magno cum thesauro divinarum benedictionum una cum filio; sic hodie Virgo Beatissima magnum consecuta est in benedictione hac divinae gratiae, superangelicae puritatis thesaurum; sic divinitus purificata multo magis sanctificata domum rediit.

sicut in Apostolorum et Abrahae circumcisione non fuit deletum peccatum sed maior gratia infusa.

Accidit Mariae in oblatione et sacrificio purificationis suae, sicut Apostolis in baptismo. Sacramentum hoc divinitus institutum fuit a Christo ad delendum originale peccatum; Apostoli autem per sacramentum circumcisionis iam a peccato illo emundati erant,[49] et tamen a Christo baptizati fuerunt. Quare baptismo illo non fuit deletum peccatum originis, quod iam erat deletum per circumcisionem, sed magnum munus divinae gratiae collatum fuit: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde.*[50] Fuit sicut circumcisio Abrahamo; nam, cum circumcisus fuit, iam Dei electus erat, iam crediderat et reputatum ei fuerat ad iustitiam;[51] quare circumcisio Abrahamo non delevit peccatum, sed magnum contulit gratiae munus. Fuit sacrificium hoc Mariae sicut

45) 1 Rg 2, 20. 46) Gn 22, 16. 47) Lc 2, 34-35. 48) Ps 148, 5. 49) Circumcisione peccatum orig. deleri certum est; disputatur de ratione qua deleretur. Cf. Hurter S. I. *Comp. Theolog. Dogm.* t. 3, tract. 9, n. 278. 50) Tit 3, 5-6. 51) Cf. Gn 15, 6; Rom 4, 9.

baptismus Christi Ioanni Baptistae, qui purus erat ab omni peccato; impo sicut ipsi Beatissimae Virgini, nam ipsa quoque baptismi sacramentum suscepit et in Christo baptizata fuit, ut Christum magis magisque indueret;[52] sic erat divinae puritatis avidissima.

Imo, ut tandem finiam, sic hodie Virgo purificata est sicut Christus sanctificatus, nam ait: *Sanctifica mihi omne primogenitum.*[53] Quia enim omnes primogeniti Hebraeorum sanctificabantur et consecrabantur, Deique templo praesentabantur, et postea quinque siclis redimebantur, ut est in *Numeris;*[54] propterea hodie Christus ut filius primogenitus praesentatus in templo est. Sicut nulla sanctitas addita Christo est hodie, ita a nulla penitus impuritate purificata est Virgo, cum omnis esset impuritatis expers.

VII. Videmus hodie arcam Domini una cum divino propitiatorio sub tecto divini sanctuarii, sub pellibus tabernaculi mosaici;[55] videmus Christum et Mariam legi Moysi subiectos: Christum legi oblationis et praesentationis in templo, Mariam vero legi purificationis, ac si Christus sanctitate egeret et Maria purificatione, cum Maria esset coelo purior et Christus Angelis sanctior, Sanctus Sanctorum et verus aeternusque sol iustitiae.

Imitemur Mariam purificatoria et graduali poenitentia,

Sed nostra haec est instructio, ne velimus exleges esse sicut filii Belial,[56] libertatis secundum carnem nimium cupidi et *voluptatum amatores magis quam Dei.*[57] Moveat, urgeat nos exemplum Christi, exemplum Mariae, qui licet divinis hisce legibus minime tenerentur, servare tamen voluerunt.

Imitemur Mariam. Quadraginta diebus purgari ac purificari voluit per maiora semper gratiarum augmenta, priusquam templum Domini ingrederetur. Numerus hic quadragesimalis symbolum purificatoriae poenitentiae est. Ad purgandum mundum Deus quadraginta diebus pluit super terram;[58] quadraginta dies poenitentiae dati fuerunt Ninivitis;[59] quadraginta diebus Moyses ieiunavit, ut populo veniam peccati obtineret novasque tabulas acciperet;[60] quadraginta diebus Elias ieiunavit, ut ad montem sanctum Domini perveniret;[61] et populus quadraginta annis mansit in deserto, priusquam ad optatissimam terram promissionis perveniret.[62] Sic etiam Beatissima Virgo quadraginta diebus purgari voluit, priusquam templum Domini

52) Cf. Gal 3, 27. 53) Ex 13, 2. 54) 18, 16. 55) Cf. Ex 40, 15-19.
56) Cf. Idc 19, 22. 57) 2 Tim 3, 4. 58) Cf. Gn 7, 17. 59) Jon 3, 4.
60) Cf. Ex 34, 28. 61) Cf. 3 Rg 19, 8. 62) Cf. Dt 1, 3; 2, 7.

ingrederetur, et Filium suum Domino praesentaret. Noverat enim quod Deus summus est puritatis amator, summa puritate delectatur, nec in coelum introibit *aliquod coinquinatum,*[63] nonnisi *innocens manibus et mundo corde ascendet in montem Domini,* stabitque, etc.[64]

et oblatione pretiosiarum rerum nostrarum, idest, totius corporis et animae.

Obtulit Maria Domino Filium suum primogenitum sed circumcisum; de Samuele oblationem legimus non circumcisionem;[65] de Isaac circumcisionem[65a] et oblationem in monte Moria,[66] ubi templum aedificatum fuit a Salomone.[67] Filium suum primogenitum et unigenitum obtulit hodie Domino Virgo Sanctissima; neque enim gemellos peperit, sicut Rebecca,[68] ut, primogenito oblato, alterum sibi retineret, sed unicum tantum genuit Filium Dei. Fuit autem acceptissima oblatio, quoniam ex humili promptaque et hilari obedientia.

Sicut scriptum est in lege Domini.[69] Mandavit autem Dominus primogenita sibi offerri;[70] meliora quaeque a nobis requirit Deus sicut ab Abraham dilectissimum Isaac,[71] ab Hebraeis pro constructione divini tabernaculi requisivit non ferrum et plumbum sed aurum et argentum; non linum qualecumque sed byssum; non qualemcumque lanam sed pilos caprarum, ex quibus fit cimatile, unde fiunt undulatae vestes; non qualescumque pannos sed purpuram et hyacinthum.[72] Sic requirit a nobis totum cor totamque animam, ut videat quanti divinam Maiestatem faciamus, cum ipse Dominus sit et Pater noster.

Grata fuit oblatio Abelis, quoniam Deo obtulit de primogenitis gregis sui et de pinguibus,[73] idest, meliora quaeque; gratissima oblatio Abrahami, quoniam obtulit ex magna in Deum religione et pietate dilectissimum filium, quo nihil habebat carius, nihil antiquius.[74]

Hodierna oblatio magna ratione offerentis, muneris oblati, personae acceptantis

VIII. Hodierna oblatio et praesentatio magna est ratione o f f e r e n t i s, ratione m u n e r i s o b l a t i et ratione p e r s o n a e a c c e p t a n t i s. Magna ratione personae offerentis, cuius gratia exiguum aliquando munus et nullius pretii gratissimum est principi cui offertur; sicut aqua de cisterna Bethlehem quam tres fortes milites Davidi regi obtulerunt, exiguum munus fuit, nihilo enim melior erat ceteris aquis; sed magni eam fecit David, ita ut eam Domino libarit,

63) Apc 21, 27. 64) Ps 23, 3-4. 65) Cf. 1 Rg 1, 24-28. 65a) Cf. Gn 21, 4. 66) Cf. Gn 22, 2-14. 67) Cf. 2 Par 3, 1. 68) Cf. Gn 25, 24-25. 69) Lc 2, 23. 70) Cf. Ex 13, 2; 34, 19; Lev 27, 28. 71) Cf. Gn 22, 1-14. 72) Cf. Ex 35, 20-29. 73) Cf. Gn 4, 4. 74) Cf. Gn 22, 15-18.

quoniam cum magno vitae discrimine allata fuit ab illis per medias acies hostium; quare illam sanguinem hominum illorum appellavit et animarum periculum.[75] Ex animo magni fecit offerentium, quoniam illi, ut regi optatam aquam offerrent, contempserunt omne periculum. Sic Dominus magni fecit duo aeris minuta pauperculae viduae ex magna devotione.[76] Sic *Dominus respexit ad Abel et ad munera eius;*[77] munus acceptavit ratione personae. Sic gratum illi fuit sacrificium Noe,[78] quoniam vir erat iustus atque perfectus, et propterea invenit gratiam coram Domino.[78a] Sic per M a l a c h i a m Dominus ait quod, purgatis instar auri et argenti in fornace sacerdotibus et levitis, *placebit Domino sacrificium Iuda et Ierusalem sicut dies saeculi et sicut anni antiqui,*[79] idest, sicut placuere sacrificia antiqua Abel, Noe et sanctorum Patriarcharum ob fidem, pietatem et sanctitatem illorum; nam aliquod sacrificium impiorum hominum abominatio est apud Dominum; hinc per I s a i a m abominari se dicit Deus omnia Iudaeorum sacrificia, quoniam manus eorum sanguine plenae erant.[80]

Hodiernum autem munus magnum est omni ex parte, magnum etiam r e m u n e r a t i o n e ; sicut munera quae regina Saba obtulit Salomoni magna fuerunt a munerante, a pretio et copia munerum,[81] a munerato et a remuneratione, quia multo maiora munera a Salomone ipsa recepit.[82] Persona munerans hodie Virgo Sanctissima est, Deo gratissima: *Gratia plena..., invenisti... gratiam apud* Dominum.[83] Accedit in templum cum turturibus et pullis columbarum, quae mysteria erant purissimae sanctitatis et sanctissimae puritatis ipsius. Regina est sole amicta, supra lunam posita, stellis coronata.[84] **et remunerationis.**

75) Cf. 2 Rg 23, 15-17. 76) Cf. Lc 21, 1-4. 77) Gn 4, 4. Vulg.: *Rexpexit Dominus*, etc. 78) Cf. Gn 8, 20-22. 78a) Cf. Gn 6. 9. 8. 79) 3, 3-4. 80) Cf. 1, 15. 81) Cf. 3 Rg 10, 10. 82) Cf. ibid. 10, 13. 83) Lc 1, 28. 30. 84) Cf. Apc 12, 1.

SERMO SECUNDUS

DE CAUSIS QUIBUS MARIA OFFERT CHRISTUM DEQUE SIMEONE PERFECTORUM EXEMPLO IN FESTIVITATE HODIERNA

Omnia a Deo sunt, ad Deum ergo referenda.

I. Sicut flumina exeunt a mari et ad mare iterum revertuntur, ut iterum fluant, et sol oritur et occidit iterumque in orientem revertitur,[1] et vapor, qui vi solaris caloris de terra in sublimen aerem ascendit, demum satus in nubem ac in aquam solutus iterum descendit in terram; sic utique, cum *omne datum optimum et omne donum perfectum desursum* sit, *descendens a Patre luminum,*[1a] in Deum bonorum omnium auctorem grato animo multisque gratiarum actionibus omne donum ab ipso acceptum in ipsummet donatorem referendum et offerendum est in ipsius laudem, gloriam et honorem. Hoc est quod ipse mandavit in lege, ut rerum omnium non tantum decima sed primitiva offerrentur animaliumque et hominum primogenita.[2]

Maria se hodie in templo Domini sistit, ut Filium Deo Patri offerat.

II. Hinc iuxta hoc divinum mandatum hodie Sanctissima Virgo Maria primogenitum et unigenitum Filium suum ducit in templum, aeternoque Patri, a quo acceperat eum, praesentat et offert: *Postquam impleti sunt dies purgationis* Mariae *secundum legem Moysi, tulerunt illum in Ierusalem, ut sisterent eum Domino.*[3]

Oblatio Samuelis figura oblationis Christi.

Sicut sancta illa prophetis Anna mater Samuelis, cum multis orationibus a Deo filium obtinuisset, divinaque virtute conceptum pepe-

1) Cf. Eccle 1, 5-6. 1a) Iac 1, 17. 2) Cf. Ex 22, 29-30. 3) Lc 2, 22.

risset, ascendit una cum viro suo Elcana in templum Domini, postquam ablactatus fuit infans, et obtulit eum Domino cunctis diebus vitae suae,[4] ac, Spiritu Sancto afflata, in ea oblatione canticum composuit: *Exultavit cor meum in Domino, et exaltatum est cornu meum in Deo meo,*[5] gratias agens Deo pro tam insigni beneficio; sic hodie Sanctissima Virgo Maria, vera Anna, *gratiosa, gratia plena,*[6] acceptum divinitus Filium hodie in templum Domini ascendens Deo Patri offert, et praesentatum coram eo sistit mysticum hunc Samuelem, quem a Deo petierunt omnes Patriarchae atque Prophetae Sanctique omnes.

Oblatio Samuelis magna, oblatio Christi maxima.

Et illa quidem magna fuit oblatio, haec autem maxima; quoniam ibi oblatus fuit Deo purus homo, hic autem Deus et homo; ibi homo sanctus, hic autem Sanctus Sanctorum; ille oblatus a matre sterili et sancta, iste a matre virgine et sanctissima, omni gratia Spiritus Sancti plena; quo enim Christus maior Samuele, eo Maria Mater Christi sanctitate, gratia et dignitate maior Anna matre Samuelis. Hinc illa cecinit quidem canticum laudis et gratiarum actionis Domino, sed multo tempore nonnullisque annis post partum; haec vero ante partum, paucis post conceptionem diebus: *Magnificat anima mea Dominum; et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.*[7] Illa obtulit filium suum Domino, sed multis mensibus imo annis post natum infantem; haec vero quadraginta diebus secundum legem Domini; si enim ante licuisset, utique ante multoque ante obtulisset. Hinc ait: *Postquam impleti sunt dies purgationis* Mariae *secundum legem Moysi, tulerunt illum in Ierusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini, quia omne masculinum,* etc.

Maria se hodie in templo sistit, ut det hostiam pro sua purificatione.

III. Duas leges affert sanctus Evangelista: altera est purgationis matris, altera oblationis filii primogeniti. Prima, purgationis matris, habetur *Levitici* 12: *Mulier, si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus iuxta dies separationis menstruae, et die octavo circumcidetur infantulus; ipsa vero triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suae; omne sanctum non tanget, nec ingredietur in sanctuarium, donec impleantur dies purificationis suae:*[8] haec una pars est legis purgationis matris. Altera vero ponitur ibidem, in qua describitur modus purgationis: *Cumque expleti fuerint dies purgationis pro filio sive pro filia, deferet agnum*

4) Cf. 1 Rg 1, 1-28. 5) Ibid. 2, 1. 6) Lc 1, 28. 7) Ibid. 1, 46-47.
8) Vrr. 2-4.

anniculum in holocaustum et pullum columbae sive turturem pro peccato ad ostium tabernaculi testimonii, et tradet sacerdoti qui offeret illa coram Domino, et orabit pro ea, et sic mundabitur a profluvio sanguinis sui.[9] Et ad alteram hanc legem purgationis alludit Evangelista cum ait: *Et ut darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum aut duos pullos columbarum;*[10] sic quidem Moyses subiungit: *Quod si non invenerit manus eius, nec potuerit offerre agnum, sumet duos turtures aut duos pullos columbarum, unum in holocaustum et alterum pro peccato: orabitque pro ea sacerdos, et sic mundabitur.*[11]

Quare oblatio hostiae spectat ad legem purgationis matris, non ad legem oblationis filii primogeniti; nam lex purgationis in quocumque partu sive maris sive feminae, sive primogeniti sive cuiusvis alterius filii praecipit offerri vel agnum vel turtures aut columbas; sed lex oblationis filiorum est tantum pro primogenitis, sic enim legimus *Exodi* 13: *Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vulvam in filiis Israel..., et omne... primogenitum hominis de filiis tuis pretio redimes,*[12] idest, quinque siclis, ut legimus *Numerorum* 3[13] et 18.[14] Sic redemptus fuit hodie Christus communi hoc pretio.

Maria se hodie in templo sistit ut, humilitatem in purificatione exerceat.

IV. *Postquam impleti sunt dies purgationis* Mariae. Sicut Christus voluit circumcidi, sic Maria purgari; hinc ait: *Secundum legem Moysi,* ut, inquit, praeceptum illud legis impleret, non quod purgatione aliqua indigeret, cum esset gratia plena,[14a] mulier amicta sole, supra lunam posita et stellis coronata,[15] idest, fide, spe et caritate perfectissima. Voluit ergo ex humilitate secundum legem purgari, cum humillima esset: *Quia respexit humilitatem ancillae suae.*[16] *Ecce ancilla Domini.*[17] Noverat Beata Virgo quam displiceret Deo superbia ex lapsu Angelorum in paradiso coelesti et lapsu hominum in terrestri. Superbia supremum Angelum primamque creaturam Dei infimo ultimoque loco constituit, et mundi totius salutem vitaeque perpetuam immortalitatem omnemque gloriam perdidit. Hinc humilitate summa semper voluit placere Deo, sciens quod Deus *humilia respicit et alta a longe despicit;*[18] et sicut Christus venit *in similitudinem carnis*

9) Ibid. 12, 6-7. 10) Lc 2, 24. 11) Lv 12, 8. 12) Vrr. 2. 13. 13) Vr. 47.
14) Vr. 16. 14a) Cf. Lc 1, 28. 15) Cf. Apc 12, 1. 16) Lc 1, 48.
17) Ibid. 1, 38. 18) Ps 137, 6. Vulg. habet: *Alta... cognoscit.*

peccati,[19] *formam servi accipiens,*[20] sic ipsa quoque tanquam communis mulier voluit hodie haberi peccatrix. Sicut regina Israelis, uxor Ierobohami regis, mutato habitu suo, ivit ad inveniendum sanctum prophetam Ahiam;[21] sic hodie Beata Virgo sumit habitum communis mulieris, ac si Filium suum communi modo concepisset ac peperisset.

Maria se hodie in templo sistit, ut pro tanto Filio gratias agat.

V. *Tulerunt illum in Ierusalem, ut sisterent eum Domino,* tanquam filium primogenitum, *peperit* enim Maria *filium suum primogenitum* ac unigenitum;[22] *sicut scriptum est in lege Domini, quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur,* idest, offeretur et consecrabitur Domino. Iussit hoc Dominus in memoriam liberationis ex aegyptiaca captivitate, eo quod una nocte interfecit omnia primogenita Aegypti, et tunc Hebraei libertate donati fuerunt;[23] sic hodie Beata Virgo gratissimo animo pergit in templum, ut pro accepto beneficio gratias ingentes ageret Deo. Humilis animus adeo gratus est, ut magna iudicet beneficia parva, magna vero maxima; et quo humilior est animus, eo, cum se indigniorem omni bono existimet, semper magis magisque accepta beneficia maiora existimat. Sanctissima autem Virgo, cum sicut omnium Sanctorum esset sanctissima, erat etiam humillima; hoc est: *Nigra sum sed formosa..., decoloravit me sol.*[24] Beneficium autem acceptum erat magnum adeo, ut Deus non posset beneficium maius concedere; sic enim eam dilexit Deus ut ei Filium suum Unigenitum daret.[25] Quae ergo fuerit Beatae Virginis animi gratitudo, quas gratias Deo reddiderit? Ineffabile est, nec cogitari et mente capi potest.

Maria se hodie in templo sistit, ut Filium suum securo loco constituat, idest, in manu Dei.

VI. *Tulerunt illum in Ierusalem ut sisterent eum Domino.* Noverat Beata Virgo odium diaboli in Christum, iuxta illud oraculum: *Inimicitias ponam inter te et mulierem et* inter *semen tuum,* o serpens, *et semen illius: ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius.*[26] Hinc sanctissimus eius animus magnopere angustiabatur, timens ne diabolus Christum per Herodem et Iudaeos perderet, sciens quod ad ingressum Magorum *audiens... Herodes... turbatus est et omnis Ierosolyma cum illo.*[27] Hoc est quod Ioannes ait quod mulier amicta sole, habens in utero, *clamabat parturiens, et cruciatur ut*

19) Rom 8, 3. 20) Phil 2, 7. 21) Cf. 3 Rg 14, 1 sqq. 22) Lc 2, 7.
23) Cf. Ex 13, 11-16. 24) Ct 1, 4-5. 25) Alludit ad Io 3, 16. 26) Gn 3, 15.
27) Mt 2, 3.

pariat;[28] non utique ex partus dolore, cum Beata Virgo non fuerit subiecta maledictioni illi: *Multiplicabo conceptus tuos et aerumnas tuas; in dolore paries filios,*[29] sed quia *draco magnus et rufus habens capita septem et cornua decem* expectabat, *ut, cum* mulier *peperisset, devoraret filium eius.*[30] Hic autem draco, inquit Ioannes, est *serpens antiquus, qui* dicitur *diabolus,*[31] qui cauda sua traxit de coelo in terram tertiam partem stellarum.[32] Hinc cruciabatur Beata Virgo ne diaboli arte infinitum thesaurum perderet; hinc hodie pergit in templum, ut Filium suum securo loco constituat, veluti dicens Deo: *Pater, in manus tuas commendo*[33] filium meum, qui etiam filius tuus est, quem ex te concepi. Sic ait Ioannes quod *peperit* mulier *filium masculum, qui recturus* est... *gentes..., et raptus est filius eius ad Deum et ad thronum eius;*[34] thronus autem Dei erat in Ierusalem, in templo, in sancta sanctorum super Cherubim et arcam in propitiatorio.[35]

Christus vivens arca in templum introductus.

Tulerunt illum in Ierusalem, ut sisterent eum Domino. Sicut, aedificato templo Domini, introducta fuit arca Domini in templum illud;[36] sic hodie vivens arca, in qua *inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter,*[37] in templum introducitur. *Omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino vocabitur,* in figuram Christi, qui futurus erat Sanctus Sanctorum, cui Seraphim trisagium canunt, dicentes: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum.*[38]

Maria se hodie in templo sistit, ut paupertatem exerceat et offerat hostiam pauperum.

VII. *Et ut darent hostiam, sicut scriptum est in lege Domini, par turturum aut duos pullos columbarum,* quae oblatio erat non divitum, sed pauperum; una enim cum humilitate Christi in mundo hoc paupertatem elegit, ut non haberet ubi caput suum reclinaret.[39] Haec autem hostia spectabat ad legem purgationis; purgabatur autem mulier a legali immunditia duplici sacrificio. Hinc, si dives erat, tenebatur offerre agnum in holocaustum, quod totum in honorem Dei cremabatur, et pullum turturis sive columbae in sacrificium pro peccato, quod est sacrificii genus distinctum ab holocausto et hostia pacifica;[40] pauper vero offerebat duos pullos columbarum aut turtures, unum in holocau-

28) Apc 12, 2. Vulg. habet: *Cruciabatur.* 29) Gn 3, 16. 30) Apc 12, 3-4. 31) Ibid. 12, 9. 32) Cf. ibid. 12, 4. 33) Lc 23, 46. 34) Apc 12, 5. 35) Cf. Ex 25, 22. 36) Cf. 2 Par 5, 1 sqq. 37) Col 2, 9. 38) Is 6, 3. 39) Cf. Mt 8, 20. 40) De holocausto et de his omnibus cf. Lv cpp. 1-4.

stum, auterum in sacrificium pro peccato; hoc autem in signum quoniam omnes iustitiae nostrae sunt sicut pannus mulieris menstruatae.[41]

VIII. Sunt opera nostra bona mille imperfectionibus plena. Sicut enim vitis non producit in uva purum ac defaecatum vinum sed etiam vinacia et multam faecem, et olea in olivis non producit purum oleum sed impurum et parum, quamvis multas producat olivas; sic in operibus nostris parum valde est caritatis purae *de corde puro, conscientia bona et fide non ficta.*[42] Si quid tamen boni est in operibus nostris, Deo utique tribuendum est, a quo *omne datum optimum et omne donum perfectum.*[43] *Quid* enim *habes quod non accepisti?* Quod *si... accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?*[44] Hoc est holocaustum in honorem Dei. Mala autem quae in operibus nostris bonis reperiuntur per poenitentiam expianda sunt: hoc est sacrificium pro peccato.

De bono in operibus nostris honor Deo tribuendus, de malo poenitentia agenda.

Et in omni partu cuiusvis boni operis offerenda sunt haec sacrificia Deo, sive filium sive filiam pepererit. Producit anima filium cum facit opus perfectionis, filiam cum imperfectionis opus operatur. Sed parienti filiam tempus purgationis duplicatur; pariens enim masculum, manet una hebdomada in sanguine purificationis suae, sed pariens feminam, manet duabus; prima purificatur quadraginta diebus, sed secunda octoginta.[45] Sic qui in mundo ducunt genus perfectae vitae: *Si vis perfectus esse,* etc.,[46] in hac tantum vita purgantur; qui vero imperfecte vivunt, non solum in hac vita igne tribulationum purgantur, sed multo magis postea in igne purgatorii. Sterilis autem mulier in lege maledicta erat;[47] sic: *Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.*[48]

Quod autem divites agnum tenebantur offerre, pauperes vero in holocaustum turtures vel columbam, mysterium est, ut, qui maiorem habet a Deo gratiam, maiora operetur; sic qui quinque talenta accepit, lucratus fuit alia quinque, et qui duo accepit, alia duo lucratus fuit.[49] Designatur etiam in agno innocentia et in turture poenitentia.

Qui multum accepit, maiora reddat.

IX. *Et ecce homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon, et homo iste iustus et timoratus expectans consolationem Israel, et Spiritus Sanctus erat in eo.*[50] Dominus noster in nocte nativitatis suae fuit

Christus accipitur a perfectis quorum Simeon imago

41) Cf. Is 64, 6. 42) 1 Tim 1, 5. 43) Iac 1, 17. 44) 1 Cor 4, 7.
45) Cf. Lv 12, 1-5. 46) Mt 19, 21. 47) Cf. Ex 23, 26; Dt 7, 14. 48) Mt 7, 19.
49) Cf. ibid. 25, 14-17. 50) Lc 2, 25.

adoratus a pastoribus in praesepio,[51] decima tertia autem die a Magis in domo;[52] hodie autem quadragesimo die[52a] a Simeone in templo; ubi universalis Ecclesiae, quae Christum adorat, tres video status, sicut divinum templum tribus utique partibus constabat.[53] Primo pastores ab Angelo admoniti relinquunt greges, et veniunt ad adorandum Christum; secundo Magi a stella coelesti duce ducti veniunt ad Christum, nec tantum adorant, sed etiam offerunt munera, aurum, thus et myrrham; tertio Simeon Christum et adorat, et accipit in ulnas suas, et praedicat de Christo magnalia, ductus in templum a Spiritu Sancto. Pastores designant incipientes, Magi proficientes, Simeon perfectos.

Simeon imago perfectorum quia: virtutibus omnibus ornatus,

Ecce utique perfecti viri imago naturalis et sincera: *Homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon. Homo,* fidelis israelita, *Simeon, obediens*[53a] mandatis divinae legis; hinc homo iste *iustus* erat et *timoratus, eulabis,*[54] *pius* sive *religiosus, expectans* redemptionem, quae perfecta est consolatio Israel, *et Spiritus Sanctus erat in eo,* Spiritus utique propheticus; *et venit in Spiritu* Sancto *in templum... cum inducerent puerum Iesum parentes eius.*[55] Hinc tanquam perfectus accipit Christum in ulnas suas; perfectus erat quoad proximum quia iustus, quoad Deum quia timoratus, pius, religiosus, quoad seipsum quia expectabat consolationem Israel. Nec tantum expectabat, sed etiam instanter petebat, perpetuisque clamoribus divinas aures pulsabat; hinc ait: *Responsum acceperat a Spiritu Sancto non visurum se mortem nisi... videret Christum Domini... Expectans consolationem Israel,*[56] sicut ait Iacob: *Salutare tuum expectabo, Domine.*[57]

quia unione intima Dei potius et consolationibus perfusus.

Et sicut Iacob videns dilectissimum filium suum Ioseph factum principem terrae Aegypti et salvatorem mundi cumque amplexatus, dixit ei: Nunc *laetus moriar, quia vidi faciem tuam, et superstitem te relinquo;*[58] sic sanctus iste senex Christum in ulnas suas accipiens, omni laetitia superfusus, ait: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum, in pace.*[59] In quo cantico Christum vocat *salutare Dei* ab aeterno paratum pro salute mundi, *lumen gentium* lucemque mundi et *gloriam Israelis,*[60] quia Deus nunquam Angelos assumpsit sed semen Abrahae assumpsit.[61]

51) Cf. ibid. 2, 15-16. 52) Cf. Mt 2, 11. 52*a*) Lv 12, 2-4. 53) Cf. Ex cp. 40; 2 Par cp. 3; Hebr 9, 1-3. 53*a*) Sic hebr. *Simeon.* 54) Ex graec. 55) Lc 2, 27. 56) Ibid. 2, 26. 25. 57) Gn 49, 18. 58) Ibid. 46, 30. 59) Lc 2, 29. 60) Cf. ibid. 2, 30-32. 61) Cf. Hebr 2, 16.

Sunt autem in hoc cantico multo plura mysteria quam verba, sacramenta quam voces, si quis enarrare vellet quid ista *pax,* quid *salutare* istud ab aeterno paratum, quid *lumen* istud *ad revelationem gentium,* et quid *gloria* ista *plebis Israel.* Sed quis pro dignitate poterit ineffabilia haec imo incomprehensibilia Divinitatis mysteria humana lingua humanisque verbis explicare? Videtur canticum istud universae theologiae omniumque Divinarum Scripturarum utriusque Testamenti compendium et anachephaleosis absolutissima. Id nobis sufficiat, quod Christus declaratur totius mundi Salvator Auctorque gratiae et gloriae secundum aeternum consilium ac dispositionem divinae praedestinationis.

Simeon exultans profert canticum, compendium Veteris et Novi Testamenti.

X. Non tantum a Simeone sed etiam ab Anna filia Phanuel de tribu Aser, sanctissima vidua, adoratur in templo.[62] Quare in medio quatuor personarum perfectarum videtur hodie Christus in templo, sicut Ezechiel Christum vidit in medio quatuor animalium et rotarum,[63] quae designant viros in quatuor cardineis virtutibus perfectos, quorum alii perfectissimi sunt in temperantia, alii in iustitia, alii in fortitudine et alii in prudentia. Primi sunt tanquam homo, cuius temperatissima est complexio; secundi tanquam vitulus, mundum animal, ruminans et dividens ungulas,[64] animal utile et honestum; tertii sicut leo animal fortissimum, et quarti sicut aquila acutissimi et perspicacissimi visus.

Christus habitat inter perfectos.

Simeon et Anna,

Sic Christus hodie videtur in medio quatuor personarum sanctissimarum ac perfectissimarum, in medio duorum parentum, Sanctissimae, inquam, Virginis et sancti Ioseph, sancti Simeonis et sanctae Annae, viduae sanctissimae, *quae non discedebat de templo, ieiuniis et orationibus vacans nocte et die.*[65] Ubi designatur quod status perfectae virtutis non tantum reperiri potest in sexu virili ut in Ioseph et Simeone, sed etiam in femineo ut in Virgine Sanctissima et Anna prophetissa, et quod in utroque sexu in multis reperiri potest perfectio. Nam dualis numerus principium est multitudinis; videmus autem duos viros perfectos et duas perfectas mulieres, diverso tamen gradu perfectionis, sicut stella differt a stella in lumine et claritate.[66]

Ioseph et Maria.

A perfectorum statu nemo arcessitur.

62) Cf. Lc 2, 36-38. 63) Cf. Ez 1, 1 sqq. 64) Cf. Lv 11, 2. 65) Lc 2, 37. Vulg. habet: *Obsecrationibus* et *serviens* et *ac.* 66) Cf. 1 Cor 15, 41.

Actus perfectorum: carissima quaeque Deo offerre,

XI. *Accepit eum Simeon in ulnas suas, et benedixit Deum,* dicens: *Nunc dimittis servum tuum, Domine.* Diversos actus perfectionis reperimus in hodierno Evangelio; nam Maria offert Christum Deo, et Simeon accipit Christum a Deo. Perfectissimus virtutis actus, quem [in] Abraham patriarcha legimus, est quod iussus a Deo unigenitum filium suum in holocaustum obtulit,[67] in quo ostendit quod vere Deum super omnia ex animo diligebat; sic Maria Deo unicum Filium offert, quem plus quam animam suam amore ardentissimo amabat. Simeon vero accipit Christum in manibus, eoque suscepto, omnia alia contemnit, hinc ait: *Nunc dimittis servum tuum, Domine.* Hic status est perfectae virtutis, solum Deum non tantum super omnia, sed, aliis omnibus contemptis, diligere, sicut Regius Vates ait: *Quid enim mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? Defecit caro mea et cor meum, Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum.*[68] Sic Simeon puerum Iesum accipit in ulnis, stringit ad pectus, eoque accepto, omnibus renuntiat, quoniam thesaurum invenit absconditum in agro et pretiosissimam margaritam, hinc vendit omnia bona sua ad comparandum hunc thesaurum, hanc margaritam:[68a] *Quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum,* etc.

et Deum, contemptis omnibus, diligere.

Praemium perfectorum est ipse Christus,

XII. *Accepit eum Simeon in ulnas suas.* Cernitur hic virtus et praemium virtutis. Dixerat Deus Abrahae: *Ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis.*[69] Legimus magnam utique perfectamque virtutem Simeonis: Erat *homo... iustus... timoratus, expectans consolationem Israel, et Spiritus Sanctus erat in eo:* magna virtus, sed quam mercedem accipit? Ipsummet Deum, Christum, qui est Israelis consolatio: *Accepit* Christum *in ulnas suas,* accepit consolationem Israel, accepit thesaurum omnium bonorum. O mercedem! *Ostendam tibi omne bonum,*[70] dabo tibi omne bonum! Habere Deum in manibus, ut homo faciat de Deo quidquid libet: *Voluntatem timentium se faciet,*[71] magna merces, infinita merces, qua maior cogitari non potest!

thesaurus omnium bonorum,

quia Christus donum Dei,

Accepit eum in ulnas suas. Dicitur Christus in Divinis Litteris donum Dei: *Parvulus... natus est nobis, et filius datus est nobis.*[72] *Sic... Deus dilexit mundum ut Filium suum Unigenitum daret.*[73] *Si scires*

67) Cf. Gn 22, 1 sqq. 68) Ps 72, 26-27. 68a) Cf. Mt 13, 44-46. 69) Gn 15, 1. 70) Ex 33, 19. Vulg. habet: *Ostendam... bonum tibi.* 71) Ps 144, 19. 72) Is 9, 6. 73) Io 3, 16.

donum Dei.[74] Fecit Deus donationem inter vivos. Ad hanc autem donationem, ut fiat, instrumentum requiritur, non tantum donator, qui facit donationem, sed etiam donatarius, cui fit donatio, qui accipit donationem. Simeon hodie extitit veluti donatarius qui accepit a Deo donationem hanc infiniti thesauri: *Qui... proprio Filio suo non pepercit, sed.. nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?*[75]

et singillatim thesaurus pacis, salutis, luminis et gloriae;

Cum accepisset Simeon puerum Iesum in ulnas suas, Deum benedixit, dicens: *Nunc dimittis servum tuum, Domine.* Homo erat secundum cor Dei; gratissimus Deo, accepto beneficio, statim benefactori gratias agit: *Benedixit Deum, et dixit.* Cognovit beneficium, et recognovit benefactorem; cognovit beneficii magnitudinem, hinc vocat Christum pacem et quietem mundi, salutare Dei, lumen gentium et gloriam Israelis: *Ipse... est pax nostra.*[76] *Pax Dei, quae exsuperat omnem sensum;*[77] imo *Deus pacis et dilectionis.*[78] *Hic est vere salvator mundi.*[79] *Salutare tuum expectabo, Domine.*[80] *Ego sum lux mundi.*[81] *Surge, illuminare... quia venit lux tua, et gloria Domini super te orta est...; et ambulabunt gentes in lumine tuo et reges in splendore ortus tui.*[82] Quis possit talis tantique doni, talis et tanti beneficii magnitudinem pro dignitate explicare? Unum hoc sufficiat dicere, quod donum hoc donum est perfectum, conferens homini felicitatem, perfectam consolationem, omne explens animi nostri desiderium: *Nunc dimittis servum tuum... in pace,* in tali tantaque consolatione, tali et tanta felicitate.

quia ad perfectam felicitatem tria necessaria: vitae immortalitas, scientiae plenitudo et gloriae sublimitas.

Ad perfectam felicitatem tria vel maxime requiri videntur: vitae immortalitas, scientiae plenitudo et gloriae sublimitas; haec enim tria Lucifer parentibus nostris promisit in paradiso: *Nequaquam... moriemini...,* sed *eritis* tanquam *dii scientes bonum et malum,*[83] idest, scientes omnia; sic eis perfectam ac perpetuam felicitatem in paradiso promisit. *Nunc dimittis servum tuum... in pace:* ecce paradisus; *quia viderunt oculi mei salutare tuum,* auctorem vitae aeternae, patrem aeternitatis: ecce immortalitas vitae; *lumen ad revelationem gentium:* ecce scientiae plenitudo; *et gloriam plebis tuae Israel:* ecce sublimitas divinae gloriae: *Ego dixi: Dii estis et filii Excelsi omnes.*[84] Sic videmus hominem hunc hodie sanctissimum Simeonem, accepto dono hoc, perfecte contentum, nihil amplius desiderantem, quoniam

74) Ibid. 4, 10. 75) Rom 8. 32. 76) Eph 2, 14. 77) Phil 4. 7.
78) 2 Cor 13, 11. 79) Io 4, 42. 80) Gn 49, 18. 81) Io 8, 12.
82) Is 60, 1. 3. Vulg. loc.: *Lux tua.* habet: *Lumen tuum.* 83) Gn 3, 4-5. 84) Ps 81, 6.

Christum accepit thesaurum omnium desiderabilium bonorum, thesaurum pacis, salutis, luminis et gloriae.

Simeon dignus hoc dono.

Dignus autem fuit Simeon talis tantique thesauri, quoniam homo erat *iustus et timoratus... et Spiritus Sanctus erat in eo.* Erat Spiritus Sancti habitaculum dignum propter iustitiam et sanctitatem; virtutes enim sunt quae cor nostrum efficiunt dignam Dei habitationem: *Iustitia et iudicium praeparatio sedis tuae.* [85] *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* [86]

85) Ps 88, 15. 86) Io 14, 23.

SERMO TERTIUS

DE VIRGINIS INCREMENTO PURITATIS DEQUE CHRISTO DONO DEO ET HOMINIBUS DATO IN FESTIVITATE HODIERNA

Postquam impleti sunt dies purgationis Mariae *secundum legem Moysi, tulerunt illum in,* etc. [1]

I. In hodierna solemnitate duo mysteria celebrantur iuxta duo decreta legis mosaicae: mysterium Purificationis Sanctissimae Virginis iuxta decretum *Levitici* 12, quo iubetur omnes mulieres post partum purificari, et pro purificatione sacrificium offerre; [2] et mysterium Praesentationis et Oblationis Christi in templo iuxta decretum *Exodi* 13, quo praecipitur ut omne primogenitum offeratur et consecretur Deo pro primogenitis Aegyptiorum occisis causa filiorum Israel, ut liberarentur a servitute Pharaonis et captivitate aegyptiaca. [3]

Duo mysteria celebrantur: purificationis Deiparae et oblationis Christi.

II. Et quoad primum, nescio an praesens festivitas dicenda potius sit puritatis Mariae quam purificationis, cum ipsa semper fuerit purissima et immaculatissima, virgo corpore et spiritu sanctissima. Sed tamen in hoc differt puritas et sanctitas Mariae a puritate et sanctitate Christi, quoniam puritas et sanctitas Christi fuit sicut puritas et sanctitas Dei, quae augeri nullo modo potest, cum sit infinita. Hinc Christus dicitur sol iustitiae, quoniam, sicut lux solis a primo instanti suae creationis semper fuit eadem, nunquam fuit diminuta aut aucta, ita Christi gratia a primo instanti suae conceptionis; hinc Ioannes

Hodie Maria purificatur, idest, puritati eius maius incrementum datur.

Sola puritas Christi infinita;

1) Lc 2, 22. 2) Cf. vr. 1 sqq. 3) Cf. vrr. 11-16.

ait: *Verbum caro factum est... plenum gratiae et veritatis...; et de plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia; quia... gratia et veritas per Iesum Christum facta est.* [4] Sic Ioannes demonstrat Christum esse solem iustitiae.

puritas Virginis augeri potuit,

Sed puritas et sanctitas Mariae, licet a primo instanti immaculatae conceptionis nunquam fuerit diminuta, augeri tamen potuit, iuxta illud: *Qui iustus est, iustificetur adhuc, et qui sanctus est, sanctificetur adhuc.* [5] Sic Angelus ostendit, cum prius eam gratia plenam appellavit: *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres;* [6] sed postea dixit: *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi;* [7] sic in conceptione [Christi] multo maiorem accepit gratiae plenitudinem quam ante habuerit. Hoc est quod in *Canticis* legimus: *Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol?* [8]

et aucta fuit ex liberalitate Dei,

Aurora lumen habet magnum, luna plena maius, sol lucidissimus maximum; magnam gratiam accepit Maria in sua conceptione, maiorem in Verbi incarnatione, maiorem adhuc in praesentatione; magna fuit gratia Mariae in principio, maior in medio, maxima in fine. Et sicut luna, licet semper eadem videatur, in plenilunio tamen multo luminosior apparet cum est in auge quam cum est in opposito augis, quoniam tunc multo sublimior est ac soli propinquior, sic maius ac purius lumen a sole accipit; ita Virgo Sanctissima a sole iustitiae semper maius puriusque lumen gratiae coelestis accepit.

et ex sui ipsius industria.

Omne opus meretur apud Deum non solum augmentum mercedis et praemii in futuro, in paradiso, sed etiam augmentum gratiae et caritatis in praesenti, in Ecclesia. Maria semper ex impulsu Spiritus ob nimium caritatis fervorem magnamque animi devotionem exercebat seipsam in operibus virtutum; semper ergo accipiebat a Deo incrementa gratiae et sanctitatis, semper fiebat in sanctitate et gratia purior atque perfectior. Sicut Divus Paulus, ad *Philippenses* scribens, ait se minime perfectum esse: *Non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim; sequor autem, si... comprehendam, in quo et comprehensus sum;* [9] sic gratia et virtus in iustis semper perficitur in hac vita, ut sit Deo simillima in futura vita. Virtus perfecta fit multo perfectior, et tandem fit perfectissima; sicut etiam in coelo perfecta est virtus Angelorum, perfectior Archangelorum, perfectissima autem

4) 1, 14. 16-17. 5) Apc 22, 11. 6) Lc 1, 28. Vulg. habet: *In mulieribus.*
7) Ibid. 1, 35. 8) 6, 9. 9) 3, 12.

Cherubim et Seraphim, qui inferiores Angelos purgant, illuminant et perficiunt.[9a] Hoc igitur est festum, quod hodie celebramus, purificationis Sanctissimae Virginis: purificata hodie fuit, idest, purior multo multoque sanctior et gratia plenior facta.

Puritas Mariae hodie aucta exercitio humilitatis.

III. Humilitas, gratitudo animi et caritas virtutes sunt Deo gratissimae; has enim quam maxime a nobis Deus requirit. Virgo autem Sanctissima hodie opus operata est infinitae humilitatis, gratitudinis indicibilis et ineffabilis caritatis. Humilitatis, quoniam sicut Christus ex humilitate servare voluit legem circumcisionis, ita ipsa legem purificationis, et offerre aves in holocaustum et in sacrificium pro peccato iuxta legem purificationis, cui tamen subiecta non erat, sicut nec Christus legi circumcisionis. O infinitam humilitatem! Considerate Mariae altitudinem et sublimitatem, qua Mater Dei facta erat, Regina coeli, Domina Angelorum, et videbitis infinitam eius humilitatem, qua tanquam simplex muliercula ceteris similis accedit ad templum veluti a peccato purificanda, cum Angelis esset purior sanctiorque. Sicut Christus voluit apparere *in similitudine carnis peccati,*[10] sic Maria in similitudine mulieris peccatricis similis ceteris. Cum autem Dominus dicat quod *omnis... qui se humiliat exaltabitur,*[11] talis tantaque humilitas hodie qualem meruit exaltationem? *Quia respexit humilitatem ancillae suae, ecce... ex hoc beatam me dicent omnes generationes,* etc.[12]

gratitudinis.

Gratissimum item animum erga Deum Virgo Sanctissima hodie ostendit, cumque prius post Verbi conceptionem magnifico illo Cantico[13] pro accepto beneficio [gratias] egisset Deo, hodie [illud] retulit. Est enim gratus animus instar speculi pellucidi, quod qualem recipit cuiusvis rei imaginem, talem reddit. Dedit Deus Virgini unicum Filium suum, eundem hodie ipsa Virgo ipsimet Deo offert. Luna, cum plena est, radios in solem rectos reflectens luminosissima apparet.

caritatis

Ostendit etiam ardentissimam ac perfectissimam caritatem, quam Abraham erga Deum ostendit, cum ei unicum filium suum in holocaustum obtulit; quo facto divinam meruit sibi et semini suo in perpetuum benedictionem valde copiosam.[14]

Purificata est Beatissima Virgo, idest, maiora semper puritatis et sanctitatis in dies incrementa suscepit, divinarum virtutum actiones

9a) Cf. Dion. Areopag. *De Coelesti Hierarchia*, cp. 8, § 3. (P. G. 3, 55-56). 10) Rom. 8, 3. Vulg.: *Similitudinem*. 11) Cf. Lc 14, 11. 12) Ibid. 1, 48. 13) Cf. ibid. 1, 46 sqq. 14) Cf. Gn 22, 1-18.

exercens, obediens promptissima voluntate diligentique studio divinae legi, summa cum humilitate, qua tanquam immunda iuxta legem [15] abstinere voluit a templo et locis sacris. Maiorem igitur semper purificationem Maria virtute perfectissimae obedientiae acquirebat, virtute profundissimae humilitatis, qua puritatem et sanctitatem suam abscondebat, virtute gratitudinis in Deum, virtute caritatis et virtute religionis ac devotionis, qua ad templum accessit, locum divini cultus, ubi Deus adorabatur, et sacrificiis etiam colebatur, afferens etiam ipsa par turturum aut duos pullos columbarum pro sacrificio purificationis tanquam paupercula mulier, [16] nam divites agnum offerebant. [17] Maria autem paupertate spiritus divinam mentis puritatem conservabat. Sic fuit Virgo purissima, humillima et pauperrima spiritu.

devotionis et paupertatis.

Puritas Mariae hodie aucta per renovationem sacrificii triplicis concupiscentiae.

IV. Divus Ioannes ait quod triplex est mundi, *qui totus in maligno positus est,* [18] impuritas, videlicet: *concupiscentia carnis,* affectus voluptatum et sensualium delectationum, *concupiscentia oculorum,* affectus inordinatus divitiarum, *et superbia vitae,* [19] ambitio et affectus vanitatum mundi, nam triplex est bonum: delectabile, utile et honorabile. Inordinatus autem horum bonorum affectus inquinat animam. Maria autem, ut animum suum semper purissimum ab omni vel minima macula impuritatis servaret, contra divitiarum affectum elegit voluntariam paupertatem, contra superbiam profundissimam humilitatem et contra sensuales voluptates perpetuam virginitatem carnisque mortificationem, exhibens corpus suum *hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.* [20] Hinc hodie sacrificium offert columbas aut turtures, munda quidem animalia, [21] innocentes aves.

Sed ad honorem Dei et pro peccatis mundi; nam una avis offerebatur in holocaustum, quod totum in honorem Dei cremabatur, altera vero in sacrificium pro peccato; [22] cumque ipsa nullum haberet peccatum, pro nostris utique peccatis corpus suum ieiuniis et vigiliis affligebat.

Puritas Mariae hodie aucta quia summam puritatem adepta. Triplex puritas; sufficientiae,

V. Triplex est puritas aut sanctitas. Quaedam est sufficientiae, qualis est fidelium qui divinae legis mandata custodiunt: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata;* [22a] sic a Divo Paulo omnes christifideles, qui fide et caritate sunt praediti, *sancti* appellantur; [23] alia est

15) Cf. Lv 12, 4. 16) Cf. Lc 2, 24; Lv 12, 8. 17) Cf. Lv 12, 6. 18) 1 Io 5, 19. 19) Ibid. 2, 16. 20) Rom 12, 1. 21) Cf. Lv 11, 13-19. 22) Cf. ibid. 12, 6. 22a) Mt 19, 17. 23) Rom 1, 7; 1 Cor 16, 1 et alibi.

perfectionis, qualis est religiosorum, qui Deo totaliter sunt dedicati: *Si vis perfectus esse, vade, vende* omnia *quae habes..., et veni, sequere me;* [24] tertia est singularis excellentiae, qualis fuit Apostolorum, postquam Spiritu Sancto repleti fuere. Sic etiam morales philosophi statuunt virtutes animi purgatorias, virtutes animi purgati, et virtutes heroicas et exemplares. [24a]

perfectionis, excellentiae,

In templo Domini, ubi Christus hodie Deo oblatus et praesentatus fuit, erant tres partes. Prima dicebatur atrium sanctum et *mikdasc sanctuarium,* ubi offerebantur sacrificia et populus fidelis orabat; secunda dicebatur *bet hamikdasc domus sanctuarii,* sive *kodesc sanctitas,* quo nonnisi sacerdotibus ingredi licebat ad offerendum incensum Domino et panes propositionis lucernasque concinnandas; [25] tertia dicebatur *debir oraculum* et *kodesc kodascim sanctitas sanctitatum,* idest, locus sanctissimus, ubi erat arca et propitiatorium divinum, quo nonnisi summus pontifex ingredi poterat. [26] Hoc autem designat quod multi sunt gradus puritatis et sanctitatis, sicut in coelo maior est puritas Angelorum supremae hierarchiae quam mediae, et maior mediae quam infimae; sic etiam in Ecclesia. Unde a tribus generibus personarum adoratus fuit Christus Dominus in sua infantia: primo a pastoribus in praesepio, [27] secundo a magis in domo, [28] tertio a Simeone et Anna in templo, [29] in quibus adorationibus et adoratoribus clare cernitur veluti scala virtutis et perfectionis.

in tribus templi partibus figurata.

Magna fuit puritas hominis in paradiso terrestri ante peccatum, sed multo maior erat puritas Angeli in coelesti paradiso. Puritas Virginis Sanctissimae a primo instanti suae conceptionis fuit sicut puritas hominis in statu innocentiae; sed in processu vitae ascendit ad angelicam, ad cherubicam, ad seraphicam divinamque puritatem, perfectione virtutum tendens in coelum instar Angelorum in scala Iacob. [30] Sic homo, si in statu innocentiae permansisset, profecisset utique in virtutum perfectione, crescens semper in Deum, ut cum semper magis magisque cognosceret et diligeret cherubica scientia et seraphica caritate; sic Virgo Sanctissima. Sciebat enim Deum amantissimum esse ac zelantissimum sincerissimae puritatis omnemque impuritatem et immunditiam summopere abominari; hinc centies in lege praecepit ut nemo penitus auderet post contactum cuiusvis immun-

Maria a puritate innocentiae ad puritatem quasi divinam ascendit.

24) Mt 19, 21. 24a) Cf. Plotin. *De Virtute*, cp. 1. Edit. 1492 Florentiae; D. Thom. p. 1-2, q. 61, a. 5. 25) Cf. Nn 18, 7; Ex 30, 7-10. 26) Cf. Lv 16, 1; Hebr 9, 7. De tribus partibus templi deque his quae in ipsis asservabantur cf. Ex 26, 31 sqq.; 40, 1 sqq.; Hebr 9, 1-5; 2 Par 3, 1 sqq. 27) Cf. Lc 2, 16. 28) Cf. Mt 2, 11 29) Cf. Lc 2, 28-38. 30) Cf. Gn 28, 12.

ditiae ad eum accedere, sed a templo omnino abstinere.[31] Sed si corporales immunditiae et sordes prohibebant homines, licet fideles, a templo et domo Dei, quanto magis spirituales vitiorum sordes?

Oblatio Christi in templo maxima omnium ex dono Deo oblato.

VI. Verum non solum purificationis Virginis festum hodie celebramus sed etiam praesentationis et oblationis Christi, quoniam filius primogenitus est et unigenitus. Magna oblatio, magnum munus, quo maius nec excogitari quidem potest. Gratum fuit Deo munus Abel, cum obtulit ei de primogenitis gregis sui et de adipibus eorum, idest, pinguiora et meliora primogenita;[32] gratum Davidi munus quod ei obtulit prudentissima Abigail, quod non solum magnam ipsius iram placavit contra Nabal et domum ipsius, sed etiam meruit ut eam in uxorem acciperet reginamque Israelis constitueret;[33] sed hodierni muneris magnitudinem et maiestatem quae hominum vel Angelorum lingua poterit pro dignitate exprimere? Thesaurus Christus est omnium bonorum, infinitus thesaurus omnium thesaurorum Dei. Magnum munus obtulit regina Saba regi Salomoni, thesaurum inaestimabilem auri, argenti gemmarumque pretiosissimarum;[34] sed omnis thesaurus etiam paradisi nihil est in comparatione hodierni muneris quod Virgo Sanctissima Regina coeli hodie in templo sacratissimo offert Deo.

Oblationes V. T. nihil sunt respectu oblati Christi.

Legimus multa munera Deo oblata in Divinis Litteris. Noe post diluvium obtulit munera Domino de mundis animalibus;[35] Abraham unicum filium Deo obtulit in sacrificium, quod quidem munus maximi fecit Deus;[36] filii Israel egressi ex Aegypto obtulerunt munera pretiosa pro constructione tabernaculi;[37] principes Israel in dedicatione sanctuarii magna munera obtulere;[38] Salomon in dedicatione templi magnum Domino obtulit palatium in habitaculum perpetuum;[39] sed respectu huius muneris nihil sunt alia omnia. Maximum munus Deo oblatum fuit munus Abraham, cum unicum filium Deo obtulit; sed quid est Isaac respectu Christi? Quid minuta coeli stella solis comparatione? Ille servus fuit, hic Dominus; ille filius hominis, hic Filius Dei; ille merus homo, hic verus Deus; ille imago Christi, hic verus Christus: *Tulerunt illum in Ierusalem ut sisterent eum Domino, quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur;*

31) Cf. Lv 12, 5; cpp. 21-22. et alibi. 32) Cf. Gn 4, 4. 33) Cf. 1 Rg 25, 14 sqq. 34) Cf. 2 Par 9, 9. 35) Cf. Gn 8, 20. 36) Cf. ibid. 22, 1sqq. 37) Cf. Ex 35, 20-29. 38) Cf. 1 Par 29, 6-8. 39) Cf. 2 Par cpp. 3-4.

Sanctifica mihi omne primogenitum... de filiis Israel; [40] Christus autem primogenitus est Filius Dei: *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae.* [41]

Magnitudo oblationis descripta in Evangelio.

Magnitudo huius muneris describitur in hodierno Evangelio, quia vocatur munus hoc *primogenitus filius Virginis,* [42] vocatur *consolatio Israel,* [43] vocatur *Christus Domini,* [44] vocatur *pax mundi,* [45] *salutare Dei,* [46] *lumen gentium* et *gloria Israelis.* [47] Magnum munus, *in* quo *inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter;* [48] magnum munus in seipso, quoniam thesaurus est infinitus; magnum respectu donantis, quoniam Regina coeli est, et magnum, quia Deo donatur, qui Rex est et Monarcha universi.

Oblatio Christi maxima omnium ex persona donante et acceptante.

VII. Non misit munus hoc Virgo Beatissima, sed ipsa personaliter venit ad offerendum illud. Deus autem ad honorandum hoc munus misit ad accipiendum illud honestissimam personam: *Et ecce homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon, et homo iste iustus et timoratus,* sive, ut graece est, *eulabis religiosus, pius, expectans consolationem Israel, et Spiritus Sanctus erat in eo.* Hic *venit in Spiritu in templum.... et accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum.* [49] Virum hunc misit Deus ad accipiendum hoc munus, imo, quid dico virum? misit Spiritum Sanctum, verum Deum, nam *Spiritus Sanctus erat in eo... venit in Spiritu in templum,* ita ut non per Angelorum aut Archangelorum manus divino conspectui praesentatum est hodie divinum hoc munus sed per manus Spiritus Sancti. *Accepit* eum *in ulnas suas,* et laudare coepit ac magnificare accepti muneris praestantiam ac nobilitatem et magnitudinem, talibusque ac tantis laudibus extollere, quod erant *pater eius et mater* eius *mirantes super his quae dicebantur de illo.* [50]

Oblatio Christi maxima omnium ex dono homini facto.

VIII. Multa audierant ab Angelis et pastoribus in sacri natalis nocte: *Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus;* [51] *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis:* [52] et mirati sunt quidem pro rei admiranda magnitudine. [53] Sed hodie multo ma-

Christus pax,

40) Ex 13, 2. 41) Col 1, 15. 42) Lc 2, 7. 23. 43) Ibid. 2, 25. 44) Ibid. 2, 26. 45) Ibid. 2, 25, ut postea Auctor habet. 46) Ibid. 2, 30. 47) Ibid. 2, 32. 48) Col 2, 9. 49) Lc 2, 25-28. 50) Ibid. 2, 33. 51) Ibid. 2, 10-11. 52) Ibid. 2, 14. Vulg. habet: *In altissimis.* 53) Cf. ibid. 2, 18.

salus et lumen mundi ex oraculo Simeonis in N. T.

gis admirati sunt, quoniam ab ipso Spiritu Santo audiunt Christum tantopere collaudari, nam a Spiritu Sancto per os Simeonis vocatur Christus *pax mundi*, idest, felicitas et vera consolatio, nam hoc verbo alluditur ad illud: *Expectans consolationem Israel;* [54] consolatio autem haec Christus ipse futurus erat: *Responsum acceperat a Spiritu Sancto non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini.* [55] Nec tantum pax, idest, vera felicitas et perfecta consolatio appellatur, sed etiam *salutare Dei* paratum *ante faciem omnium populorum*, idest, ad salvandos omnes populos, hoc est, potens omnes aeterna vita donare; tertio *lumen gentium*, lux mundi, [56] sol iustitiae: *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae* Dei; [57] et tandem quarto *gloria Israel*, Rex Israel gloriosissimus, aeterna gloria donans omnes fideles suos. Pax mundi Christus in incarnatione, salvator in passione, lumen gentium in resurrectione et gloria Israel in ascensione. Sic videmus hic quatuor facies admirabiles sacri animalis apud Ezechielem: [58] faciem hominis in incarnatione, vituli in passione, leonis in resurrectione et aquilae, avium reginae, in ascensione cum super omnes coelos et Angelorum choros volavit. Haec autem audientes et intelligentes Virgo Sanctissima et Ioseph beatissimus erant pro dignitate rei mirantes.

Christus thesaurus omnis felicitatis et pacis ex oraculo Aggaei in V. T.

Bone Deus, quanta gloria repletum fuit hodie templum Dei in Ierusalem ob Christi praesentationem! *Veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeritis, et Angelus Testamenti, quem vos vultis.* [59] Existimo quod omnes Angeli paradisi hodie descenderunt de coelo ad videndum et honorandum tale tantumque munus; nam hoc forte est quod Dominus per Aggaeum ait: *Adhuc unum modicum est, et ego commovebo coelum et terram..., et movebo omnes gentes, et veniet Desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. Meum est argentum et meum est aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius novissimae* magis *quam primae, dicit Dominus exercituum, et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.* [60] Ubi nos legimus: *Veniet Desideratus cunctis gentibus*, hebr. est: *Venient Desideria omnium gentium*, nam felicitatem desiderant omnes.

Christus omnium consolatio.

Christus autem thesaurus et fons perennis est instar solis omnis desiderabilis felicitatis, *Deus totius consolationis;* [61] hinc *totus* est *desiderabilis*, [62] in eo omne desiderium nostrum. Sed quid est quod ait:

54) Ibid. 2, 25. 55) Ibid. 2, 26. 56) Io 8. 12. 57) Col 2. 3. 58) Cf. 1, 10. 59) Mal 3, 1. 60) 2, 7-10. 61) 2 Cor 1, 3. 62) Ct 5, 16.

In loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum, dictum Dei omnipotentis? Hodie Deus accipit et dat; accipit Christum a Maria et dat Christum Simeoni: *Accepit eum Simeon in ulnas suas;* accipiens autem Christum pacem accepit et omnem consolationem: *Nunc dimittis,* sive absolvis, *Domine, servum tuum in pace;*[63] quoniam acceperat iam consolationem Israel, quam tantopere expectaverat. Sic adimpletum est: *In loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum;* et etiam: *Implebo domum istam gloria,* quoniam *veniet Desideratus* sive *Desiderium cunctarum gentium.*

Synthesis sermonis. Tria mysteria hodie celebrantur: purificatio Virginis, oblatio Christi Deo, donatio Dei hominibus.

IX. Tria mysteria habemus in hodierno Evangelio: primum est purificationis et sanctificationis Mariae per augmentum gratiae Spiritus Sancti; secundum est oblatio Christi facta Deo a Virgine; tertium est donatio Dei facta homini iuxta promissionem divinam: *Responsum* accepit *Simeon a Spiritu Sancto non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini,* videret consolationem Israel. Hodie autem non tantum vidit, sed etiam *accepit eum in ulnas suas.* Multum promisit homini huic Deus, sed plus attendit; plus dedit quam promisit, dedit enim perfectam consolationem. Unde sicut patriarcha Iacob, cum vidisset dilectissimum Ioseph Aegypti principem factum, quem mortuum credebat, incredibili laetitia et ineffabili consolatione plenus, dixit: *Laetus moriar, quia vidi faciem tuam, et te superstitem relinquo;*[64] sic sanctissimus hic senex, viso Christo, ait: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace,* idest, laetus et felix morior; et instar cygni cantando prae laetitia et mentis iubilo vult mori, mortemque desiderat non secus ac detentus in carcere multis annis desiderabilem omnibus libertatem. Hoc est: *Nunc dimittis,* nunc absolvis: *Cupio dissolvi et esse cum Christo.*[65]

Purificatio significat excellentem gratiam Deiparae in supremo gradu caritatis constitutae.

Primum mysterium purificationis est per excellentem gratiam Spiritus Sancti, quae principium habet, medium et finem; arbor enim virtutis primo quidem plantatur, postea crescit, tandem, facta perfecta, fructus optimos edit. Principium gratiae timor Domini est, ait enim: *Initium sapientiae timor Domini;*[66] sic iustificatur et sanctificatur anima, ut *declinet a malo et faciat bonum.*[67] Medium est ardens perfectionis desiderium, fames et sitis iustitiae: *Si vis perfectus esse.*[68]

63) Lc 2, 29. Vulg. habet: *Servum tuum, Domine.* 64) Gn 46, 30. Vulg. habet: *Et superstitem te,* etc. 65) Phil 1, 23. Vulg. habet: *Desiderium habens,* etc. 66) Ps 110, 10. 67) 1 Petr 3, 11; Ps 36, 27. 68) Mt 19, 21.

Estote... perfecti sicut Pater vester coelestis perfectus est.[69] Finis autem est perfecta caritas, nam *finis... praecepti est caritas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta.*[70] *Super omnia... caritatem habete, quod est vinculum perfectionis.*[71] Perfecta caritas Deum diligit ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente et viribus,[72] ita ut nihil diligat animus contra Deum, nihil supra Deum, nihil aeque ac Deum, sed vere Deum super omnia diligat.

cuius fructus est oblatio Filii.

En fructus perfectae caritatis in Maria: dilectissimum Filium animo promptissimo offert Deo. Hinc in passione Christi, licet Virgo Sanctissima iuxta crucem staret,[73] non tamen insanos eiulatus edebat ex animi impotentia, ut mulieres solent, sed fortissimo animo summum dolorem ferebat, dicens intra se: Iam Deo Filium meum obtuli, Deo dedi; si ita divinae Maiestati placet, fiat semper ipsius voluntas, sicut Christus in horto oravit.[74] Hic est perfectae caritatis fructus, quae maxime diligimus Deo sponte offerre ex animo, vero corde. Perfecta autem caritas donum Dei est, nam *caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.*[75] Sic Virgo Beatissima a Deo per Spiritum Sanctum perfectissime fuit purificata.

In Simeone videmus initium, medium et finem sanctitatis: initium, quia *iustus* erat; medium, quia *eulabis, religiosus, pius,* Dei cultor et servus, *expectans consolationem Israel:* finem, quia *Spiritus Sanctus erat in eo* per caritatem perfectam.

Deus duo requirit a nobis: purgationem a peccatis et oblationem bonorum operum.

X. Duo sunt quae a nobis Deus requirit: purgationem ab omni immunditia cuiusvis peccati aut vitii, et oblationem primogenitorum ac primitiarum; Deus enim instar principis est, cui nonnisi optima ac pretiosissima praesentanda sunt donoque a servis offerenda. Haec duo perfectam complectuntur iustitiam: *Declina a malo et fac bonum, inquire pacem,* idest, perfectionem, *et prosequere eam.*[76] Sic etiam Palus ait quod Deus venit in mundum *ut mundaret sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum.*[77] et alibi, *ut, abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie et iuste et pie vivamus in hoc saeculo, expectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei,*[78] nam hoc est *expectans consolationem Israel.*

69) Ibid. 5, 48. 70) 1 Tim 1, 5. 71) Col 3, 14. 72) Mt 22, 37; Lc 10, 27. 73) Cf. Io 19, 25. 74) Cf. Mt 26, 42. 75) Rom 5, 5. 76) Ps 33, 15. Vuolg. loc.: *Declina* (Ps 36, 27) et: *Prosequere.* habet: *Diverte* et: *Persequere.* 77) Tit 2, 14. 78) Ibid. 2, 12-13.

SERMO QUARTUS

DE SINGULARI VIRGINIS PURITATE IN FESTIVITATE HODIERNA

Postquam impleti sunt dies purgationis Mariae *secundum legem Moysi, tulerunt illum in Ierusalem*, etc. [1]

I. Duo magna mysteria proponuntur in sacrosancto hodierno Evangelio, alterum quidem circa personam Virginis Sacratissimae, alterum vero circa personam Salvatoris; circa personam Virginis servatur lex purgationis muliebris ab immunditiis partus, circa personam vero Salvatoris lex sanctificationis primogenitorum, nam ait: *Sanctifica mihi omne primogenitum.* [2] Mysteria haec duo sunt luminaria magna in coelo, magna sunt fidei et religionis nostrae sacramenta: alterum est divinae puritatis Mariae, alterum vero superhumanae, imo superangelicae ac divinissimae sanctitatis Christi.

Duo mysteria in praesentatione: puritas Mariae et sanctitas Christi.

II. Sed quomodo sanctificatur hodie Christus, qui fons est omnis sanctitatis, Sanctus Sanctorum et sol iustitiae? A Malachia hodie ostenditur Christus verus Deus, omnis puritatis et sanctitatis auctor, ait enim: *Veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis.* [3] En Christi divinitas quoad naturam et personam; nam quoad naturam dicitur Dominus, cuius est templum, quoad personam vero et officium Angelus testamenti, ante quem alius missus est praecursor angelus: *Ecce ego mitto angelum meum.* [4] Ostenditur etiam auctor puritatis omnis et sanctitatis,

Sanctitas Christi hodie non facta, sed praesentata, oblata ut hostia sancta, agnita et laudibus celebrata.

1) Lc 2, 22. 2) Ex 13, 2. 3) 3, 1. 4) Ibid. 3, 1.

cum dicitur: *Ipse... quasi ignis conflans*, idest, purificans metalla, *et* sicut *herba fullonum*, sive sapo, *sedebit conflans et emundans argentum, et purgabit filios Levi, et colabit eos* sicut *aurum et* tanquam *argentum, et erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia:* [5] ecce puritas. Sic etiam Paulus docuit: *Qui, cum sit splendor gloriae et figura substantiae eius, portans... omnia verbo virtutis suae, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram Maiestatis in excelsis;* [6] hoc est quod Ioannes dixit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* [7]

Quomodo ergo sanctificatur hodie? Quomodo ipse etiam in lege primogenitorum comprehenditur: *Sanctifica mihi omne primogenitum*? Legimus Christum sanctificatum a Deo: *Quem Pater sanctificavit et misit in mundum.* [8] Legimus unctum Spiritu Sancto: *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae prae consortibus tuis:* [9] *Spiritus Domini super me, eo quod unxit... me;* [10] et in *Actis: Unxit eum Deus Spiritu Sancto et virtute,* [11] sed quia: *Verbum caro factum est... plenum gratia et veritate.* [12] Legimus etiam Christum sanctificatum a seipso, ait enim: *Pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate,* [13] sed quia *per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo,* [14] hostiam sanctam in ara crucis. Primogenita vero sanctificabantur, quia Deo consecrabantur, divinoque cultui dedicabantur, Christus autem templum fuit Deo dicatum: Hoc *autem dicebat de templo corporis sui,* ait Ioannes, cum dixit Christus: *Solvite templum hoc, et* ego *in tribus diebus excitabo illud.* [15] Sanctificatus est hodie Christus, quoniam semetipsum obtulit aeterno Patri in templo hostiam immaculatam, sanctam, Deo placentem. [16] Fiebat huiusmodi oblatio iuxta altare holocausti, [16a] per quod ipsa Christi passio praesignificabatur. Sic igitur hodie sanctificatus est Christus, ut nos essemus sanctificati in veritate. Sanctificatus item est, quoniam in templo agnita est hodie et laudibus celebrata Christi sanctitas a Simeone et Anna. [17]

Puritas Mariae hodie super omnem puritatem apparet,

III. Sicut autem sanctificatus est hodie Christus, ita purificata Maria: *Impleti sunt dies purgationis* Mariae. Apparet in conspectu Dei perfecte pura, perfecte immaculata et sancta: *Tota pulcra es,*

5) Ibid. 3, 2-3. 6) Hebr 1, 3. 7) 1, 29. Vulg.: *Peccatum; peccata* ex edit. Sixt. 8) Ibid. 10, 36. 9) Ps 44. 8. 10) Is 61, 1. Vulg. habet: *Unxerit*. loc.: *Unxit* Lc 4, 18. 11) 10, 38. 12) Io 1, 14. Vulg.: *Plenum gratiae et veritatis.* 13) Ibid. 17, 19. 14) Hebr 9, 14. 15) Io 2, 21. 19. 16) Cf. Rom 12, 1. 16*a*) Cf. Ex 40, 5-6; Lv 12, 6-7. 17) Cf. Lc 2, 28-32. 38.

amica mea, et macula non est in te.[17a] Ipsa templum Dei totum sanctum: *In templo eius omnes dicent gloriam;*[18] ex hebraeo possumus interpretari: *Omnia dicent gloriam,* hoc est, nihil est in templo Domini quod non sit gloriosum, splendidum, illustre, sicut in coelo nulla non splendet stella; templum namque Domini totum auro fulgebat.[19]

In templo Domini tres erant principales partes, atrium, sanctuarium et sanctum sanctorum,[20] designantes tres status sanctae Ecclesiae sub lege naturae, sub lege Moysi, et sub Evangelio Christi; sic enim Ecclesia semper profecit in melius in Dei cultu, in religione, in pietate, in sanctitate. Designabant etiam tres status fidelium, quos Dominus designavit per tres partes terrae bonae, quarum altera attulit ex accepto semine triginta, altera sexaginta, altera centum:[21] *Qui in corde bono et optimo.*[22] Sic videmus crevisse Christi fidem pietatemque. Incepit in sanctis pastoribus,[23] profecit in Magis, qui et adoraverunt, et de thesauris suis munera obtulerunt,[24] perfecta videtur hodie in Simeone, qui accepit eum in ulnas suas benedicens Deum, Spiritu Sancto plenus.[25] Videmus in hoc Domini templo hodie tria templa sacratissima: templum Domini Simeon, qui *Spiritus Sanctus erat in eo;* templum Domini Maria: *Ave, gratia plena, Dominus tecum...; Spiritus Sanctus superveniet in te;*[26] templum Domini Christus *in* quo *inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.*[27] Sanctus Simeon sicut tabernaculum Moysi,[28] sanctior Maria sicut templum Salomonis,[29] sanctissimus Christus sicut templum Ezechielis.[30] Sanctus Simeon, quia: *Homo erat in Ierusalem... iustus et timoratus,* idest, pius erga Deum, *expectans consolationem Israel, et Spiritus Sanctus erat in eo.*[31]

Divus Paulus, sanctitatem tribus partibus conclusit, dicens: *Sobrie et iuste et pie vivamus..., expectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei.*[32] Omnes hae partes adamussim reperiuntur in Simeone. Sed qualis erat haec sanctitas in Maria? Qualis [plane] in ea sobrietas, quae Virgo erat castissima, purissima, sanctissima, Angelis multo purior sanctiorque; sic vere Spiritu Sancto erat plenissima. Qualis iustitia. In hodierno Evangelio quatuor vicibus lex Domini commemoratur, summa cum diligentia observata in omnibus est: *Impleti sunt dies purgationis* Mariae *secundum legem Moy-*

quia ipsa perfectam sanctitatem exercuit in sobrietate,

in iustitia

17a) Ct 4, 7. 18) Ps 28. 9. 19) Cf. 3 Rg 6, 22. 20) Cf. 2 Par 3. 1 sqq.; Hebr 9, 2-3. 21) Cf. Mc 4, 1-9. 22) Lc 8. 15. 23) Cf. ibid. 2, 8-20. 24) Cf. Mt 2, 9-12. 25) Cf. Lc 2, 28. 25. 26) Ibid. 1, 28. 35. 27) Col 2, 9. 28) Cf. Ex 40, 1 sqq. 29) Cf. 2 Par 3, 1 sqq. 30) Cf. Ez cpp. 40-42. 31) Lc 2, 25. 32) Tit 2, 12-13.

si.[33] *Tulerunt eum in Ierusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini.*[34] *Et ut darent hostiam secundum quod* scriptum *est in lege Domini.*[35] *Cum inducerent puerum Iesum, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo.*[36] Haec vera ac perfecta iustitia omnem vitam suam moderari ad normam divinae legis.

et pietate, offerens Filium ipsi cariorem omni carissima re.

Ipsius autem devotio, religio, pietas in Deum, vera caritas hodie conspicitur, nam cum Abrahamo[37] iussu divinae legis Deo offert unicum ac dilectissimum Filium etiam in sacrificium, in mortem; ideo cum turturibus sive pullis columbarum obtulit,[37a] qui in mysterium passionis Christi immolabantur, alter quidem in holocaustum, alter vero in sacrificium pro peccato,[38] sicut ipse etiam Christus *per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo.*[38a] Virginis apparet divina puritas, quoniam puritas cordis et animi idem est ac sanctitas, idem ac caritas, qua super omnia ex corde diligitur Deus. Sanctitas autem perfecta consistit in perfecta divinarum legum observatione; divina autem lex a Virgine Sacratissima ad unguem servata est in omnibus. Caritas autem erga Deum tunc vera perfectaque est, cum carior nobis est rebus quibuscumque carissimis, ita ut prompto hilarique animo propter Deum etiam carissimarum rerum iacturam faciamus, sicut in Abraham patuit; Maria autem hodie, ut divinis mandatis obtemperaret, sicut et Abraham, unicum et superdilectissimum Filium Deo obtulit. De caritate Dei erga Mariam dici potest quod *sic... Deus dilexit* Mariam, *ut* ei *Filium suum Unigenitum daret:*[39] sic item de caritate Mariae erga Deum, sic Maria dilexit Deum, ut Filium suum unigenitum daret offeretque Deo.

Mariae puritas apparet in plenitudine Spiritus Sancti et in coniunctione intima Christi.

IV. Consistit puritas in gratia et plenitudine Spiritus Sancti; Maria autem gratia et Spiritu Sancto plena et superplena fuit.[40] Consistit in unione spiritus nostri cum Deo, qui fons est omnis puritatis, sicut sol fons omnis lucis. Quo stella est soli vicinior, eo est splendidior clariorque, uti in stella matutina liquido patet. Christus autem fons est omnis puritatis et sanctitatis, cum Deus sit; Maria autem Christo coniunctissima, unus cum eo spiritus, unum cor.[41]

33) Lc 2, 22. 34) Ibid. loc. cit. 35) Ibid. 2, 24. 36) Ibid. 2, 27.
37) Cf. Gn 22, 1 sqq. 37a) Cf. Lc 2, 24. 38) Cf. Lv 12, 6. 38a) Hebr 9, 14.
39) Io 3, 16. 40) Cf. Lc 1, 28. 35. 41) Cf. 1 Cor 6, 17.

V. Purificata dicitur hodie per augmentum magnum divinae puritatis, sanctitatis et gratiae. Sicut per accessum solis ad nos ab australibus signis ad aquilonaria coelum nostri hemisphaerii multo magis clarificatur et illustratur, et dies ipse, licet a primo mane clarus, ad meridiem usque, ascendente sole usque ad summum coeli, semper fit clarior; ita crevit semper sanctitas divinaque gratia in Maria usque in finem.

Puritas Mariae hodie apparet, quia per sacrificium oblationis Filii magnum accepit augmentum puritatis.

Pro purificanda muliere offerebantur duo turtures sive duo pulli columbarum, alter in holocaustum, alter vero in sacrificium pro peccato,[42] quia in nostra iustificatione deletur peccatum, et infunditur gratia Spiritus Sancti divinaque caritas, quae *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.*[43] In iustificatione autem Mariae, quoniam ab omni peccato praeservata fuit, sicut etiam divinitus praeservata fuit a profluvio sanguinis menstrui ex partu; si enim naturaliter tantum Christum concepisset et peperisset, fuisset utique secundum legem immunda propter fluxum sanguinis menstrui; sed quia divinitus praeservata fuit ab huiusmodi sanguine ob divinum Filii sui partum, non eguit vere tali purgatione secundum legem; sic etiam in iustificatione; quoniam ab omni peccato divinitus praeservata fuit, in ipsius iustificatione gratia tantum infusa fuit, cum nulla esset quae deleretur culpa. Purificata tamen dicitur per gratiam, quoniam, sicut proprium lucis est purificare aerem a tenebris, nec quia superveniens nova lux in clarum illuminatumque aerem ideo non habere vim purificandi censenda est; similiter de gratia dicendum. Cum in animam infunditur, purificat eam ab omnibus peccatis, quod, si nullum in anima reperit peccatum, magis magisque purificat et clarificat.

Quare fuit iustificatio Mariae sicut sanctificatio Angelorum in coelo, sicut sanctificatio Adami et Evae in paradiso. Quare, si in ipsius legali purificatione, quae tota mystica extitit, avis etiam in sacrificium pro peccato immolata fuit, per sacrificium illud Virgo magnam accepit gratiae divinae copiam, qua magis magisque ab omni praeservaretur peccato; nam naturaliter peccare poterat etiam sine peccato concepta, sicut peccavit Eva, sicut peccaverunt Angeli; sed per divinam gratiam ab omni penitus peccati macula praeservata fuit et minima et venialissima. Sic fuit sanctitas Virginis quam simillima sanctitati Christi, licet gradibus multo inferior, ut luna sole.

42) Cf. Lv 12, 8. 43) Rom 5, 5.

SERMO QUINTUS

DE VIRGINIS SANCTIFICATIONE IN FESTIVITATE HODIERNA

Postquam impleti sunt dies purgationis, etc. [1]

Maria hodie purificata, idest, maxime sanctificata.

I. Loquitur de purificatione legali, quae corporalis quidem erat, sed tamen spiritualem significabat per sanctificationem spiritus. Maria hodie purificata est, maxime sanctificata: *Qui sanctus est sanctificetur adhuc; qui iustus est iustificetur adhuc.* [2] Solus Christus adeo sanctus fuit quod non potuit amplius sanctificari, nec maiori gratia repleri: *Verbum caro factum est... plenum gratiae et veritatis... et de plenitudine eius,* etc., [3] hinc a Seraphim ter sanctus dicitur. [4] Maria autem plena quidem fuit gratia et sanctitate, ita inventa ac salutata fuit ab Angelo; [5] sed tamen adhuc capax erat maioris gratiae, maioris sanctitatis; hinc dixit ei Angelus: *Spiritus Sanctus superveniet in te,* etc. [6] Quare semper crescebat in virtute, in gratia, in sanctitate; hinc de ea Salomon ait: *Quae est ista quae progreditur quasi aurora,* etc. [7] procedit a minori lumine ad maius usque ad summum, quod est in sole.

Maria hodie maxime sanctificata oblatione Filii.

II. Augetur autem gratia in Sanctis actibus pietatis erga Deum, maxime vero actibus caritatis: *Faciens misericordiam in millibus his qui diligunt me.* [8] *Ego diligentes me diligo.* [9] Sic Abraham diligendo

1) Lc 2, 22. 2) Apc 22, 11. Vulg. habet: *Qui iustus est... et sanctus,* etc. 3) Io 1, 14. 16. 4) Cf. Is 6, 3. 5) Cf. Lc 1, 28. 6) Ibid. 1, 35. 7) Ct 6, 9. 8) Ex 20, 6. Vulg. habet: *In millia.* 9) Prv 8, 17.

Deum et offerendo ei dilectissimum filium maximam meruit benedictionem: *Per memetipsum iuravi, dicit Dominus,* etc.[10] Qualem ergo meruit hodie Virgo Sanctissima benedictionem offerendo Unigenitum suum! Bone Deus, quale munus! quale donum! quale homagium! Ad suscipiendum hoc munus misit Deus Simeonem, imo misit Spiritum Sanctum qui erat in eo,[11] qui munus accepit in manibus, et summopere laudavit: *Quia viderunt oculi mei salutem... omnium populorum, lumen ad revelationem gentium et gloriam... Israel.*[12]

Maria hodie maxime sanctificata benedictione Simeonis, idest, copia bonorum spiritualium gratiae.

III. Cum autem Deus munera sibi facta centuplo remuneret,[12a] quid egerit hodie, ut tale tantumque munus remuneraret! De remuneratione autem nihil dicitur nisi quod *benedixit* eis *Simeon.*[13] Benedictio autem in Divinis Litteris copiam bonorum significat. Bona autem sunt vel naturae aut fortunae in hoc mundo, vel gratiae in Ecclesia, vel gloriae in paradiso. Hodie autem Maria non accepit dona corporalia a Deo nec bona gloriae, et tamen remunerata fuit benedictione, sicut regina Saba remunerata fuit a Salomone;[14] benedictione ergo et copia bonorum spiritualium gratiae et donorum Spiritus Sancti. At vero non dicitur qua benedictione, sed tantum quod *benedixit* eis *Simeon,* in quo erat Spiritus Sanctus; plane quoniam ineffabilis est haec benedictio, si consideremus dignitatem offerentis, magnitudinem rei oblatae sive oblationis, et naturam principis munerantis, qui munera centuplo remunerare solet. Cum igitur hodie Virgo Deipara ineffabile donum gratiae et singularis sanctificationis a Deo acceperit; quid mirum si purificata dicitur! Sicut enim aget Deus cum sole, cum eum septuplo maiori luce donabit, et cum lunam plenam solari luce donabit;[15] ita egit hodie cum Virgine. Dives valde erat donis gratiae, hodie multo ditiorem ac locupletiorem fecit ineffabili gratiarum thesauro donatam.

Maria hanc sanctificationem meruit gratitudine animi, humili obedientia legi, actibus pietatis.

IV. Videndum autem quibus mediis Virgo Sanctissima talem tantumque puritatis et sanctitatis thesaurum hodie meruit et acquisivit. Videtur autem mihi quod principio quidem gratitudine animi, nam redonat hodie Deo donum quod ab eo accepit; deinde humili obedientia legis,[16] cui tamen non erat hac in parte subiecta; tertio acti-

10) Gn 22, 16. 11) Cf. Lc 2, 25. 12) Ibid. 2, 30-32. Vulg. loc.: *Salutem*, habet: *Salutare*.
12a) Cf. Mt 19, 29. 13) Lc 2, 34. 14) Cf. 3 Rg 10, 13. 15) Cf. Is 30, 26.
16) Cf. Lc 2, 23-24. 39.

bus pietatis, orationibus et oblationibus in templo, offert enim puras aves Deoque acceptas.[17] Hisce actibus nos quoque puritatem et sanctitatem possumus mereri. Simus grati Deo de acceptis beneficiis, obediamus divinis mandatis, simus erga Deum pii.

17) Cf. Lc 2, 24; Lv 11, 13-19.

SERMO SEXTUS

DE VIRGINIS SANCTITATE CARITATE ET DIGNITATE IN FESTIVITATE HODIERNA

Postquam impleti sunt dies, etc. [1]

I. Duo sunt quae proponuntur nobis in hodierno Evangelio: purificatio Virginis et praesentatio ac oblatio Filii, et utrumque novum, nullius enim alterius matris purificationem legimus in Scripturis, nec primogeniti filii oblationem, licet utrumque mandatum esset in lege. [2] Obtulit quidem Anna mater Samuelis filium suum, sed ratione voti, non ratione praecepti legis divinae; hinc obtulit ablactatum, ut perpetuo maneret in templo prout voverat Domino. [3]

Duo proponuntur hodie: oblatio Christi et purificatio Virginis, et in his sanctitas, caritas et dignitas Deiparae.

In his autem duobus mysteriis in Beata Virgine tria nobis conspicua fiunt: ipsius sanctitas, ipsius caritas et ipsius divina dignitas atque auctoritas.

II. Sanctitas in divinarum legum diligentissima observatione; hanc enim statuit omnium actionum suarum regulam rectissimam iustissimamque amussim. Hinc toties in hodierno Evangelio mentio fit divinae legis: *Postquam impleti sunt dies purgationis... secundum legem Moysi, tulerunt illum in Ierusalem... sicut scriptum est in lege Domini...; et ut darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini.* [4] *Et... ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo.* [5] *Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini.* [6] Sic luce clarius videtur diligentissima observatio divinarum legum, perfectissima obedientia in omnibus et per omnia, et quidem maxime spontanea

Sanctitas Deiparae per omnimodam obedientiam legis.

1) Lc 2, 22. 2) Cf. Lv 12, 6-8; Ex 12, 2. 12. 3) Cf. 1 Rg 1, 24-28. 4) Lc 2, 22-24.
5) Ibid. 2, 27. 6) Ibid. 2, 39.

et summa cum humilitate coniuncta; neque enim divinis hisce legibus subdita erat, cum supra naturam, supra legem concepisset ac peperisset ipsum naturae et legis Auctorem.

Caritas Deiparae in oblatione Filii.

III. Elucet etiam caritas, quia unicum Filium Deo sicut Abraham [7] offerebat; nam obtulit in templo, in loco sacrificii, quod passionem et mortem Christi designabat. Sic summa Virginis erga Deum caritas una cum summa animi gratitudine hoc facto praeclare ostenditur. Ipsa enim ut *gratia plena* [8] Deum super omnem creaturam ex toto corde totaque anima et viribus dilexit; [9] summopere dilecta et amata redamavit. *Sic enim Deus dilexit* Virginem *ut Filium suum* ei *Unigenitum daret;* [10] ipsa vero hodie hunc redonavit.

Dignitas Deiparae, quia offert qua vera Mater Christi.

IV. Tandem elucet in his mysteriis Beatae Virginis divina dignitas et auctoritas, nam ut vera et naturalis Mater Christi eum Deo munus offert, praesentat donatque.

Deus autem ad tale tantumque munus accipiendum non Angelum aut Archangelum sed ipsum Spiritum Sanctum in Simeone mittit, [11] ad ostendendam talis tantique muneris dignitatem. Declaraverat Spiritus Sanctus per Elisabeth Virginem Beatam veram Dei Matrem, dum adhuc Filium gestaret in utero: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* [12] Nunc autem ipsa Virgo Beata tanquam vera Mater Dei et Domini Angelorum ipsum Deo Patri offert munus aeternum, thesaurum inaestimabilem, in quo sunt omnes thesauri divitiarum Dei. [13]

Deus respexit ad oblationem Mariae.

V. Sicut autem olim *respexit* Deus *ad Abel et ad munera eius,* [14] ita hodie respexit ad Virginem et ad munus ipsius, ac propterea ipsum Spiritum Sanctum misit in Simeone et Anna sanctissima muliere, qui acceptum hoc munus in manibus tanquam gratissimum divinis laudibus celebrarent. [15] Solemne enim est ut munus quod accipitur pro dignitate laudetur; sic enim ostenditur quam gratum sit acceptumque munus.

7) Cf. Gn 22, 1-10. 8) Lc 1, 28. 9) Cf. Dt 6, 5; Lc 10, 27. 10) Io 3, 16.
11) Cf. Lc 2, 26-27. 12) Ibid. 1, 43. 13) Cf. Col 2, 3. 14) Gn 4, 4.
15) Cf. Lc 2, 28-38.

3.

IN VISITATIONEM

SERMONES DUO

SERMO PRIMUS

DE VISITATIONIS MYSTERIO INFINITAE HUMILITATIS ET CARITATIS OPERE

Exurgens... Maria... abiit in montana cum festinatione..., et intravit in domum Zachariae, et salutavit Elisabeth. [1]

I. Visitat hodie Sanctissima et Beatissima Virgo sanctam matrem Praecursoris Christi Elisabeth, opus plane infinitae tum humilitatis tum caritatis, non tantum ipsius Virginis, sed ipsius Christi Unigeniti Filii Dei, qui hodie in Virgine Ioannem visitavit, sanctificavit Spiritu Sancto, gaudio et exultatione replevit. Bone Deus, *quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis,* quia *visitas eum?* [2] Deus hodie hominem visitat, et Mater Dei hominis matrem: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* [3] Altissima Regina et Imperatrix humillimam visitat servam ad eam ditandam et magnis beneficiis afficiendam. Visitatio opus infinitae humilitatis et caritatis, non tantum Virginis sed etiam Christi.

Est Maria *pulcra ut luna,* [4] quae astrorum ac planetarum omnium humillima est; sic Maria omnium Sanctorum humillima. Sed est *electa ut sol,* qui astrorum omnium lucidissimus et ardentissimus Maria luna humilitatis et sol caritatis.

1) Lc 1, 39-40. 2) Ps 8, 5. 3) Lc 1, 43. 4) Ct 6, 9.

est; sic Maria omnes Sanctos paradisi superat luce gratiae et ardore caritatis. Hinc *nigra* dicitur, *sed formosa:* [5] nigra ex humilitate, *quia decoloravit me sol,* [6] sicut enim candidissimus solis radius faciei candorem denigrat, sic altissima lux cognitionis divinae in mente humilitatem parit; *sed formosa* ex caritate: *Tota pulcra es, amica mea.* [7]

Maria, arca Dei, benedictionem domui Zachariae impertit.

Conduxit David rex arcam Dei viventis in domum Obededom sacerdotis, ibique tribus mensibus eam dimisit. *Et benedixit Dominus Obededom et omnem domum eius,* [8] idest, multis cum beneficiis affecit. Sic Deus hodie conduxit in domum Zachariae sacerdotis vivam arcam Divinitatis Mariam Virginem, ubi tribus mensibus manet. Hinc diffundit benedictionem suam Deus super domum hanc; nam Spiritu Sancto repletur Zacharias, [9] Spiritu Sancto repletur Elisabeth, [10] Spiritu Sancto Ioannes in utero matris, saltans veluti alter David coram arca Domini: *Exultavit infans in gaudio in utero meo.* [11] Hoc autem ad vocem Virginis, quoniam post Verbi Dei incarnationem et cum Unigenitum Filium Dei Spiritus Sancti opera concepisset, Beatissima Virgo *exurgens... abiit in montana cum festinatione...,* et *intravit in domum Zachariae, et salutavit Elisabeth; et factum est ut audivit salutationem Mariae Elisabeth..., repleta est Spiritu Sancto,* eodem Spiritu quo plena erat Maria, sicut luna coram sole lumine solis repletur.

Quis visitat? Maria mulier infinitae excellentiae

II. Videndum autem nobis est q u i s v i s i t a t , q u i s v i s i t a t u r , q u o m o d o et a d q u i d v i s i t a t i o ista facta est.

Visitat Maria Elisabeth, Christus Ioannem, Deus hominem, Mater Dei matrem hominis: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Visitans dicitur Maria *benedicta inter mulieres,* [12] *Mater Domini,* et *beata quae credidit.* [13] Mulier infinitae excellentiae quoad naturam, quia *Mater Domini,* quoad gratiam, quia *benedicta inter mulieres,* et quoad gloriam, quia *beata quae credidisti.*

quoad naturam, quia Mater Dei;

Est Beata Virgo vera et naturalis Mater Christi, qui verus et naturalis est Deus; ergo infinitis gradibus omnem excedit etiam Angelorum dignitatem, *tanto melior Angelis* effecta *quanto differentius prae illis nomen hereditavit.* [14] Omnis dignitas Angelorum Sancto-

5) Ibid. 1, 4. 6) Ibid. 1, 5. 7) Ibid. 4, 7. 8) 2 Rg 6, 10-11. 9) Cf. Lc 1, 67. 10) Cf. ibid. 1, 41. 11) Ibid. 1, 44. Vulg.: *Exultavit in gaudio infans in utero meo.* 12) Ibid. 1, 42. 13) Lc 1, 45. Vulg.: *Beata quae credidisti.* 14) Hebr 1, 4.

rumque omnium dignitati Virginis comparata luna est respectu lucidissimi solis; hinc ipsa sole amicta est et stellis coronata, lunam sub pedibus habet. [15]

Quoad excellentiam vero gratiae: *Benedicta tu in mulieribus,* [16] sic dicit ei Elisabeth; sic prius dixerat ei Archangelus Gabriel: *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres:* [17] tu sola super omnes mulieres benedicta, divinis beneficiis affecta, quia sic Virginem hanc dilexit Deus ut ei Unigenitum Filium suum daret. [18] Hoc est *Dominus tecum,* cum omni plenitudine Divinitatis; *benedicta tu in mulieribus,* quia *benedictus fructus ventris tui.* Gratia plenus Christus, gratia plena Maria; gratia plenus Christus super omnes Sanctos, quia Filius Dei; gratia plena Maria similiter super omnes Sanctos post Christum, quia Mater Dei. Benedicta fuit Eva mox ut formata fuit, [18a] sed multo magis Maria; illa enim peccare potuit, fuitque causa perditionis, haec vero peccare non potuit, et causa fuit aeternae salutis.

quoad gratiam, quia gratia plena super omnes Sanctos,

Benedicta tu super omnes *mulieres,* quoniam in te nulla penitus reperitur maledictio; *benedicta tu,* omni gratia plena. Est anima natura infinitae capacitatis in intellectu et voluntate; in intellectu quidem ad cognoscendum verum, et in voluntate ad desiderandum bonum. Maria autem *gratia plena* est. Viduae illi de uxoribus Prophetarum tantum olei divino miraculo collatum fuit, quantum vasa capere potuerunt; tunc stetit oleum, cum non fuit amplius vas quod impleretur. [19] Sic omnia vasa potentiarum animae Sanctissimae Virginis divina gratia repletae fuerunt. Hoc est: *Benedicta tu in mulieribus.* Est Maria vas illud novum plenum sale ad sanandas pessimas aquas Iericho, [20] vas plenum coelesti manna, [21] mare aeneum plenum aquis in templo Dei in medio duarum columnarum Iachim et Booz. [22] Gratia enim suapte natura duo requirit: rectitudinem animi cordisque firmitatem, ubi nulla sit vitiorum obliquitas, nulla infirmitas; et virtutum vigorem ad bonum operandum. Primum significat *Iachin,* quod *firmum rectumque* significat, alterum vero *Booz,* quod est *virtus* et *fortitudo.* Sic Beata Virgo turris est David aedificata cum propugnaculis, ex qua mille clypei pendent, omnis armatura fortium. [23] *Benedicta tu,* omni plenitudine Spiritus Sancti plena, adeo ut Angelos etiam superaret sanctitate, qua nihil sub Deo sanctius esse posset, sicut arca sub divino propitiatorio. [24]

in omnibus potentiis animae,

similis vasis in S. Scriptura numeratis, et columnis in templo.

15) Cf. Apc 12, 1. 16) Lc 1, 42. Vulg.: *Benedicta tu inter mulieres.* 17) Ibid. 1, 28. Vulg.: *Benedicta tu in mulieribus.* 18) Io 3, 16. 18a) Cf. Gn 1, 27-28. 19) Cf. 4 Rg 4, 1-7. 20) Cf. ibid. 2, 20-22. 21) Cf. Ex 16, 33; Hebr 9, 4. 22) Cf. 3 Rg 7, 21-27. 23) Cf. Ct 4, 4. 24) Cf. 3 Rg 8, 6-7.

quoad gloriam, quia Mater, Filia et Sponsa Dei.

Et tandem infinitae excellentiae quoad gloriam: *Beata quae credidisti*, nihil enim sub Deo gloriosius esse potest, haec enim Regina coeli est, Domina Angelorum, Imperatrix paradisi, Filia summi Patris, Mater Unigeniti Filii Dei, Sponsa Spiritus Sancti: *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.*[25] Visitat mulier, in qua *omnis* habitabat *plenitudo Divinitatis corporaliter.*[26]

Visitatur Elisabeth, mulier infinitis gradibus minor Maria; hinc istius humilitas et caritas.

III. Visitatur autem Elisabeth, mulier quidem nobilis apud Deum et homines, sed infinitis gradibus inferior in omni nobilitatis genere Maria. Hinc elucet Beatissimae Virginis infinita humilitas; sed non minor caritas, pergit enim ex caritate, ut congratularetur Elisabethae, quod divino miraculo magnoque Dei beneficio filium concepisset, sicut ab Angelo didicerat: *Ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua, et hic mensis est sextus ei, quae vocatur sterilis, quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.*[27] In nativitate Ioannis vicini et cognati congratulabantur sanctae Elisabethae, eo quod Dominus magnificarat misericordiam suam cum illa;[28] sed Beata Virgo ante omnes ei congratulari voluit.

Visitatio fit cum festinatione, idest, cum spiritus ardore,

IV. Sed videamus quomodo ad visitandum pergit. *Exurgens*, inquit, *Maria... abiit in montana cum festinatione*. Pergit non lento gradu, sed *cum festinatione*, quod quidem indicium est fervoris spiritus et ardentissimae caritatis. Erat plena Deo, Deus autem ignis est;[29] erat plena Spiritu Sancto, is autem super Christifideles in igne descendit;[30] ignis vero operatorius est, magna cum vehementia et celeritate operatur. Corpus non movetur nisi ab anima, sine qua nonnisi pondus est inutile terrae. Anima autem Sanctissimae Virginis nonnisi a Deo, a Spiritu Sancto movebatur, cui per omnia ad nutum obediebat. Sicut militaris equus optime instructus equitis, a quo regitur, nutui facillime et promptissime parens; sic erat Beatissima Virgo Deo obediens. A Deo igitur impulsa et Spiritu Sancto suggerente Virgo Deo plena iter hoc aggressa est, et iter quidem arduum; nam *abiit in montana*, sed *cum festinatione*, tanquam aquila pernicissimo[31] volatu ad supera tendit.

25) Lc 1, 35. 26) Col 2, 9. 27) Lc 1, 36-37. Vulg. habet: *Et hic mensis sextus est illi*, etc. 28) Cf. ibid. 1, 58. 29) Cf. Dt 4, 24. 30) Cf. Act 2, 3-4. 31) Ms.: *Perniciosissimo*.

ad ostendendam arditissimam caritatem

Sed, si divino impulsu Virgo Deipara in montana perrexit, quidnam, quaeso, Spiritus Sanctus festinatione hac indicare fidelibus voluit? Multa quidem. Primo ad ostendendam spiritus ferventiam et ardentissimam caritatem Virginis, nam « nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia ».[32] Erat enim veluti Angelus Domini tota spiritus et flamma ignis.[32a] Diligebat toto corde et viribus Deum et proximum propter Deum; unus est enim habitus caritatis, ex quo duae hae dilectiones oriuntur, veluti ex una radice duo rami et ex uno fonte duo rivuli. Fruebatur Maria, quae *optimam partem elegit,*[33] Deo in otio et quiete contemplationis; hoc est enim: *Exurgens.* Surrexit a quiete divinae contemplationis, seu non minus sollicita erat cum Martha[34] in officio pietatis ex divina caritate; hinc, quiete contemplationis dimissa, *exurgens abiit in montana,* sed *cum festinatione* ad vetulam cognatam solatio et consolatione afficiendam, imo ad eam coelestium gratiarum participem faciendam Sanctoque Spiritu implendam, ut, sicut Deus de spiritu Moysis dedit septuaginta senioribus,[35] ita Christus de spiritu Mariae daret etiam Elisabethae.

et promptissimam obedientiam Virginis

Deinde hac festinatione Spiritus Sanctus ostendere voluit Sanctissimae Virginis promptissimam obedientiam, qua divinis inspirationibus, nutibus obtemperabat. Hoc enim primum est quod a fidelibus suis Deus requirit, obedientiam magis vult quam sacrificia.[36] Ob hanc sanctus Abraham Deo acceptissimus fuit, propter quam nec unigenito filio pepercit.[37]

qui statim incipit opus redemptionis humanae;

Tertio ad ostendendam Christi obedientiam, missus enim fuit Christus a Patre in mundum ad redimendum genus humanum de potestate diaboli, ad destruendum peccatum, ad sanctificandas animas; hoc in mandatis accepit a Patre. Ipse vero statim post incarnationem summa cum festinatione divinum hoc opus incipere voluit; hinc cum festinatione perrexit ad sanctificandam animam Ioannis, ad delendum originale peccatum, ad eripiendam eam de manu diaboli; non enim Ioannes uti Christus ex Spiritu Sancto et Sanctissima Virgo ex gratia speciali sine peccato originali conceptus fuit, sed conceptus filius irae.[37a] Hinc Christus hodie cum festinatione incepit opus redemptionis humanae; siquidem de eo scriptum est: *Voca nomen eius: Accelera spolium, festina praedari:*[38] ideo cum festinatione perrexit.

32) D. Ambros. *Exposit. Evang. sec. Lc* 1, 39-40, lib. 2, n. 19. (P. L. 15, 1288). 32*a*) Cf. Ps 103, 4; Hebr 1, 7. 33) Lc 10, 42. 34) Cf. ibid. 10, 40. 35) Cf. Nm 11, 25. 36) Cf. Os 6, 6; Mt 9, 13. 37) Cf. Gn 22, 1 sqq. 37*a*) Cf. Eph 2, 3. 38) Is 8, 3. Vulg. loc.: *Accelera spolium,* ex hebr., habet: *Accelera spolia detrahere.*

Item ad ostendendam pietatem Dei, qui, facilior ad miserendum et tardior ad puniendum,

Quarto ad ostendendum divinae caritatis et pietatis ingenium. Sunt quidem in Deo misericordia et iustitia aequales, sicut in homine manus dextera et sinistra, infinita iustitia sicut et misericordia; in sole lux et igneus calor paria sunt; sed *miserationes eius super omnia opera eius.* [39] Promptior ad operandum est manus dextera quam sinistra, sol multo facilius illuminat, quam calefaciat uratque; ad miserendum promptus est Deus, sed tardus ad vindictam, tardus ad iram. [39a] Cum peccasset Adam, lento gradu venit Deus ad peccatum illud puniendum, venit enim ambulando ad auram post meridiem; [40] videns impietatem hominum tempore Noe, distulit vindictam per centum annos, [41] *nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam converti,* [42] *ut salvi fiant;* [43] veniens ad comburendam Pentapolim lento gradu incessit cum Abraham; [44] volent flagellare Aegyptum, Pharaonem prius non semel aut bis, sed pluribus datis signis admonuit, [45] ut divinam effugeret iram; sic tardus ad iram Deus, quoniam totus bonitas et benignitas est. Punire autem alienum est opus ab eo, ut Isaias ait 28, [46] proprium autem misereri semper et parcere; [46a] non enim absque demeritis punit, sed absque ullis meritis miseretur. Sic enim hodie absque ullis praeexistentibus meritis Ioannem sanctificavit, et Spiritu Sancto replevit; et ad hoc agendum non lento gradu, sed cum festinatione venit: *Exultavit ut gigas ad currendam viam.* [47] O admiranda Dei misericordia! Hinc Cherubim in sancta sanctorum veluti admirantes divinum propitiatorium intuebantur; [48] instituit enim in divino sanctuario propitiatorium, locum indulgentiae et remissionis omnium peccatorum, instituit clementissimae misericordiae sedem ad delenda peccata, non ad punienda ex severa iustitia et rigido iudicio.

ut hodie ostendit replendo Spiritu Sancto replendo

Sic festinat hodie ad miserendum, ad praestandum beneficia, ad communicandam gratiam bonitatemque suam. Ad vocem enim Virginis, qua veluti instrumento usus est, sicut cithara Davidis ad expellendum malum spiritum a Saule, [49] et sicut ad cantum psaltis Eliseus Spiritu Sancto repletus fuit, [50] magno miraculo replevit Spiritu Sancto Elisabeth et Ioannem infantulum adhuc in matris utero delitescentem: *Ut audivit salutationem Mariae Elisabeth, exultavit infans in utero eius, et repleta est Spiritu Sancto Elisabeth...* Statim

39) Ps 144, 9. 39a) Cf. Iac 1, 19. 40) Cf. Gn 3, 8. 41) Cf. ibid. 5, 31; 6, 3; 7, 6. 42) 2 Petr 3, 9. 43) 1 Cor 10, 33. 44) Cf. Gn 18, 16 sqq. 45) Cf. Ex cpp. 5-7. 46) Cf. vr. 21. 46a) Cf. *Miss. Rom.* 1 Orat. in Missa pro die obitus. 47) Ps 18, 6. 48) Cf. Ex 25, 17-22; 26, 34; 2 Par 3, 10-13. 49) Cf. 1 Rg 16, 23. 50) Cf. 4 Rg 3, 15.

ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exultavit infans in gaudio in utero meo.[51]

Praedixerat Angelus Gabriel Zachariae de Ioanne: *Erit... magnus coram Domino, et Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suae.*[52] O res mirabilis! Infantulus Ioannes in matris utero Spiritus Sancti aqua lavatur a sordibus peccati originalis, a vitiisque omnibus carnis emundatur, sanctificatur magno divinae gratiae munere, repletur Spiritu Sancto, spiritu sapientiae et intellectus. Quis haec unquam audivit, infantem nondum natum plenum sapientia, intellectu et scientia esse? Summa sapientia est Deum cognoscere eumque puro corde diligere totis visceribus. Hoc datum Ioanni est, dum adhuc in obscuro materni uteri thalamo conclusus maneret, priusquam ederetur in lucem, sexto mense conceptionis suae;[53] et quidem multo maiori spiritu repletus fuit Ioannes quam mater, nam repletus ipse replevit parentem. et Ioannem.

V. Genitrix autem magno utique repleta spiritu fuit, prophetico quidem spiritu, quem triplicem esse aiunt, omni repleta est. Triplex est enim prophetiae genus; unum quidem quod praeterita omnino incognita humanis mentibus affert in medium, quod Moyses egit maxime in enarranda serie creationis mundi,[54] sic Daniel cognovit somnium phantasmataque Nabuchodonosor;[55] alterum est quod praesentia, soli Deo cognita, divinitus intuetur, sic Samuel cognovit Saulem a Deo in regem electum, dixitque ei: *Omnia quae sunt in corde tuo* indicabo tibi,[56] sic Ioseph[57] et Daniel somnia interpretabantur, sic Eliseus vidit in spiritu, dum Giezi acciperet munera a Nahaman syro;[58] tertium est quod futura, soli Deo cognita, praefatur certissime eventura, multo certius quam cum astrorum peritissimi lunae et solis deliquia multo ante praedicunt; tales fuerunt Isaias, Ieremias, Ezechiel et alii. Spiritus, quo repleta est Elisabeth, fuit triplex spiritus propheticus,

Elisabeth autem Spiritu Sancto repleta, divino afflatu et praeterita et praesentia et futura vidit et elocuta est: praeterita quidem: *Benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus ventris tui... Beata quae credidisti;* praesentia: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Sic cognovit filii sanctificationem in utero: *Ut facta est* quo cognovit praeterita, praesentia et futura

51) Lc 1, 41-44. Vulg. habet: *Exultavit in gaudio infans,* etc. 52) Ibid. 1, 15.
53) Cf. ibid. 1, 36. 39. 54) Cf. Gn cp. 1. 55) Cf. Dn 2, 31 sqq.; 4, 16-24.
56) I Rg 9, 19. 57) Cf. Gn 40, 3-19. 58) Cf. 4 Rg 5, 26.

vox salutationis tuae in auribus meis, exultavit infans in gaudio in utero meo; cognovit futura: *Beata quae credidisti, quoniam perficientur* in te... *quae dicta sunt tibi a Domino.*

et omnia mysteria incarnationis.

Cognovit Elisabeth Spiritus Sancti afflatu mysteria omnia quae in beata annunciatione pertractata fuerunt inter Mariam et Angelum, cognovit Incarnationis Verbi mysterium, adventum Filii Dei in mundum, cognovit Christi conceptionem Spiritus Sancti opera in Virginem factam, cognovit infinitam Dei bonitatem caritatemque erga genus humanum, qua *sic... dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret,*[59] cognovit sanctissimae et humillimae Virginis infinitam dignitatem praesentem gloriamque futuram; hinc prae nimia admiratione et stupore exclamat: *Benedicta tu inter mulieres... Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?... Beata quae credidisti.* Cognovit Deiparae Virginis praeteritam gratiam: *Benedicta tu;* praesentem dignitatem: *Mater Domini mei;* et futuram gloriam: *Beata quae credidisti, quoniam,* etc. Omni igitur spiritu prophetiae repleta fuit Elisabeth ad Virginis salutationem. Quali ergo spiritu repletus fuit Ioannes? *Exultavit infans in gaudio in utero meo.*

Spiritus, quo repleta est Elisabeth, de spiritu Mariae acceptus fuit,

VI. Sic Maria Deo plena sono vocis suae et spiritu oris sui replevit Spiritu Dei Ioannem et Elisabeth. Sicut enim olim Deus accepit de spiritu Moysis, et dedit septuaginta senioribus, qui statim prophetare coeperunt;[60] sic hodie accepit de spiritu Mariae, et dedit Ioanni et Elisabeth, supervenit enim Spiritus Sanctus in Mariam et virtus Altissimi obumbravit ei.[61]

quia et Virgo plena erat triplici spiritu prophetiae,

Fuit ipsa quoque Virgo Sanctissima plena spiritu prophetiae, sicut Maria soror Moysi prophetissa dicitur, ac Spiritu Sancto plena canticum Domino cecinit ob acceptum salutis beneficium, demerso Pharaone cum universo exercitu suo in mari Rubro, gratias agens Deo.[62] Sic Beatissima et Sanctissima Virgo prophetis divinissima fuit, et prophetico spiritu hodie divinitus afflata cecinit, dicens: *Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo; quia respexit humilitatem ancillae suae, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.*[63] Ubi et de praesentibus et de praeteritis et de futuris loquitur: *Magnificat anima mea Dominum,* cuius iam facta sum Mater: *Ut veniat Mater Domini mei ad me; Exultavit spiritus meus..., respexit humilitatem ancillae suae...;*

59) Io 3, 16. 60) Cf. Nm 11, 25. 61) Cf. Lc 1, 35. 62) Cf. Ex 15, 20-21.
63) Lc 1, 46-48.

beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen eius.[64]

Magnificat autem Virgo magnitudine spiritus sui magnitudinem divinae potentiae, sanctitatis et misericordiae: *Fecit mihi magna*, sive magnalia, *qui potens est, et sanctum nomen eius; et misericordia eius a progenie in progeniem timentibus eum.*[65] Deum dicit simpliciter potentem, simpliciter sanctum et perpetuae misericordiae. Aperit altissima sacrae theologiae mysteria divinissima ista Prophetis. Tria de Deo sacra theologia docet: essentiam, virtutem, operationem. Sic Maria: *Magnificat anima mea Dominum, Iehovah*, nomen divinae essentiae; virtutem: *Fecit mihi magna qui potens est..., sanctum nomen eius; et misericordia eius a progenie in progeniem;* operationem: *Fecit potentiam in brachio suo*,[66] mundum creando, conservando, regendo; ostendit mirabilibus operibus potentiam suam: *Dispersit superbos mente cordis sui*,[67] omnes daemones, qui mente cordis sui alta de se sentientes superbierunt, et contra Deum elevati fuerunt, dispersit in aeternum; sic: *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.*[68] Sic altissime de Deo loquitur Sanctissima Virgo Spiritu Sancto plena. Sic videmus hodie in domo Zachariae duas mulieres Spiritu Sancto plenas; sed una est velut sol, altera velut luna. Tota plena Spiritu Sancto Maria sicut sol; unde, si nomen Virginis secundum achrostichidas rationes Graecorum interpretari velimus, erit מרים *min ruah Iehovah melua, de spiritu Dei plena* sive *plenitudine spiritus Dei plena, melo ruah Iehovah melua:* plena in corde, plena in ore, plena in opere; in corde: *Magnificat anima mea Dominum*, etc.

quo aperuit altissima theologiae mysteria.

VII. In hodierno Evangelio habemus quatuor consideranda: primum est insignis omnique honore digna Beatissimae Virginis h u m i l i t a s; alterum est ipsius divina c a r i t a s, qua Elisabetham visitare constituit voluitque, nihil morata itineris difficultatem atque laborem; tertium est altissima d i g n i t a s: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me;* et quartum ipsius in Deum ardentissima p i e t a s, qua Deum toto spiritu laudat: *Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.*

Synthetica recapitulatio sermonis.

64) Ibid. 1, 49. 65) Lc 1, 50. Vulg. habet: *A progenie in progenies.* 66) Ibid. 1, 51. 67) Ibid. loc. cit. 68) Ibid. 1, 52.

SERMO SECUNDUS

DE VISITATIONIS MYSTERIO FIDELIS ANIMAE TYPO

Beata Virgo exemplar omnium virtutum.

I. Proponitur nobis hodie Sanctissima et Beatissima Virgo tanquam exemplar perfectissimum omnium virtutum, quod omnes fideles animae imitentur. Sicut enim omnes Israelis mulieres post transitum maris Rubri Mariam sororem Moysi prophetissam divinas laudes canentem, sequebantur ipsae quoque canentes; [1] sic omnes fideles animae debent sequi et imitari Sanctissimam Virginem, dum *exurgens... abiit in montana cum festinatione in civitatem Iuda, in civitatem laudis* et *confessionis.* [2]

Anima Deo plena sursum tendit intellectu.

II. Mox ut anima Deo plena fuerit, statim exurgit, relinquit ocia carnis, incipit operari; abit autem non deorsum, sed sursum. Anima plena spiritu mundi deorsum tendit mente, cogitatione et desiderio, grave enim corpus ex terra compactum suapte natura non potest nisi deorsum tendere; at vero leve ut ignis sursum, sic anima levis et immunis ab omni gravitate peccati, spiritu Dei plena, sursum tendit mente, cogitatione et desiderio in civitatem Iuda, in supernam Ierusalem, ubi omnes Angeli et Sancti Deum incessanter collaudant: *Beati qui habitant in domo tua, Domine; in saecula saeculorum laudabunt te.* [3]

Anima Deo plena exercet memoriam in

III. *Intravit in domum Zachariae,* [4] quod interpretatur *divina memoria:* recenset omnia beneficia a Deo sibi collata. *Salutavit Elisabeth,*

1) Cf. Ex 15, 20. 2) Lc 1, 39. *Iuda* hebr. idem est ac *laus, confessio.* 3) Ps 83, 5. 4) Lc 1, 40.

quod est *divinum iuramentum, divina saturitas, divinum septenarium,* significatque voluntatem Deo dicatam, sanctam, beneplacentem et perfectam.[4a] *Abiit* intellectu, *intravit* memoria, *salutavit* voluntate; salutatio enim est bonorum omnium impetratio signumque amoris et caritatis.

beneficiis et voluntatem in bonis operibus.

IV. Extollitur divinis laudibus Maria ab Elisabeth, Spiritu Sancto afflata; ipsa vero, auditis laudibus, nil seipsam extollit, sed Deum laudat, dicens: *Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.*[5] *Anima mea,* mens et intellectus meus, *magnificat Dominum,* cognoscit, admiratur, et extollit omnibus viribus Dei magnitudinem; sed *spiritus meus,* animus et voluntas mea, *exultavit* summo gaudio et laetitia *in Deo salutari meo.* Laudatur hodie Maria a Spiritu Sancto, qui verus est Deus; ipsa vero in eundem Deum laudes reflectit, sciens quod *omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.*[6] Sic Beatissima Virgo gratias agit Deo ob acceptum beneficium, sicut Anna mater Samuelis canticum Domino cecinit: *Exultavit cor meum in Domino,*[7] quoniam magno Dei beneficio filium acceperat. Sic anima Spiritu Dei plena Deum semper laudat, gratias agens pro beneficiis a Deo acceptis et pro susceptis donis, quibus a Deo magnificata est; non gloriatur in seipsa, sed Deum glorificat: *Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus in Deo..., quia fecit mihi magna,*[8] non quidem ex meis meritis, sed ex sua bonitate. *Quia respexit humilitatem ancillae suae.*[9] Humilitatem dicit abiectionem et vilitatem sicut Paulus ait: *Reformabit corpus humilitatis nostrae,*[10] idest, corpus abiectum et vile; est enim graece *tapinosin,* quod *vilitatem* significat, non *tapinophrosinin,*[11] quod significat *virtutem humilitatis* in animo, qui de se humiliter sentit. Hinc elucet profundissima humilitas Beatissimae et Sanctissimae Virginis; existimabat enim se nullius meriti et virtutis esse, ideo non tantum ancillam se dicit, sed humilem, idest, vilem et abiectam ancillam.

Anima Deo plena Deum laudat et gratias agit;

non gloriatur in seipsa, sed Deum glorificat.

4a) Allud. ad Rom 12, 2. 5) Lc 1, 46-47. 6) Iac 1, 17. 7) 1 Rg 2, 1.
8) Lc 1, 49. 9) Ibid. 1, 48. 10) Phil 3, 21. 11) Ms. habet: *Tapinosophrinin.*

4.

IN FESTUM B. M. AD NIVES

SERMONES DUO

SERMO PRIMUS

DE DUPLICI CAUSA BEATITUDINIS VIRGINIS DEIPARAE

Beatus venter qui te portavit, et ubera quae suxisti. At ille dixit: Quinimo. [1]

I. Praedicatur beata hodie sanctissima Virgo, Dei et Domini nostri Iesu Christi Mater semper intacta. Huius autem beatitudinis ratio duplex assignatur: una quidem in Evangelio: *Beatus venter qui te portavit*, idest, beata, quia Christi Mater, quia Christum divinitus concepit, et miraculo peperit, natumque aluit, et suis uberibus lactavit; altera vero causa in hodierna solemnitate indicatur, celebramus enim festum Sanctae Mariae ad Nives propter miraculum omnibus notum. [2]

Beatitudinis Deiparae duplex ratio: Mater Christi, miraculum nivis.

Nix autem in Sacris Litteris sanctitatis et puritatis hieroglyphicum est. Hinc Deus visus fuit Danieli nive indutus: *Vestimentum eius candidum* sicut *nix;* [3] hinc Christus in transfiguratione similiter: *Resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix;* [4] Christus Ioanni in *Apocalypsi* apparuit cano capite, albis capillis sicut nix; [5] Angelus nuncians Christi resurrectionem apparuit nive indutus: *Erat autem aspectus eius sicut fulgur, vesti-*

Nix in Scripturis insigne est sanctitatis.

1) Lc 11, 27-28. 2) Cf. *Brev. Rom.* die 5 August. 3) Dn 7, 9. 4) Mt 17, 2. 5) Cf. 1, 14.

mentum autem eius sicut nix;[6] hinc de sanctis servis Dei Ieremias ait: *Nazaraei eius nive candidiores;*[7] hinc de anima, quae a Deo sanctificatur et innocentiae baptismali restituitur, ait Regius Vates: *Lavabis me, et super nivem dealbabor;*[8] et per Isaiam Dominus: *Si fuerint peccata vestra* quasi *coccinum, quasi nix dealbabuntur;*[9] Iob 9 cap. ait: *Si lotus fuero aquis nivium et fulserint velut mundissimae manus meae;*[10] de hac forte in eodem libro cap. 37 ait: *Qui praecipit nivi ut descendat,*[11] nam gratia Dei, quae animam sanctificat, donum Dei est optimum et perfectum, descendens a Patre luminum.[12] Quoniam vero ineffabile est iustificationis mysterium, dicitur in eodem libro cap. 38: *Nunquid ingressus es thesauros nivis?*[13] Solemnitas igitur nivium in Deipara Virgine designat summam ipsius secundum Deum sanctitatem.

Deipara duplici titulo beata, quia sancta et quia Mater Dei, praedicatur a Gabriele Archangelo.

II. Duplici igitur titulo beata praedicatur: ob summam sanctitatem et ob summam dignitatem, qua Mater Dei effecta est. Haec duo simul coniunxisse visus fuit Gabriel Angelus, cum ad eam dixit: *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu inter mulieres;*[14] idem enim est *benedicta inter mulieres* et *beata*. Sed quare benedicta? quare beata? Utique quia *gratia plena* et quia *Dominus tecum*. Quomodo autem *Dominus tecum*? *Ecce concipies... et paries filium...; hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur.*[15]

ab Elisabeth,

Haec duo coniunxit Elisabeth Spiritu Sancto plena: *Benedicta tu inter mulieres... Et unde hoc mihi ut veniat Mater Domini mei ad me?... Beata quae credidisti, quoniam perficientur ea quae dicta sunt tibi a Domino.*[16] Cum ait: *Mater Domini,* ad dignitatem spectat; cum

ab Isaia,

vero: *Beata quae credidisti,* pertinet ad sanctitatem. Haec duo Isaias cum ait: *Ecce Virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel,* sive, ut hebraice est: *Vocabit ipsa nomen eius,*[17] auctoritate utique matris. Virginem appellat propter sanctitatem, nam

a muliere evangelica,

fuit sancta et corpore et spiritu; Matrem Dei propter summam dignitatem. In hodierno Evangelio reperitur haec duplex beatitudo, non solum dignitatis: *Beatus venter qui te portavit,* verum etiam sanctitatis: *Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud.* Et beatitudo qui-

6) Mt 28, 3. 7) Thren 4, 7. Vulg. habet: *Candidiores Nazaraei*, etc. 8) Ps 50, 9. 9) 1, 18. 10) Vr. 30. Vulg. habet: *Aquis nivis.* 11) Vr. 6. 12) Iac 1, 17. 13) Vr. 22. 14) Lc 1, 28. Vulg. habet: *Benedicta tu in mulieribus.* 15) Ibid. 1, 31-32. 16) Ibid. 1, 42-43. 45. 17) 7, 14.

dem sanctitatis saepissime in Divinis Litteris praedicatur, maxime vero in *Psalmis David,*[18] *Proverbiis* Salomonis[19] et *Evangelio* Christi.[19a]

Virgo Deipara saepe in Divinis Litteris beata praedicatur. In Veteri quidem Testamento: *Surrexerunt filii eius, et beatissimam praedicaverunt, vir eius et laudavit eam;*[20] sed hoc propter summam virtutem, nam sequitur: *Multae filiae congregaverunt divitias, tu supergressa es universas; fallax gratia et vana est pulcritudo, mulier timens Dominum ipsa laudabitur.*[21] Alio item loco: *Viderunt eam filiae, et beatissimam praedicaverunt, reginae et concubinae... laudaverunt eam;*[22] hoc autem propter summam dignitatem, nam sequitur: *Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?*[23] *Beatissima,* quoniam bonis omnibus cumulatissima, quibus alios ditare potest, sicut sol et luna illuminare, defendere etiam a periculis *sicut castrorum acies ordinata.*

et passim in Test. Veteri

In Novo autem Testamento similiter beata praedicatur, sed nominata: *Beata quae credidisti. Beatam me dicent omnes generationes.*[24] *Benedicta tu inter mulieres. Beatus venter qui te portavit.*

et in Novo.

III. Cum autem duplici titulo semper Virginem Deiparam Catholica Ecclesia cum muliere hac evangelica beatam praedicarit, praedicetque, summisque laudibus secundum Deum celebret; sciendum est quod primogenitus diaboli filius Calvinus, Virginis inimicus sicut et pater eius, hoc loco et mentitur et calumniatur; haec enim duo propria sunt diaboli: mentiri et calumniari; ait enim mulierem hanc Deiparae Virginis laudatricem reprehensam fuisse a Christo.[25] Nec tantum hoc loco Calvinus hoc scribit, verum etiam *Ioannis* 7 cap. super illud: *Neque enim parentes eius credebant in eum;*[26] utroque loco ait reprehensam fuisse a Christo hanc mulierem, quam ipse pro sua modestia « mulierculam » appellat.

Deipara duplici hoc titulo etiam ab Ecclesia beata praedicatur, quamvis calumniose

Sed ubinam novus hic magister in Israel,[26a] qui nonnisi Evangelium negat, reperit in Evangelio hanc reprehensionem? Ego honoratam reperio, quia dignatus eam fuit Christus divino responso, reprehensam non reperio. Vult Calvinus negasse Christum quod mulier di-

et inscite hoc neget Calvinus,

18) Cf. Ps 1, 1; Ps 111, 1 et allbi. 19) Cf. 14, 21; 28, 14 et alibi. 19*a*) Cf. Mt 11, 6; 16, 17. 20) Prv 31, 28. 21) Ibid. 31, 29-30. 22) Ct 6, 8. 23) Ibid. 6, 9. 24) Lc 1, 48. 25) *Harm. Evang.* Lc 11, 27-28. Edit. 1667, Amsterdam. 26) *Comment. in Io* 7, 5. Vulg. habet: *Fratres eius.* 26*a*) Cf. Io 3, 10.

xerat, et affirmasse quod non dixerat; sed ubi est haec negatio? Hoc tantum Christus dixit: *Quinimo, beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud.* Hoc est negare? Ubi invenit Calvinus coniunctionem *imo,* sive *quinimo,* vel, ut ipse super *Ioannem* habet,[27] *quinpotius,* negationem esse? Num, si dico: Argentum bonum est, et alius respondeat: Imo aurum, negabit bonum esse argentum? Si dicam legem Dei bonam sanctamque fuisse, et alius respondeat: Imo Evangelium, negabit legem? Si dicam Moysem legislatorem fuisse, et quis dicat: Imo Christum, negabit Moysem legislatorem? Grammaticen docendus erat Calvinus.

Sed in Ecclesiam Catholicam utroque loco maxime invehitur Calvinus. Et super *Ioannem* quidem ita mentitur et calumniatur: « Ridicula est, inquit, papistarum superstitio, qui in Virgine Maria, posthabitis omnibus aliis, solum sanguinis honorem efferunt, quasi non reprehensa ab ipso Christo fuerit mulier, quae ex media turba clamabat: *Beatus venter qui te portavit* ».[28] Hoc autem loco super *Lucam* scribens, iterum mendacii calumnia utitur; ait enim: « Mirus vero papatus stupor, quod in Mariae honorem cantillant haec verba, quibus tam diserte refellitur eorum superstitio ».[29] Plane, dicam ego, tam est superstitio haec verba in laudem Virginis pie decantare, quam diserte refellitur, cum ne unum quidem verbum sit quo laus haec refellatur; et tam ridicula est Catholicorum superstitio, quam verum est quod nonnisi sanguinis honorem efferunt in Maria. Quod caput insanum! Non laudant Catholici in Maria perpetuam virginitatem? non plenitudinem gratiae? non fidem, qua beata praedicatur, quia credidit? non divinam benedictionem? non Spiritus Sancti dona et virtutes? non summam sanctitatem?

mentiens sibi ipsi.

Docet hoc loco Calvinus quod mulier haec Christi excellentiam extollere voluit non Mariae, quam forte non noverat. Bene, sed si Christi excellentiam extulit, quomodo reprehensa fuit? Quomodo Christus negavit quod mulier alta voce praedicaverat? Quomodo haec sibi cohaerent? Num si praedicavit Christi excellentiam, et postea Christus adauxit, credendi sunt meliores Christo credentes in Christum? *Mentita est iniquitas sibi.*[30]

Deipara duplici hoc titulo etiam a Christo,

IV. Haec autem est veritas, quod cum mulier haec evangelica, fide plena et Divino Spiritu afflata, in maiorem Christi laudem cele-

27) Loc. cit. 28) Loc. cit. 29) *Harm. Evang.* Lc 11, 27-28. 30) Ps 26, 12.

licet implicite, praedicatur,

bravit laudibus Matrem, quae eum concepit, peperitque et lactavit, tanquam tanto Filio beatissimam; Christus transit a beatitudine dignitatis et felicitatis ad beatitudinem sanctitatis, quae omnibus potest esse communis. Sicut in *Psalmo 143* legimus: *Beatum dixerunt populum cui haec sunt, beatus populus cuius Dominus Deus eius,* [31] hebr.: *Beatus populus cui sic,* idest, cui sunt multa bona opesque, de quibus locutus fuerat, sed *beatus populus cuius Dominus est Deus ipsius:* transit a felicitate temporali et mundana ad spiritualem et divinam, quae apud Deum vera felicitas est; ita hoc loco Dominus transit a beatitudine, ut ita dicam, fortunae, ad beatitudinem virtutis. Summa plane est dignitas Dei Matrem esse, summa gloria; sed, sicut in mundo non qui praestantiores sunt dignitate sunt etiam praestantiores virtute, meliores sanctioresque, nec qui gloriosiores et honoratiores sunt apud homines, statim tales sunt apud Deum et Angelos ipsius, sunt enim haec diversi generis bona, illa enim ad fortunam, haec ad virtutem spectant; ita in Virgine Beatissima maternitas veluti ad fortunam spectabat, sed sanctitas ad virtutem, quae quo perfectior est, eo hominem Deo gratiorem et cariorem reddit, qua si Virgo caruisset, aeternam in coelo gloriam minime consecuta fuisset.

quia non tantum Mater sed digna Mater.

Laudamus Dei Matrem, quoniam digna Mater fuit. Sicut Apostolus ait de ministris: *Idoneos ministros nos fecit Novi Testamenti;* [32] ita de Virgine habet Ecclesia quod, Spiritu Sancto cooperante, Deus eam praeparavit ut dignum Filii habitaculum fieret. [33] Et ita semper summa cum dignitate coniuncta summa sanctitas fuit; imo praecessit sanctitas dignitatem, et propterea tantopere laudatur in Sacris Litteris maternitas, quia summa cum dignitate fuit semper summa sanctitas coniuncta: *Gratia plena, Dominus tecum.* [34]

Christus et Deipara praeferunt tamen titulum sanctitatis.

Praeferre videtur Dominus sanctitatem dignitatis Matris, nam, sicut Divus Augustinus, lib. *De Sancta Virginitate,* docet « beatior fuit Maria concipiendo mente quam ventre, felicius gestavit corde quam carne ». [35] Imo hoc ipsum visa est ipsa fecisse ac praetulisse sanctam virginitatem dignitati maternitatis divinae. Cum enim audisset ab Angelo: *Ecce concipies in utero et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum; hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur,* etc.; [36] non statim adhibuit consensum, sed ait: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* [37] Timuit ne cum Vir-

31) Vr. 15. 32) 2 Cor 3, 6. Vulg. habet: *Idoneos nos fecit.* etc. 33) Orat. post Ant. Final. «Salve Regina» Off. Can. 34) Lc 1, 28. 35) Cp. 3. Ad sensum. (P. L. 40, 398). Verb.: «Mente quam ventre» videntur esse e *Serm.* 225, n. 4. (P. L. 38, 1074). 36) 1, 31-32. 37) Ibid. 1, 34.

ginitatis iniuria aut laesione aliqua fieret Mater Dei, indicans se virginitatem maternitati praeferre; ac tunc demum consensit cum intellexit salva integraque virginitate futuram Dei Matrem, quoniam non naturali more, sed supernaturali Spiritus Sancti operatione conceptura Filium Dei erat. Sic sanctam virginitatem praetulit summae dignitati.

Deipara omnibus titulis beata: a Patre, a Sponso, a Filio

V. *Beatus venter.* Ex quatuor capitibus evenire solet mulieribus beata fortuna: vel a patre, quia, ditissimo patre nata, summopere ab ea diligitur, ac propterea ditissima dote donatur, multisque bonis a patre pro voto ditatur, sicut legimus de filia Caleb;[38] aliquando a marito, cum, mulier humili licet loco nata, vir ditissimus accipit eam in uxorem, sicut accidit Ruth moabitidi,[39] sicut accidit reginae Esther;[40] aliquando a filio ad summos gradus evecto, sicut accidit Bethsabee matri Salomonis;[41] aliquando tandem a propria virtute, sicut evenit Iudith,[42] sicut etiam Debora facta fuit princeps totius populi ob virtutem, unde et contra Sisaram obtinuit victoriam.[43]

Ita plane Virgo Deipara beata praedicatur a patre, a sponso, a filio et a propria virtute et sanctitate. A Patre Deo ditata fuit summis divinarum gratiarum divitiis; hinc ab Angelo salutata fuit: *Gratia plena* et *benedicta inter mulieres...;* sponsum etiam sortita est optimum, ipsummet Deum; filium optimum, Unigenitum Filium Dei; tandem a propria virtute: *Beata quae credidisti, quoniam perficientur ea quae dicta sunt tibi a Domino. Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud.* Hoc etiam in laudem Virginis Deiparae scriptum est semel et iterum: *Maria conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo.*[44]

et a propria virtute, quia perfectissime credidit,

et legem plenissime observavit.

Fuit etiam divinarum legum observantissima, sicut Divus Lucas testis est locupletissimus, dum narrat Christi circumcisionem et praesentationem in templo.[45] Ita quod et fidem habuit plane perfectissimam et opera item sanctissima, nam alioquin *fides sine operibus mortua est.*[46] Hoc loco Dominus et fidem et opera requirit, nam, ut ipse ait *Matthaei* 7: *Qui audit verba mea... et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui,* etc.; *qui* autem *audit verba mea... et non facit... assimilabitur viro stulto, qui,* etc.[47] Hinc Paulus: *Non... auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis,* etc.[48] Hinc Iacobus: *Estote factores legis et non auditores tantum fallentes vosmetipsos. Quia, si quis auditor,* etc.[49]

38) Cf. Jos 15, 19. 39) Cf. Ruth 4, 13. 40) Cf. Est 2, 5-17. 41) Cf. 3 Rg 1, 1 sqq. 42) Cf. Jdt 13, 1 sqq. 43) Cf. Idc 4, 1 sqq. 44) Lc 2, 19. 51. 45) Cf. ibid. 2, 21-39. 46) Iac 2, 20. 47) Vrr. 24. 26. Vulg. habet: *Similis erit viro stulto.* 48) Rom 2, 13. 49) 1, 22-23.

SERMO SECUNDUS

DE VIRGINIS DEIPARAE PURITATE NIVE CANDIDIORE

Beatus venter qui te portavit, et ubera quae suxisti. At ille dixit, etc. [1]

I. Dominus ad beatum Iob de turbine verba faciens, magnam movit quaestionem, dicens: *Nunquid ingressus es thesauros nivis? Aut thesauros grandinis aspexisti?* [2] Sed quinam, quaeso, sunt thesauri hi nivis? Si de materiali nive loquitur, quis non videt nives in altis montibus?

Nix in Scripturis hieroglyphicum puritatis et sanctitatis.

Hodie mysterium hoc declaratur in solemnitate nivina. Nix in Divinis Litteris hieroglyphicum est puritatis et sanctitatis. Hinc Isaias ait: *Si fuerint peccata vestra* sicut *coccinum, quasi nix dealbabuntur;* [3] [hinc] Regius Vates aiebat: *Lavabis me et super nivem dealbabor;* [4] hinc Ieremias: *Candidiores* sunt *Nazaraei eius nive;* [5] hinc Deus apparuit Danieli indutus veste candida ad nivis instar: *Vestimentum eius candidum* tanquam *nix;* [6] sic Christum videbimus cras in gloriosa transfiguratione: *Resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.* [7] *Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud. Quemadmodum,* inquit per Isaiam 55 Dominus, *descendit imber et nix de coelo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, et infundit eam, et germinare eam facit, et dat semen serenti et panem comedenti; sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, sed faciet quaecumque volui.* [8]

1) Lc 11, 27-28. 2) Job 38, 22. 3) 1, 18. 4) Ps 50, 9. 5) Thren 4, 7. 6) Dn 7, 9. 7) Mt 17, 2. 8) Vv. 10-11. Vulg. loc.: *Quemadmodum*, habet: *Quomodo*.

Maria nive candidior, quia eius anima absque macula peccati,

II. *Beati qui audiunt verbum Dei.* Causam reddit Christus singularis beatitudinis Mariae: singularis sanctitas; quia fuit per divinae legis perfectam observantiam nive candidior, absque omni penitus macula peccati. Hoc est quod in *Canticis* legimus: *Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te; veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni, coronaberis.* [9] Libanus hebraice idem est ac *candor*, quoniam mons ille semper conspicitur nive coopertus; hinc Ieremias 18 cap. ait: *Nunquid deficiet de petra agri nix Libani.* [10] Vocatur ergo Sponsa de Libano puritatis et sanctitatis ad coronam gloriae.

Niveus candor in anima consistit in perfecta divinae legis observantia; non maculat animam et conscientiae puritatem nisi peccatum, peccatum autem non est nisi dictum, factum aut concupitum contra legem Dei, [10a] divinae legis transgressio et coelestium inobedientia mandatorum; [11] consistit in fide et caritate integra atque perfecta: *Beati qui audiunt verbum Dei,* per fidem, *et custodiunt* per caritatem; nam: *Qui diligit me, sermonem meum servabit.* [11a]

et purior Angelis.

Niveo candore indutos legimus Angelos: *Erat autem aspectus eius sicut fulgur, vestimentum autem eius sicut nix,* [12] Christum et Deum; sic etiam hodie Mariam, quae etiam solari luce induta legitur in *Apocalypsi.* [13] Ostendit hodiernum miraculum quod Beata Maria ea puritate nituit, qua sub Deo maior nequit intelligi. [13a] Quid enim nive candidius? Purior Angelis est atque Archangelis, Cherubim et Seraphim. Ostendit quod supra modum mirabilis fuit eius puritas et sanctitas; non enim mirum est si hieme ningit, sed aestate, cum maximi calores exaestuant. Sic supra modum mirabilis fuit Maria sanctitas, sicut nix de coelo cadens media aestate in calidissima regione, ubi nunquam fere hieme ningit nisi horridissima supra modum.

Maria nive candidior per observantiam legis et victoriam in daemones.

III. Sed quomodo tam candida fuit Beata Virgo Maria? Regius Vates ait: *Si dormiatis,* vel *quiescatis, inter medios cleros,* idest, *sortes* aut *terminos, pennae columbae deargentatae et posteriora dorsi eius in pallore auri, dum discernit coelestis reges..., nive dealbabuntur,* sive *dealbabitur, in Selmon;* [14] hoc est, si intra terminos

9) 4, 7-8. 10) Vr. 14. 10*a*) Cf. D. Aug. *Contra Faustum M.* lib. 22. cp. 27. (P. L. 42, 418).
11) Cf. D. Ambros. *De Paradiso,* cp. 8. n. 39. (P. L. 14, 161). 11*a*) Io 14, 23. 12) Mt 28, 3.
13) Cf. Apc 12, 1. 13*a*) Cf. D. Anselm. *De Conceptu Virg.*, etc. cp. 18. (P. L. 158, 103).
14) Ps 67, 14-15. Verb.: *Quiescatis, terminos, dealbabitur* ex hebr., *sortes* ex graec.

iustitiae Dei legem servaveritis, non declinantes neque ad dexteram neque ad sinistram, erit anima vestra tanquam pulcherrima columba, quae nitet tanquam argentum candidissimum, et fulget ut aurum optimum; et dum coelestis Rex dispergit reges inimicos, vincendo daemonum tentamenta, anima tanquam nix candida erit, sicut nix quae perpetuo manet in monte Selmon. Sic Beata Virgo Maria fuit semper tanquam nix candidissima, divinam legem perfectissime observando, et omnes daemonum tentationes, Deo opitulante, vincendo.

Candidissima fuit semper Beata Virgo Maria; et tamen in *Canticis nigram* se dicit, quoniam, inquit, *decoloravit me sol* [15] iustitiae, Deus, cuius comparatione omnis candor creatae sanctitatis nigredo est, omnis lux obscuritas. Sic nix dum in nubibus manet in aere nigra videtur, quoniam coelo solique comparata nigra est.

Gratia Spiritus Sancti in Divinis Litteris nunc ignis dicitur, [16] nunc aqua [17] et nix, [18] sicut ipse Spiritus Sanctus in aqua promissus fuit, [19] et datus in igne, [20] quia effectus operatur tum ignis tum aquae, extinguendo amorem carnalem atque terrenum et accendendo spiritualem atque coelestem; ubi animus nive opertus est, friget ad carnalia atque terrena, tunc purus ab omni labe est superbiae, luxuriae, avaritiae et aliorum vitiorum.

Maria nive candidior quia in ea omnes thesauri nivis gratiae.

IV. *Beatus venter qui te portavit.* In hoc beatissimo ventre sunt omnes thesauri nivis gratiae; per mysterium enim divinae Incarnationis habitavit in eo omnis *plenitudo Divinitatis corporaliter.* [21]

Non candorem leprae peccati, sed puritatis a nobis requirit Deus.

V. Nix aliquando in Divinis Litteris in bonam sumitur partem, gratiamque significat; aliquando malam, et designat peccatum. Sapiens *Proverbiorum* 25 ait: *Sicut frigus nivis in die messis, ita legatus fidelis ei qui miserit illum; animam* illius *requiescere facit;* [22] hoc est: sicut gratum est frigus nivis in tempore magni aestus, ita legatus fidelis. Cap. autem 26, ait: *Quomodo nix in aestate et pluvia in messe, sic indecens est stulto gloria.* [23] Nix aliquando malum significat: *Non timebit domui suae a frigoribus nivis.* [24] *Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet caritas.* [25] In Divinis Litteris lepra candori nivis similis dicitur, ut legimus de lepra Mariae sororis Moysis et Aaron. [26]

15) 1, 4-5. 16) Cf. Lc 12, 49. 17) Cf. Io 4, 10-15. 18) S. Auctor se refert ad Ps 50, 9 et Is 1, 18, quia nix sua albedine Spiritus Sancti gratiae effectum exprimit, ut serm. praeced. n. 8 et postea ipse innuit. 19) Cf. Io 7, 38-39. 20) Act 2, 2-3. 21) Col 2, 9. 22) Vr. 13. 23) Vr. 1. 24) Prv 31, 21. 25) Mt 24, 12. 26) Nm 12, 10.

O quanta nivis huius abundantia hodie in mundo! Candor autem puritatis ubi reperitur? *Denigrata est super carbones facies eorum,* [27] ait Ieremias; et Nahum cap. 2: *Facies omnium... sicut nigredo ollae.* [28] Candorem niveum a nobis requirit Deus: *Omni tempore,* inquit Ecclesiastes, cap. 9, *sint vestimenta tua candida.* [29] Ministros templi Deus omnes voluit albis vestibus indui; [30] in *Apocalypsi* legimus quod omnes Sancti amicti sunt stolis albis; [31] Angeli vel semper in albis apparuerunt hominibus; [32] de sponsa Christi legimus in *Apocalypsi* 19 quod datum est ei, ut cooperiat se byssino splendenti et candido; byssinum enim iustificationes Sanctorum sunt. [33]

27) Thren 4, 8. 28) Vr. 10. 29) Vr. 8. 30) Cf. Ex 28, 4 sqq. 31) Apc 7, 9. 32) Mt 28, 3; Mc 16, 5; Lc 24, 4; Io 20, 12 et Act 1, 10. 33) Apc 19, 8.

5.

IN ASSUMPTIONEM

SERMONES TRES

SERMO PRIMUS

DE GLORIFICATIONE MYSTICAE ARCAE DEI MARIAE
EX INFINITO MERITO GRATIAE IPSIUS

Porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea in aeternum. [1]

Mariam veram Divinitatis arcam laudemus, cum sit infinitis laudibus digna;

I. Habendus nobis est sermo de laudibus Sanctissimae Virginis, quae viva arca Divinitatis est, hodie cum totius Israelis exultatione in terram promissionis, in ipsamque civitatem Ierusalem et in templum sanctum Domini translata et in sancta sanctorum in medio Cherubim collocata. Quoniam vero infinitis laudibus digna est, postulat ratio ut ad ipsius laudes ora solvamus; digna enim est ut ab omnibus tum hominibus in terra tum Angelis in coelo pleno ore collaudetur, quamvis nec Angeli pro dignitate eam laudare sufficiant. Orandus nobis est Deus, ut cor nostrum et labia nostra emundet sicut labia Isaiae, [2] ne cum Oza sacrosanctam hanc arcam indigne tangentes mortis rei efficiamur. [3]

festivis gaudiis exultemus, quia hodie intra

Hodie Maria Virgo Deipara, *Theotocos* et *Christotocos*, assumpta in coelum est ad aethereum thalamum, in quo Rex regum stellato

1) Lc 10, 42. 2) Cf. Is 6, 6-7. 3) Cf. 2 Rg , 6-8.

sancta sanctorum collocata est.

sedet solio; [4] unde exultant Angeli et omnes Sancti una cum Christo, dignumque est ut nos simul cum eis festivis gaudiis exultemus. Hodie noster Salomon, Rex pacificus matrem suam Bethsabee statuit a dextris suis in superna Ierusalem supra omnes Angelorum choros et sedes. [5] Hodie arca testamenti Domini in templum illata est intra sancta sanctorum; [6] haec enim arca illa est quam se vidisse in coelo Ioannes in *Apocalypsi* ait cap. 11: *Apertum est templum Dei in coelo, et visa est arca testamenti eius in templo eius.* [6a] Nam ipsemet Ioannes, cum hoc dixisset in calce 11 capitis, statim initio 12 veluti declarans mysterium, ait: *Signum magnum apparuit in coelo, mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim.* [7] Haec autem mulier procul dubio Deipara Virgo est, nam subiungit quod *peperit mulier filium masculum, qui recturus erat omnes gentes... et raptus est filius eius ad Deum et ad thronum eius;* [8] Christus autem est qui assumptus in coelum sedet a dextris Dei. [8a] Arca igitur testamenti, quam Ioannes in coelesti templo vidit, Sanctissima Virgo Maria est, arca Divinitatis, in qua inhabitavit *omnis plenitudo Divinitatis corporaliter;* [9] arca intus et foris deaurata, [10] Virgo corpore et spiritu sanctissima; arca in medio Cherubim posita, [10a] Virgo semper in coelestibus cum Angelis conversata, moribus et vita tota angelica; arca divino propitiatorio tecta: [11] *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi;* [12] arca in qua divinae legis tabulae perpetuo asservatae sunt [13] per observantiam perfectissimam et omnibus numeris absolutissimam; urna plena coelesti manna, [14] plenitudo gratiae coelestis: *Ave, gratia plena;* [15] virga quae miraculo floruit et fructificavit, [16] fecunda virginitas qua virgo concepit, virgo Deum et hominem peperit, virgo post partum permansit; [16a] hinc dicitur *halmah* [17] quod est *virgo perpetua.* Hanc igitur arcam Ioannes in Dei templo supercoelesti vidit.

Maria vera arca Domini a Ioanne in coelo visa.

Locus arcae nobilissimus; Maria vera arca Dei supra Angelos exaltata in Ecclesia triumphanti;

II. Erat autem locus arcae in templo Dei non atrium, ubi erat altare sacrificiorum et mare aeneum ad abluendas sordes, non tabernaculum exterius, quod dicebatur sanctum, ubi erat altare incensi, candelabrum aureum et mensa panum propositionis; sed tabernacu-

4) *Brev. Rom.* in Offic. Assumptionis, Ant. 2 ad Laudes. 5) Cf. 3 Rg 2, 19. 6) Cf. ibid. 8, 3-9. 6a) Vr. 19. 7) Vr. 1. 8) Apc 12, 5. 8a) Cf. Mc 16, 19. 9) Col 2, 9. 10) Cf. Ex 37, 1. 10a) Cf. ibid. 37, 7-9. 11) Cf. ibid. 37, 6. 12) Lc 1, 35. 13) Cf. 3 Rg 8, 9. 14) Cf. Hebr 9, 4. 15) Lc 1, 28. 16) Cf. Nm 17, 8. 16a) Cf. *Brev. Rom.* in Fest. Purificat. B. M. V. Resp. 1 ad 1 Lect. Matut. 17) Cf. Is 7, 14 hebr.

lum interius, quod dicebatur sanctum sanctorum,[18] ubi erat divinum propitiatorium et Cherubim gloriae, locus sacratissimus et secretissimus, in quem solus summus sacerdos semel tantum in anno poterat introire pro salute totius populi ad salvandum eum a peccatis eorum.[19] Sanctissimo ergo et nobilissimo loco arca testamenti in templo Dei sita erat. Sic « exaltata est sancta Dei Genitrix super choros Angelorum ad coelestia regna »,[19] quoniam *Maria optimam partem elegit.*

Gloria autem gratiae respondet sicut praemium merito; maiori gratiae maior gloria datur. Maria tota gratia plena supremum gratiae et caritatis gradum tenuit in Ecclesia militanti; ergo et supremum gradum gloriae in triumphanti. Sicut enim templum Salomonis in Ierusalem constructum fuit forma et figura simile tabernaculo Moysi, quod in deserto factum fuit;[20] sic Ecclesia triumphans in coelis proportione quadam respondet Ecclesiae militanti in terris. Tabernaculum Moysi in deserto figura et typus fuit Ecclesiae militantis in mundo, templum vero Salomonis in Ierusalem figura et typus Ecclesiae triumphantis in coelo.

quia tenuit supremum gradum gratiae in Ecclesia militanti.

III. Tribus partibus constabat tabernaculum: atrio, sancto et sancto sanctorum,[21] ad designandos tres status fidelium electorum in Ecclesia militanti; quorum primus infimus quidem sed bonus est incipientium et poenitentium, secundus superior et multo melior est proficientium et activorum, tertius supremus et optimus est perfectorum et contemplativorum. Hinc in domo hac, quam hodie Christus ingreditur, tres erant personae, quas Christus diligebat, Lazarus, Martha et Maria: *Diligebat autem Iesus Martham et sororem eius Mariam et Lazarum;*[22] horum autem *Maria optimam partem elegit.*

Tres partes templi Salomonis designant tres animarum status: incipientium, proficientium, perfectorum.

Primus status designatur per atrium, ubi erat altare sacrificii pro peccatis et vasa aquarum ad abluendas sordes:[23] *Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Lavabis me, et super nivem dealbabor.*[24] Secundus status per sanctum tabernaculum exterius, qui sacerdotum locus erat Deo ministrantium;[25] hinc Martha ministrat et satagit circa frequens ministerium[26] in operibus misericordiae et caritatis. Tertius status per sanctissimum tabernaculum interius, ubi Cherubim divino propitiatorio assistebant.[27] Haec est pars optima, locus divinae habi-

Atrium et incipientes;

sanctum et proficientes;

sanctum sanctorum et perfecti.

18) Cf. Ex 40, 19; 2 Par 5, 7; Hebr 9. 4. De his tribus locis deque his quae in ipsis asservabantur cf. Ex 40, 1 sqq. 2 Par cpp. 3-4; Hebr 9, 1-8. 19) Cf. Lv 16, 2; Hebr 9, 7. 19a) *Brev. Rom.* in Offic. Assumpt. 1 Ant. 1 Noct. 20) Cf. Ex cpp. 36-38. 40; 3 Rg cpp. 5-6. 21) Cf. Ex et 3 Rg loc. cit.; Hebr 9, 1-7. 22) Io 11, 5. 23) Cf. Ex 40, 28-29; 30, 1-21. 24) Ps 50, 19. 9. 25) Cf. Hebr 9, 6. 26) Cf. Lc 10, 40. 27) Cf. Ex 37, 1-9.

In sancto sanctorum arca.

tationis et quietis; hic locus erat arcae testamenti, quae inter Cherubim sita erat honoratiori loco; medius enim locus honoratior est, et honoratiori convenit personae, sicut sacerdos in altari medius stat inter ministros, Cherubim autem ibi veluti ministri erant.

Maria supremum gradum obtinet inter fideles animas

Sic Maria supremum locum et gradum tenuit in statu perfectorum. Hoc est quod in *Canticis* legimus: *Sexaginta sunt reginae..., octoginta concubinae et adolescentularum non est numerus; una est columba mea*, una est *perfecta mea, una est matri suae, electa genitrici suae. Viderunt eam filiae et beatam dixerunt*, et *reginae et concubinae... laudaverunt eam*, dicentes: *Quae est ista, quae progreditur quasi aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol, terribilis ut*, etc.[28] Quo quidem loco Spiritus Sanctus omnes fideles animas, Christi veri Salomonis sponsas, in tres ordines distinguit: in adolescentulas, quas postea filias dicit, ad designandum statum incipientium; in concubinas, quae superiori et honoratiori loco graduque potiebantur tanquam regi matrimonio coniunctae, sed superiores habebant reginas; priores enim uxores erant, sed servae, qualis fuit Agar Abrahamo,[29] Balam et Zelpha Iacobo;[30] sed reginae liberae erant et dominae, sicut fuit Sara Abrahamo,[31] Lia et Rachel Iacobo.[32]

a Spiritu S. et a I. Christo in tres ordines distinctas.

Docet etiam hoc loco Spiritus Sanctus quod animae imperfecta caritate praeditae multae sunt ac veluti innumerae, perfectiori autem caritate donatae pauciores: *Octoginta* sunt *concubinae*,[33] sed perfectissima optimaque virtute perfectae multo pauciores: *Sexaginta sunt reginae*. Quod etiam Christus ostendit, qui omnes fideles suos in tres ordines digessit: in ordinem apostolicum eligens duodecim Apostolos,[34] in ordinem discipulatus eligens septuaginta duos discipulos,[35] et tandem in reliquam multitudinem veluti innumeram credentium.

Super has omnes Maria in gratia.

Super has autem omnes electas animas unam statuit Spiritus Sanctus, quae est veluti sol inter astra: *Una est columba mea, perfecta mea, una est matri suae, electa genitrici suae*, vel, ut ex hebraico textu possumus interpretari, *una est in matrem, pura in genitricem*. Hanc omnes animae et admirantur et collaudant: *Quae est ista quae progreditur*, etc.; quod quidem omnes animae dicunt et adolescentulae et concubinae et reginae, nam ipsamet ait: *Beatam me dicent omnes generationes*.[36] Sicut autem Ioannes sole, luna et stellis

28) Ct 6, 7-9. Vulg. habet: *Una est matris suae*, et: *Beatissimam praedicaverunt*. Verba: *Matri suae* ex hebr. 29) Cf. Gn 16, 1-3. 30) Cf. ibid. 30, 3-9. 31) Cf. ibid. 11, 29. 32) Cf. ibid. 29, 18-30. 33) Ms.: *Reginae*. 34) Cf. Lc 6. 13. 35) Cf. ibid. 10, 1. 36) Lc 1, 18.

eam vidit ornatam luminibusque divinis refulgentem;[37] ita hic quoque Spiritus Sanctus eam sole, luna et stellis exornat: *Quae progreditur quasi aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol?*

ergo et in gloria.

Sic Maria in militanti Ecclesia super omnes fideles animas plenitudine gratiae fuit sublimata; sic ergo et in triumphanti; nam arca Dei sicut in tabernaculo Moysi locum habuit sacratissimum et supremum in sancta sanctorum collocata,[38] ita et in templo Salomonis nobilissimo et honoratissimo omnium loco posita fuit in sancta sanctorum in medio Cherubim.[39] Sic ergo Ioannes divinam hanc arcam vidit in coelesti templo uno tantum gradu infra thronum Dei,[40] propitiatorium enim thronus Dei erat,[40a] arca vero immediate sub propitiatorio collocata erat.[41] Sedet Christus in throno Dei ad dexteram Patris, Maria autem ad Christi dexteram collocata est, sicut Bethsabee ad dexteram regis Salomonis filii sui.[42] Thronus igitur Mariae in coelo uno gradu distat a throno Dei tanquam Genitrix et vera Mater Dei.

Arca maxima solemnitate translata in templum Domini;

IV. Maxima autem et supra modum solemnissima festivitas celebrata fuit in Ierusalem, cum sacrosanctissima arca translata fuit in templum Domini. Legimus enim *3 Reg.* 8 quod *congregati sunt omnes maiores natu in Israel cum principibus tribuum et duces familiarum filiorum Israel ad regem Salomonem in Ierusalem, ut deferrent arcam foederis Domini de civitate David, idest, de Sion. Convenitque ad regem Salomonem universus Israel... Veneruntque cuncti senes de Israel, et tulerunt arcam sacerdotes... Rex autem Salomon et omnis multitudo Israel, quae convenerat ad eum, gradiebatur cum illo ante arcam, et immolabant oves et boves absque aestimatione et numero. Et intulerunt sacerdotes arcam foederis Domini in locum suum, in oraculum templi, in sanctum sanctorum subter alas Cherubim.*[43] Idipsum legitur etiam *2 Paral.* 5; et additur quod omnes sacerdotes et levitae cantoresque omnes vestiti byssinis, cymbalis, psalteriis, cytharis, organis, tubis et aliis musicis instrumentis concrepabant.[44] Sic sacrosanctissima haec Divinitatis arca summo cum gaudio et exultatione totius paradisi transalata hodie in coelum est, Christo, omnibus Angelis Sanctisque omnibus comitata.

sic hodie Maria in coelum.

37) Cf. Apc 12, 1. 38) Cf. Ex 26, 33-34; 40, 18. 39) Cf. 3 Rg 8, 6. 40) Cf. Apc 11, 19. 40*a*) Cf. Ex 25, 22. 41) Cf. Ibid. 26, 34. 42) Cf. 3 Rg 2, 19. 43) Vrr. 1-6. 44) Cf. vrr. 12-13.

Tres translationes arcae;

Sciendum autem quod de arca illa sacrosancta in Divinis Litteris tres solemnes translationes legimus. Prima fuit a deserto in terram promissionis facta a Iosue in transitu Iordanis, *Iosue* 3;[45] altera vero facta fuit a David, cum transtulit arcam de civitate Cariathiarim in Ierusalem in montem Sion, *2 Reg.* 6[46] et *1 Paral.* 13;[47] postremo a Salomone translata fuit a civitate David in templum Domini positaque fuit in sancto sanctorum, ubi eius fuit perpetua sedes et locus.[47a]

triplex transitus Mariae: mortis, resurrectionis, assumptionis.

Ita hodie Sancta Ecclesia triplicem transitum celebrat divinae huius arcae. Primus est per mortem a deserto huius mundi ad *terram* promissionis *fluentem lacte et melle,*[48] qui fuit transitus sanctissimae et beatissimae animae; alter fuit transitus resurrectionis cum etiam caro et corpus ipsius fuit ab anima beata et gloriosa per redivivam resurrectionem glorificatum; tertius est transitus assumptionis a terra in coelum in anima simul et corpore.

Primus arcae transitus, idest, Iordanis est transitus ad iudicium.

V. Omnes transitus arcae fuerunt solemnissimi, in unoquoque enim ab universo exercitu et populo Israel comitata fuit, et in primo magnum miraculum accidit; mox enim ut arca ad Iordanem fuerit, stetit aquarum cursus, et siccatus est alveus fluminis.[48a] Iordanis *fluvius iudicii* interpretatur; omnis autem homo in morte iudicium patitur, iudicatur enim a Deo iustitia supra modum severissima et summo cum rigore de minimis etiam delictis; necesse est ut homo reddat rationem etiam de omni verbo otioso[49] et vana cogitatione, et solvere opus est omne debitum usque ad minimum quadrantem.[49a]

Maria nullum iudicium passa est in morte;

Sanctissima autem Virgo in morte nullum passa iudicium est, nullam condemnationem, quoniam nullum unquam debitum contraxit, nullum penitus peccatum vel minimum commisit. Poterat enim ipsa tanquam omni gratia plena cum filio dicere: *Venit princeps mundi huius, et in me non habet quidquam,*[50] nam ait: *Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te.*[50a]

Mariae mors dulcissima quia pergebat ad Filium.

Non fuit mors Sanctissimae Virginis amara, non terribilis, sed dulcissima et suavissima; nam si *pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius,*[51] mors Matris eius non potuit non esse pretiosissima, sicut ipsa sanctissima erat. Et si Paulus cupiebat *dissolvi et esse cum Christo,*[52] quoniam Apostolus erat Christi et vas electionis; quanto

45) Cf. vrr. 2-17. 46) Cf. vrr. 1-18. 47) Cf. vrr. 3-14. 47a) Cf 2 Par 5, 2-8.
48) Ex 33, 3. 48a) Cf. Jos 3, 14-17. 49) Cf. Mt 12, 36. 49a) Cf. ibid. 5, 26.
50) Io 14, 30. 50a) Ct 4, 7. 51) Ps 115, 15. 52) Phil 1, 23.

magis Maria, quae Mater erat Christi et arca Divinitatis? Quod si sanctus patriarcha Iacob libentissime reliquit terram Chanaam cum omnibus possessionibus quas ibi habebat, ut descenderet in Aegyptum ad videndum dilectissimum filium suum Ioseph, quem audierat ibi vivere et regnare;[53] quanto libentiori animo existimandum est Sanctissimam Virginem reliquisse hunc mundum, ut ad Filium suum pergeret, quem sciebat regnare in coelo? Fuit igitur mors Sanctissimae Virginis absque ullo dolore, absque ulla tristitia, absque ullo timore vel afflictione animi vel corporis, sed laetissima summoque gaudio plena, vocata a Filio, perrexit in coelum anima illius sanctissima omnibus Angelis et Sanctis paradisi una cum Christo comitata; sic enim arca transivit Iordanem comitata universo populo Israelis.

Secundus arcae transitus, idest, ad tabernaculum Davidis, est secundus Mariae transitus, idest, ad corporis resurrectionem.

Quod si laetissimus primus iste transitus fuit, secundus procul dubio fuit multo laetior, cum Virgo transivit per redivivam resurrectionem a morte corporis ad vitam sempiternam per corporis glorificationem. Sic David arcam transtulit in novum tabernaculum, quod ei in domo sua paraverat honorificentissimum,[54] ut regia maiestate dignum erat. Sic videmus glorificatum Virginis corpus: *Mulier amicta sole;*[55] in resurrectione enim omnes *Iusti fulgebunt sicut sol in regno* Dei,[56] sed Virgo multo erit gloriosior Iustis quibuscumque, quam sit sol ceteris astris lucidior. Hoc enim est quod *luna* Ecclesiae erit *sub pedibus eius,*[57] quoniam ipsa Domina et Regina est omnium Sanctorum; omnesque Angeli tanquam ministri assistent ei, et ministrabunt uti supremae Imperatrici, sic: *In capite eius corona stellarum duodecim;*[58] Angeli enim per duodecim alas Seraphim apud Isaiam designantur,[59] in duos divisi ordines assistentium et ministrantium. Quilibet autem ordo perfectus est, ideo senario numero, qui primus est perfectorum, describitur. Sicut autem sol excedit lucem tum lunae tum stellarum; sic Maria excedit gloriam in coelo tum hominum tum Angelorum; ideo *amicta sole* conspicitur, corpore glorificato.

Sicut sol inter astra, ita Maria resuscitata inter Angelos et Sanctos.

In secundo arcae transitu multa holocausta et laudes;

Cum translata fuit a David arca in Ierusalem per singulos sex passus offerebantur Deo holocausta; David autem ante arcam psallebat cythara et totis viribus saltabat amictus ephod lineo; sacerdotes omnes et levitae musicis instrumentis omnis generis concrepabant, et universus populus summa laetitia et exultatione iubilabat, tandemque David universo populo convivium fecit, *2 Reg.* 6[60] et *1 Paral.* 15.[61]

53) Cf. Gn 45, 28. 54) Cf. 2 Rg 6, 17. 55) Apc 12, 1. 56) Mt 13, 43. 57) Apc 12, 1.
58) Ibid. 12, 1. 59) 6, 2. 60) Cf. vv. 13-19. 61) Cf. 15, 25 sqq.; 16, 3.

Sic hodie Beatissima Virgo summa cum exultatione Angelorum et Sanctorum omnium translata est per carnis resurrectionem et glorificationem corporis ad paradisi gloriam perfectam, in Ierusalem *pacis visionem* et *duplicis pacis,* nam hebraice dicitur *Ierusalaim* duali numero, quoniam duplex est gloria animae et corporis. Existimo autem quod hodie omnes Angeli omnesque Sancti innumera laudum sacrificia et holocausta gratiarum actionum Deo obtulerint, quod voluerit tali tantoque thesauro ditare et honorare paradisum. Sicut enim sol honorat potius et decorat coelum, quam honoretur et decoretur a coelo; ita Maria honorat et glorificat paradisum sua praesentia.

In resurrectione Mariae innumera laudum sacrificia.

Tertio tandem a Salomone translata fuit arca a civitate David in templum et nobilissimam supremamque partem templi, in sanctum sanctorum. Sic tandem Maria anima et corpore glorificata translata fuit assumptaque in coelum et supremam coeli partem iuxta thronum Dei, constituta super omnes Angelorum choros et sedes, coronata Imperatrix mundi, Domina Angelorum et Regina Sanctorum omnium. Sic igitur D. Ioannes vidit sacrosanctissimam arcam hanc in coelesti templo Dei, quoniam eo hodie a Christo assumpta perductaque fuit.

Tertius arcae transitus, idest, ad sanctum sanctorum templi Salomonis, est Mariae transitus ad supremam coeli partem.

VI. Causa autem talis tantaeque gloriae et exaltationis in hodierno Evangelio exprimitur: *Maria optimam partem elegit.* Si enim hic Maria habuit optimam partem gratiae, testante Angelo, qui ait: *Ave, gratia plena;* [62] necesse est ut in coelo habeat optimam partem gloriae, nam, uti diximus, gloria respondet gratiae, sicut praemium merito et messis sementi: *Qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus,* hoc est abundanter, in *benedictionibus et metet,* [63] abundanter metet fructum centuplum vel sexagesimum vel tricesimum, prout terra bona vel melior aut optima fuerit [64] cordis praediti caritate magna, maiori, maxima.

Christus Matri dedit in coelo optimam gloriae partem, quia in terris sua industria obtinuit optimam gratiae partem.

Non fuit a Christo assumpta Maria in coelum et super omnes Angelorum choros collocata ex affectu carnis, eo quod Mater ipsius carnalis fuerit, nam ait: *Sedere... ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare...* nisi *quibus paratum est a Patre meo.* [65] *Deus* autem *spiritus est,* nec diligit nisi *eos qui adorant eum in spiritu et veritate;* [66] nec Christus largitor est gloriae quatenus homo est, sed quatenus Deus est, et cum in terris esset ex affectu carnis Matrem

62) Lc 1, 28. 63) 2 Cor 9, 6. 64) Cf. Mt 13, 8. 65) Ibid. 20, 23. 66) Io 4, 24. Vulg.: *Spiritus est Deus,* etc.

nihili curare visus est. Hinc in nuptiis dixit ei: *Quid mihi et tibi est, mulier?* [67] Alibi quoque: *Quae est mater mea?... Quicumque... fecerit voluntatem Patris mei..., ipse meus frater et soror et mater est.* [68] Mulieri etiam dicenti: *Beatus venter qui te portavit, et ubera quae suxisti,* respondit: *Quinimo beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.* [69] Affectu igitur spirituali Christus Matrem diligebat, non intuitu carnis sed spiritus, non respectu naturae sed gratiae, sed virtutis, sed sanctitatis. Propterea igitur hodie Matri dedit in coelo optimam partem gloriae, quia in terris habuit optimam partem gratiae: *Maria optimam partem elegit.* Respondet magnitudo praemii magnitudini meriti, magnitudini virtutis, magnitudini gratiae; et sicut hic *plena gratia* fuit, ita in coelo plena est gloria. Cognoscat magnitudinem gratiae, qui vult cognoscere magnitudinem gloriae.

Magnitudo gratiae Mariae infinita, sicut infinita capacitas ipsius animae.

Sed quaenam lingua dicere unquam poterit qualis et quanta fuerit gratia et sanctitas Mariae? *Ave, gratia plena.* Si vas plenum est, a magnitudine vasis sciri potest magnitudo eius quod continetur in eo. Vas autem gratiae et caritatis cor nostrum est, voluntas nostra est, anima nostra est, ad imaginem et similitudinem Dei creata, [70] quae, sicut Deus infinitus est, ita desiderio et affectu infinitae capacitatis et magnitudinis est, quam nec totus implet mundus, nec nisi solus Deus potest implere. Hinc primi parentes Dei similitudinem et aequalem gloriam concupivere. [71] Si igitur vas istud infinitae capacitatis est, infinita ergo quodammodo gratia plenum fuit, tanta ut nec desiderare potuerit maiorem: *Ave, gratia plena.* Et merito Angelus non dixit: *Ave,* fide *plena,* aut spe vel caritate vel iustitia aut prudentia, sed *gratia plena,* quoniam gratia omnes virtutes continet et dona Spiritus Sancti.

Anima Virginis vere omni gratia referta, quia in Canticis nubi assimilata ob gratiarum plenitudinem.

VII. Quod autem omni *gratia plena* fuerit Maria, Spiritus Sanctus, qui fons est totius gratiae, multis ostendit in *Cantico* Salomonis. Primo cum ait: *Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te,* idest, nulla tibi deest gratia; itemque cum ait: *Quae est ista quae ascendit de deserto sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris et universi pulveris pigmentarii?* [72] Assimilatur Maria ascendens in coelum fumo et nubeculae ex odoratissimis aromatibus omnis generis, quae reperiuntur in aromatoria apotheca Spiritus Sancti. Assimilatur nubeculae ascendenti in coelum; et forte est allusio ad nubeculam

67) Ibid. 2, 4. 68) Mt 12, 48-50. 69) Lc 11, 27-28. 70) Cf. Gn 1, 27.
71) Ibid. 3, 4-6. 72) Ct 3, 6. Vulg.: *Quae est ista quae ascendit per desertum,* etc.

illam quae ad preces Eliae ascendit de mari, moxque totum replevit coelum et copiosissimas aquas dimisit in terram ad ditandum mundum, qui tunc magna rerum penuria et maxima annonae caritate laborabat.[73] Sic Maria ascendens in coelum replevit totum paradisum gloria et Ecclesiam in terra gratia.

collo assimilata ob altiorem et utiliorem partem in mystico corpore Christi,

Hanc eandem gratiarum omnium plenitudinem in iisdem *Canticis* ostendit Spiritus Sanctus, dicens: *Sicut turris David collum tuum, quae aedificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.*[74] Mystici corporis sanctae Ecclesiae, cuius caput est Christus, nam omnes unum corpus sumus in Christo,[75] Maria collum est, quod super omnia alia membra constitutum capiti immediate coniungitur; sic Maria Christo super omnes Sanctos. Per collum caput inclinatur, per Mariam Dei misericordiam consequimur; per collum descendit influxus capitis in corpus, et ascendunt vapores a corpore in caput; sic per Mariam ascendunt orationes Ecclesiae ad Deum, et descendunt gratiae a Deo in Ecclesiam.

et collo ut turris David forti ob virtutis robur

Collum autem hoc turris fortissima dicitur, *turris David*, arx Sion, in qua *omnis armatura fortium*. Virtutes designantur per arma in symbolica theologia. Hinc P a u l u s: *Induamur arma lucis.*[76] *Arma militiae nostrae non carnalia sunt, sed potentia Deo.*[77] Accipite... *armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli; nam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in coelestibus. Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo et in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate et induti loricam iustitiae et calceati pedes in praeparatione Evangelii pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere; et galeam salutis assumite et gladium spiritus, quod est verbum Dei.*[78] Ait ergo quod ex turri hac pendent *mille clypei*, mille scuta, *omnis armatura fortium*, omnes virtutes Sanctorum; hinc dicitur *terribilis ut castrorum acies ordinata*,[79] et quasi *chorus castrorum;*[80] propterea adhuc in *Canticis* paradisus dicitur hortusque conclusus cum omnibus lignis Libani et omnibus primis aromatibus.[81]

73) Cf. 3 Rg 18. 43. 74) Ct 4, 9. 75) Cf. Gal 3. 28. 76) Rom 13. 12.
77) 2 Cor 10, 4. 78) Eph 6, 11-17. 79) Ct 6. 3. 80) Ibid. 7, 1.
81) Cf. Ct 4. 12-14.

VIII. Alia adhuc via ostendit Spiritus Sanctus omnem gratiae plenitudinem in Maria, dum eam a capite usque ad pedes laudat per singulas corporis partes; laudat enim ipsius comas,[82] tempora, sive frontem, oculos,[83] nasum,[84] genas,[85] labia,[86] dentes,[87] linguam, sive eloquium,[88] collum,[89] pectus, ubera,[90] ventrem,[91] tibias et pedes,[92] ut eam ostendat omni gratia plenam. Manus tantum laudatas minime legimus, quoniam *omnis gloria eius filiae regis ab intus in fimbriis aureis, circumamicta varietate,*[93] nam cum hodierna Maria optimam partem elegit contemplationis. Ipsa tamen de manibus suis dicit: *Manus meae stillaverunt myrrham, et digiti mei pleni* sunt *myrrha probatissima,*[94] hoc est, fuerunt eius opera perfectissima, quae suavissimum spargebant odorem, sicut, cum Maria effudit unguentum super caput et pedes Christi, domus repleta fuit ex odore unguenti.[95] Tota igitur per singulas partes laudata est, ut ostendatur omni gratia plena.

Anima Virginis vere omni gratia referta, quia a Spiritu S. a capite usque ad pedes laudata.

Quoniam vero multos legimus gratia plenos ut Ioannem Baptistam, de quo Angelus: *Spiritu Sancto replebitur... ex utero matris suae,*[96] Stephanum, de quo Lucas: *Stephanus... plenus gratia et fortitudine,*[97] Apostolos: *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto;*[98] ne hos putaremus aequales fuisse Mariae in plenitudine gratiae, ostendit Spiritus Sanctus excellentiam Mariae super omnes Sanctos, dum eam unicam statuit super omnes reginas, concubinas et adolescentulas virgines,[98a] idest, super omnes fideles electasque animas. Hoc ipsum ostendit dum ait: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias,*[99] idest, quantum excedit lilium, sive rosa,[99a] spinosas frondes roseti, tantum Virgo excedit alias omnes electas animas. Et item cum ait: *Quam pulcrae sunt mammae tuae, soror mea sponsa, pulcriora sunt ubera tua vino, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata.*[100]

Multi gratia pleni, Maria supra omnes.

Videte, quaeso, quomodo Spiritus Sanctus laudat Deiparam Virginem: *Quam pulcrae sunt mammae tuae. Quam pulcra es, amica mea, quam pulcra es!*[101] *Quam pulcri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis!*[102] *Quam pulcra es et quam decora, carissima, in deliciis!*[103] Docet modus iste loquendi quod talis tantaque fuit ple-

Plenitudo gratiae Mariae vix a Spiritu S. digne laudari potest.

82) Cf. ibid. 5. 11. 83) Cf. ibid. 1, 14. 84) Cf. ibid. 7, 4. 85) Cf. ibid. 1, 9. 86) Cf. ibid. 4, 3. 11. 87) Cf. ibid. 4, 2. 88) Cf. ibid. 4, 3. 89) Cf. ibid. 1, 9. 90) Cf. ibid. 1, 1. 91) Cf. ibid. 5, 14. 92) Cf. ibid. 5, 3. 93) Ps 44, 14-15. Vulg.: *Varietatibus.* 94) Ct 5, 5. 95) Cf. Mc 14, 3; Io 12, 3. 96) Lc 1, 15. 97) Act 6, 8. 98) Act 4, 31. 98*a*) Cf. Ct 6, 7-8. 99) Ct 2, 2. 99*a*) Hebr. enim sôsannat vel sûsann lilium et rosam significat. 100) Ibid. 4, 10. 101) Ct 4, 10. 1. 102) Ibid. 7, 1. 103) Ibid. 7, 6.

nitudo gratiae, talis et tanta excellentia sanctitatis, ut nedum omnis lingua tum humana tum angelica impar sit ad Virginem hanc pro dignitate laudandam, sed quod vix Spiritus Sancti lingua satis est ad eam dignis laudibus pro merito celebrandam, vel quod non potest humanis verbis exprimere sanctitatis ipsius divinam excellentiam, ut eam nos capere et intelligere possimus. Hinc ait: *Odor unguentorum tuorum super omnia aromata:* [104] virtus tua super omnes virtutes est, sanctitas tua super omnem purae creaturae sanctitatem, gratia tua super omnem gratiam quae vel in hominibus vel in Angelis reperitur vel reperiri potest.

Anima Virginis vere omni gratia referta quia duplici sanctitatis parte dotata.

IX. Perfectionem item et excellentiam gratiae et sanctitatis Beatissimae Virginis adhuc longa oratione describit Spiritus Sanctus in *Canticis*, dicens: *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios et ad bella doctissimi, uniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos. Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media caritate constravit propter filias Ierusalem.* [105] Haec verba dicta sunt a Spiritu Sancto immediate post illa: *Quae est ista ascendit de deserto, quasi virgula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris et universi pulveris pigmentarii?* Quae plenitudinem gratiae Beatissimae Virginis exprimunt, cuius excellentissimam perfectionem postea duabus metaphoris elegantissime declarat.

Prima sanctitatis pars: omni carere vitio.

Sanctitas nanque suapte natura duo requirit: puritatem et candorem animi, qui ab omni vitio liber sit, et copiam virtutum omnium, quae animum omni ex parte perficiant. Primam autem partem sanctitatis prima declarat metaphora, dum lectulo Salomonis regioque cubiculo, ad cuius custodiam fortissimorum militum magna deputata sit manus, comparatur. Fuit Sanctissimae Virginis cor et pectus sacratissimum semper Sancti Spiritus templum et Divinitatis habitaculum ob gratiae plenitudinem et caritatis perfectionem.

Lectulus Salomonis a timoribus securus, quia a fortibus defensus;

Caritatem autem perpetuo sex virtutes comitantur: fides, spes et quatuor cardinales. Virtutes autem omnes a daemonibus multis tentationibus impugnantur. Sunt autem multi qui fortissimo quidem animo

104) Ibid. 4, 10.   105) Ct 3, 7-10.

praediti sunt ad pugnandum contra quasvis tentationes in defensionem alicuius virtutis, puta fidei, aut iustitiae vel castitatis, qui parati sunt mortem potius subire quam virtutem, quam maximi faciunt, deserere aut violare; sed erga alias virtutes remisso et debili animo sunt; hinc facile peccant levibus tentationibus cedentes. Multi maximi faciunt fidem, sed quasi nihili caritatem; alii magni faciunt iustitiam, sed minimi castitatem; alii castitatem maxime colunt, sed non humilitatem ceterasque virtutes.

Beatissima autem Virgo fortissimo animo praedita fuit in defensionem et tutelam non unius tantum, sed omnium simul virtutum, vivacissimisque et fortissimis animi spiritibus omnes defendebat a quavis daemonum tentatione; tentata enim per omnia fuit sicut et Christus, [106] sed omnem superavit tentationem; hic nullum unquam vel minimum admisit peccatum. Hoc est quod ait: *Sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel,* quasi unaquaeque virtus decem haberet fortissimos milites in sui perpetuam custodiam praeparatos, qui militari arte praeditissimi sint, et semper armati *propter timores nocturnos,* idest, propter daemonum tentationes. Sic nullus unquam patuit inimicis accessus, et securissima semper mansit absque ulla hostium laesione, sicut lectus Salomonis in regio cubiculo. Sic declaratur prima pars sanctitatis, illibatissima innocentia et puritas animi. Constat custodia haec militum numero denario, qui sphaera numerorum est, per senarium ducto, qui primus est perfectorum, ad denotandum quod Sanctissima Virgo maxima ac supramodum perfectissima custodia cor suum perpetuo custodivit.

sanctitas Mariae a vitiis secura, quia a fortissimo eius animo defensa.

Quoad alteram vero sanctitatis partem, quae in virtutum copia consistit, ait: *Ferculum fecit sibi rex Salomon.* Quod prius dixerat lectum, nunc ferculum dicit, declaratque qualisnam lectus ille erat. *Lectulum* [106a] *fecit sibi rex Salomon de lignis Libani,* ex lignis nobilissimis et excellentissimis, quae tunc temporis in summo pretio habebantur; *columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum.* Totum composuit ex natura nobilissima et excellentissima, qualia sunt cedri Libani inter ligna, argentum et aurum inter metalla, purpura regium indumentum inter pannos. Sed tandem, ut declaret quidnam haec significent, ait: *Medium eius caritate constravit propter filias Ierusalem,* [107] hebr.: *mibanoth Ieruscalaim, supra filias Ierusalem,* idest, super omnes perfectas animas. Haec est excellentia

Secunda pars sanctitatis: virtutibus abundare.

Ferculum Salomonis natura nobilissimum significat Virginis caritatem.

106) Cf. Hebr 4, 15. 106a) Ct 3, 7-10. Sic etiam hebr. verti potest. Vulg. habet: *Ferculum.*
107) Ibid. *Medium* ex hebr.

sanctitatis, quae in caritate consistit, nam caritas *est vinculum perfectionis.* [107a] Hanc eandem excellentiam ostendit Regius Vates, dicens: *Fundamenta eius in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion,* hoc est civitatem Sion, *super omnia tabernacula Iacob. Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.* [108]

Anima Virginis vere omni gratia referta quia a Deo inter Sanctos magis dilecta, inter Electos praecipua, inter omnia nobilior.

X. Pendet gratia et gloria in Electis a Deo, sicut in astris lux a sole: *Chi scemesc umagen Iehovah Elohim, hen vecabod iitten Iehovah, sol et scutum Dominus Deus, gratiam et gloriam dabit Dominus.* [109] *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* [110] Sicut igitur illa stella in coelo maiori lumine praedita est, cui sol maiorem lucem communicat; ita illa anima maiori gratia plena est, quam Deus magis diligit, nam diligere Dei est bene velle et bene agere. Sed *diligit,* inquit, *Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob,* idest, super omnes electas et dilectas animas, nam Iacob Electorum typum gessit: *Iacob dilexi.* [111] Sicut igitur maxima et excellentissima fuit gratia et sanctitas Mariae in hoc mundo; ita maxima et excellentissima est gloria in paradiso: *Maria optimam partem elegit.*

Sancti eo sanctiores quo a Deo magis dilecti.

In unoquoque entium genere Deus praecipuum posuit;

Sicut in corporei mundi creatione Deus in unoquoque entium genere posuit unum aliquod ens, quod est omnium, quae sub illo sunt, genere excellentissimum, uti inter astra solem, inter animalia hominem, inter metalla aurum, inter lapides adamantem: sic etiam in mundo spirituali inter virtutes caritatem, inter Sacramenta Eucharistiam, inter Scripturas Evangelium; sic inter Patriarchas Abrahamum, inter Prophetas Moysem, inter sacerdotes Aaronem, inter iudices Iosue, inter reges David, inter Apostolos Petrum, inter Evangelistas Ioannem, inter diaconos Stephanum; sic inter omnes electas animas Mariam. Hoc est: *Maria optimam partem elegit:* hoc item est quod in *Canticis* legimus: *Veni de Libano, sponsa..., veni de Libano, veni; coronaberis, de capite Amana, de vertice Sanir,* [112] hebr.: *Mecum de Libano, o sponsa, mecum de Libano venies, prospicies de capite Amana,* quod interpretatur *fides, de capite Scenir,* idest, quod est *lucerna;* caput enim, idest, summum et perfectissimum gradum fidei et caritatis obtinuit. Sic: *Optimam partem elegit.*

Inter Electos Mariam.

Triplex aurum,

Sicut in natura reperitur aurum bonum, melius et optimum;

107a) Col 3, 14. 108) Ps 86, 1-3. 109) Ps 83, 12 ex hebr. 110) Iac 1, 17.
111) Rom 9, 13. 112) Ct 4, 8.

unde hebr. aurum triplici nomine designatur, vocatur enim *zahab* et *chethem* et *paz;* sic in virtutibus datur virtus bona, melior et optima; dantur enim virtutes purgatoriae, quae bonae sunt, virtutes animi purgati, quae sunt meliores, et virtutes exemplares et heroicae, quae sunt optimae. [113] *Maria optimam partem elegit.* Maria aurum optimum.

Fecit Deus mundum hunc ad instar statuae illius, quam Nabuchodonosor vidit in somnis, cuius partes quo superiores erant eo etiam nobiliores; nam pedes fictiles erant, tibiae autem ferreae, sed venter aeneus, pectus argenteum et caput aureum. [113a] In mundo hoc partes quo sunt superiores eo etiam nobiliores; super terram nobiliora elementa, super elementa nobilius coelum, supra coelum hoc visibile invisibile empyreum, supra hoc nobiliores substantiae, spiritus angelici. Idem in spirituali sanctae Ecclesiae mundo effecit; hinc in admirabili illa visione Iacob Ecclesia per scalam ascendentem in coelum designatur: *Hic domus Dei est et porta coeli;* Deus autem summitati scalae innixus erat, [114] qui Christus est, sanctus Sanctorum. In tabernaculo Domini semper ab ignobiliori ad nobiliorem partem ascendebatur, et in atrio quidem erat altare aeneum, in sancto altare aureum, idest, totum auro vestitum, sed in sancta sanctorum propitiatorium cum Cherubim, quod totum erat ex purissimo auro. [114a] In vestibus quoque summi pontificis, in quibus designabatur Ecclesia, infima erat byssina, media nobilior hyacinthina coelestis coloris, suprema, quae superhumerale dicebatur, pretiosissima erat, mira colorum varietate et multis gemmis ornata; tandem in capite laminam auream gestabat divino nomine insignitam; [115] auro autem nullum vel desiderari vel excogitari potest nobilius aut pretiosius metallum. Sic est pars optima Mariae, vere optima, qua nulla potest esse melior in pura creatura; optima pars quae sub Deo nec superiorem nec aequalem habere potest sanctitatem.

In mundo partes superiores sunt etiam nobiliores;

Ita in Ecclesia, in qua Maria optimam partem obtinet in sanctitate.

XI. Nunc, quaeso, consideremus hinc quali et quanta gloria in coelo donata sit Sanctissima Virgo Maria. Ex magnitudine et excellentia gratiae et sanctitatis coniiciamus magnitudinem et excellentiam gloriae, nam gloria respondet gratiae et magnitudini meritorum, ut Christus docuit in parabola decem mnarum: eum enim qui, una accepta mna,

Ex magnitudine gratiae coniicitur magnitudo gloriae.

113) Cf. Plotin. *De Virtute*. cp. 1. Edit. 1492, Florentiae; D. Thom. p. 1-2. q. 61, a. 5.
113*a*) Cf. Dn 2, 31-34. 114) Cf. Gn 28, 11-19. 114*a*) Cf. Ex 40. 1 sqq.; Hebr 9, 1-5.
115) Cf. Ex 28, 4-37.

decem lucratus fuit, constituit super decem civitates, et eum, qui quinque lucratus fuit, constituit supra quinque civitates.[116] Sic respondet gloria gratiae.

Minimus Beatorum fulgebit sicut sol.

Agens autem Christus de gloria Sanctorum in coelo, ait: *Fulgebunt Iusti sicut sol in regno Patris eorum*, sicut etiam Debora prophetis in suo cantico ait: *Qui diligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilent.*[117] Minimus igitur Beatus in coelo, cum iustus sit et caritate praeditus, fulgebit sicut sol. Nec simpliciter ait Christus quod *fulgebunt Iusti sicut sol*, sed *in regno Patris eorum*, idest, in paradiso, in empyreo coelo, quod secundum theologos totum est multo fulgidius sole isto. Quilibet autem Iustus in empyreo fulgebit sicut sol, tanto erit empyreo coelo lucidior, quanto sol iste reliquo coelo. Minimus igitur Beatus in empyreo coelo infinitis prope partibus splendidior erit sole isto.

Sunt gradus inter Beates,

sicut in numeris et in scala.

D. Ioannes Chrysostomus, 2 *Expositio in Matthaeum*, homilia 27, exponens illud: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista*, ait quod « omnes Sancti invicem sibi aut inferiores sunt aut priores; quare qui maiorem non habet, maior omnibus est »;[118] sicut in numeris non possunt reperiri duae numerorum species aequales, sed omnis numerus alteri comparatus vel inferior vel superior est, et propterea forte Ecclesia per scaſam Iacob designatur, nam in scala non reperiuntur gradus aequales, sed semper alius alio vel superior vel inferior est. Hoc est quod Paulus ad *Corinthios* ait quod *in Christo omnes vivificabuntur*, sed *unusquisque... in ordine suo*, sive gradu suo; *primitiae Christus, deinde ii qui sunt Christi;*[119] et sicut *stella... differt a stella in claritate, sic erit in resurrectione mortuorum.*[120] Erit igitur in paradiso multitudo Sanctorum quamvis innumerabilis, ut Ioannes in *Apocalypsi* ait: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo potest,*[121] veluti ordinatissima acies imperturbabili ordine et modo mirabili elegantissime disposita. Si igitur qui inter Sanctos ordine infimus est, infinitis prope gradibus sole lucidior erit, et gloria in reliquis qui sequuntur semper crescit pro meritis sicut in serie numerorum; bone Deus, cum sit Sanctorum innumerabilis multitudo, quisnam, inquam, mente excogitare poterit quaenam et qualis sit gloria eius animae, quae supremo gradu supra omnes Sanctos et

Ineffabilis gloria supremae animae;

116) Cf. Lc 19. 12-20. 117) Idc 5. 31. 118) P. G. 57. 421. Opus imperfectum in Matthaeum Inter opera D. Chrysostomi, nunc cuidam Ariano saec. 5 vel 6 adiudicatum. Cf. Bardenhewer, Manuale di Patrologia (vers. ital.) Roma Desclée e C. 1908. vol. 2, § 74.
119) 1 Cor 15, 22-23. 120) Ibid. 15. 41-42. Vulg.: *Sic et resurrectio mortuorum.*
121) Apc 7, 9. Vulg. habet: *Poterat.*

Electos est constituta? Et si vera Div. Thomae opninio quod omnes Angeli specie differunt, [122] ita ut quilibet Angelus veluti phoenix unica et singularis speciem constituat, sintque species rerum sicut numeri una alia semper perfectior et nobilior, et unus omnium infimus Angelus plusquam mille soles resplendeat; quis erit splendor supremi omnium?

Quae igitur gloria Mariae quae hodie super omnes Angelorum choros est ad Christi dexteram exaltata? Gloria est supra modum Angelicis etiam linguis et mentibus ineffabilis et incomprehensibilis. Sic Regius Vates ait: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate;* [123] hebr.: *Filiae regum in honoribus tuis,* sed *astitit coniux ad dexteram tuam in diademate aureo.* Omnes electae animae in paradisi gloria loco resident honoratissimo tanquam filiae regum; sed Virgo Sanctissima tanquam regina omnium, summi Regis coniux ad dexteram Christi augustissimi Imperatoris sedet; nam si *multae filiae congregaverunt* sibi *divitias,* haec *supergressa* est *universas.* [123a] Sic igitur Beatissima Virgo in coelo maxima ac prope infinita gloria et honore est coronata ex meritorum et gratiae magnitudine. Hinc ubi *Psalmo 44* legimus: *Omnis gloria eius filiae regis ab intus in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus; adducentur regi virgines post eam,* [124] hebr.: *Tota gloriosa filia regis intrinsecus propter intertexturas, induta auro in recamatis: adducentur regi virgines post eam concomitantes eam.*

gloria Mariae supra omnes exaltatae omnino incomprehensibilis.

XII. Pendet autem magnitudo gloriae primo quidem a magnitudine divinae caritatis, quae fons est omnium bonorum: *Sic... Deus dilexit mundum ut Filium suum Unigenitum daret, ut omnis,* etc. [124a] Quod si magna est Dei caritas erga omnes Electos, profecto erga Sanctissimam Virginem maxima est, cui Filium suum dedit non tantum in Redemptorem, Sanctificatorem et Glorificatorem, sed in verum naturalemque Filium. Hinc ipsa in *Canticis* divinum erga ipsam amorem ob magnitudinem plurali numero amores dicit: *Meliora sunt ubera tua vino: meliores sunt amores tui vino.* [125] Et etiam quoniam, cum multiplex sit hominis amor, in parentes, in filios, in uxorem, in fratres et sorores, in amicos et in bona quae possidet, Virgo Sanctissima omnibus hisce potita est divinis amoribus; hinc

Pendet magnitudo gloriae a magnitudine amoris Dei erga animam; Maria a Deo supra omnes dilecta, ergo supra omnes exaltata;

122) Cf. *Contra Gent.* lib. cp. 2, 93; *S. Theol.* 1. q. 50. a, 4. 123) Ps 44, 10. 123*a*) Prv 31, 29. 124) Vrr. 14-15. 124*a*) Io 3, 16. 125) Ct 1, 1. *Meliores.... amores* ex hebr.

in *Canticis* dicitur mater,[126] soror,[127] sponsa,[128] amica,[129] filia[130] Christi; dicitur civitas regia,[130a] hortus,[131] paradisus,[132] fons,[133] lectus[134] et thronus Salomonis,[135] idest Christi. Hoc autem totum ad designandam exprimendamque amoris magnitudinem. A maximo igitur amore orta est maxima gloria, veluti a maximo sole maximus radius, et maximo igne maximus calor, a maximo fonte maximus rivus.

pendet a magnitudine amoris animae erga Deum; Maria supra omnes Deum dilexit, ergo supra omnes exaltata;

Pendet item magnitudo gloriae a magnitudine gratiae et caritatis; caritas enim est quae meretur gloriam, ut Paulus docet: *Caritatem autem non habeam, nihil sum..., nihil mihi prodest.*[136] Maria autem plena fuit gratia, plena caritate: *Ave, gratia plena;* hinc introducitur in *Canticis* flagrans ardentissima caritate: *Quia amore langueo.*[137] Maria vere *ex toto corde... ex tota anima... ex tota mente et ex totis viribus* Deum dilexit,[138] adeo ut sicut vas plenum usque ad summum capax non sit maioris copiae liquoris; sic cor Mariae tanta plenum fuit caritate, ut non potuerit capax esse maioris et intensioris amoris. Sicut igitur maxima caritate Virgo Deum dilexit supra omnes Sanctos post Christum; ita a Deo maxima gloria supra omnes Electos post Christum donata in perpetuum est.

pendet a magnitudine doloris tolerati; Maria supra omnes doluit, ideo supra omnes exaltata;

Tribuitur etiam gloria patientiae et martyrio, nam ait: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.*[139] *Beati qui patiuntur persecutiones propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum coelorum.*[140] Maria autem acerbissimum martyrium passa fuit, iuxta quod Simeon praedixit ei: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius* ob Christi passionem, dixit enim: *Positus est hic... in signum cui contradicetur,*[141] ideo *tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Mortalissimo enim dolore veluti acutissimo gladio transverberatum fuit sanctissimum cor Virginis in passione Christi, cum staret iuxta crucem.[142] Nam amor mensura doloris est; qui magis amat, magis dolet, maximus amor maximi causa doloris est; Virgo autem Unigenitum Filium suum infinito prosequebatur amore tanquam unicum Dei Filium, infinitae pulcritudinis, virtutis et bonitatis. Sicut igitur acerbis-

126) Cf. ibid. 3, 11. 127) Cf. ibid. 4, 9-12. 128) Cf. ibid. 4, 8-12. 129) Cf. Ct 2, 10-13. 130) Cf. ibid. 7, 1. 130*a*) Cf. ibid. 6, 3. ubi Sponsa comparatur Ierusalem: text. hebr. comparat eam etiam *Thersa* (Vulg.: *Suavis*). quae prius fuit sedes regum Chananaeorum (Jos 12, 24) et postea regum Israelis ante Samariam (3 Rg 14, 17; 15, 33). 131) Cf. ibid. 4, 12. 132) Cf. ibid. 4, 13. 133) Cf. ibid. 4, 15. 134) Cf. ibid. 3, 7. 135) Cf. ibid. 3, 9. 136) 1 Cor 13, 2-3. Vulg.: *Non habuero.* 137) Ct 2, 5. 138) Mc 12, 30. Vulg.: *Ex tota virtute tua.* Cf. etiam Lc 10, 27. 139) Lc 21, 19. 140) Mt 5, 10. Vulg.: *Beati qui persecutionem patiuntur,* etc. 141) Lc 2, 35. 34. 142) Cf. Io 19, 25.

simum maximumque fuit ipsius martyrium in mundo, ita maxima ipsius gloria est in coelo.

Datur etiam gloria humilitati, nam *qui se humiliat, exaltabitur.* [143] *Ego Deus exaltavi lignum humile, et humiliavi lignum sublime.* [144] Sanctissimae autem Virginis maxima ac plane infinita humilitas fuit; nam in Matrem electa et exaltata ancillam se dicit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* [145] *Quia respexit humilitatem ancillae suae.* [146] Qualis igitur et quanta eius humilitas fuit, talis et tanta nunc eius gloria in coelo est. Sicut enim Deus, quoniam Moyses omnium hominum humillimus erat, [146a] super omnes homines electi populi exaltavit; [147] ita Mariam super omnes Sanctos, quoniam omnes vera cordis humilitate vicit; et sicut humillimum Davidem Deus maxime exaltavit, [148] sic Beatam Virginem. Sicut cum rex Assuerus Esther, quam ob nimiam pulcritudinem et gratiam in uxorem duxit, quamvis humillimo loco natam, in regale palatium introduxit reginamque coronavit, solemne celebravit convivium; [149] sic Deus, cum Mariam Virginem ob nimiam sanctitatem et gratiam adornasset, et in uxorem desponsasset, hodie introducens eam in regale palatium paradisi reginamque constituens, festivissimum diem maxima cum solemnitate celebravit. Sicut autem Assuerus propterea super omnes uxores et concubinas suas Esther adamavit et honoravit reginamque constituit, quoniam omnium pulcherrima et gratiosissima fuit; [150] sic Deus propterea super omnes electas animas hodie Mariam glorificavit in coelo, quoniam omnium sanctissima et gratia plenissima fuit.

pendet a magnitudine humilitatis; Maria supra omnes humilis, ergo supra omnes exaltata.

Simile: Moyses,

David,

Esther.

XIII. Sicut etiam pro salute populi Iudaeorum, qui tunc electus Dei populus erant, operante Deo, ab humillimo loco ad altissimum honoris et gloriae gradum Esther sublimata fuit, ut liberarentur ab immanissima persecutione impiissimi Aman qui totum cupiebat Dei populum perdere; [151] quapropter, cum notificatum populo fuit quod hebraea mulier regina et imperatrix constituta esset, *Iudaeis... nova lux oriri visa est, gaudium honor et tripudium;* [152] ita profecto pro salute populi Christiani Maria exaltata in coelum est reginaque et imperatrix universi coronata, ut sicut vult, ita pro bona erga nos voluntate

Maria ad utilitatem nostram exaltata, quia, ut sancta et mater nostra, vult nos adiuvare, et, ut possit, hodie thesaurorum Dei thesauraria constituta est.

143) Lc 14, 11. 144) Ez 17, 24. Vulg.: *Ego Dominus humiliavi lignum sublime, et exaltavi lignum humile.* 145) Lc 1, 38. 146) Ibid. 1, 48. 146*a*) Cf. Nm 12, 3. 147) Cf. Ex cp. 3. 148) Cf. 1 Rg 16, 12; 24, 15. 149) Cf. Est 2, 5-18. 150) Cf. ibid. 2, 15. 151) Cf. Est 4, 14; cpp. 7-8. 152) Ibid. 8, 16.

possit Dei populum ab omni adversitate liberare. Vult quidem, quoniam *gratia plena* est, idest, caritate, amore, desiderio ardentissimo salutis nostrae, quoniam ipsa mater est amantissima omnium nostrum, quasi unumquemque nostrum Christus in cruce una cum Ioanne in filium dederit, dicens: *Mulier, ecce filius tuus.* [153] Ut igitur pro voluntate et materno erga omnes animo omnes iuvare posset, in coelum assumpta est, et veluti thesauraria omnium thesaurorum Dei constituta.

153) Io 19, 26.

Aliud exordium.

Celebramus hodie mysterium plane ineffabile Assumptionis in coelum Virginis Deiparae, unde D. Bernardus aiebat: « Christi generationem et Mariae assumptionem quis enarrabit? » [1] Hinc de hoc mysterio Divinae Litterae cum admiratione loquuntur, sicut et de mysterio Ascensionis Christi: *Quae est ista quae ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris,* etc.? *Cant.* 3.[2] Et item 6: *Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol?* [3] Et cap. 8: *Quae est ista quae ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* [4] Mirabilis fuit assumptio Eliae in coelum; [5] innumeris partibus mirabilior assumptio Mariae: assumpta est super omnes Angelorum choros coelestesque hierarchias usque ad dexteram Filii in dextera Dei sedentis.

1) *Serm. 1 in Assumpt. B. V. M.* n. 4. (P. L. 183, 996). 2) Vr. 6. 3) Vr. 9. 4) Vr. 5. 5) Cf. 4 Rg 2, 11.

Porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quae non auferetur. [1]

Item aliud exordium.

Assumptionem Deiparae Virginis hodie celebramus, quae [1a] cum legitime certaverit, coronam gloriae accipit; [2] et sicut socia passionum fuit, sic fit et consolationis, [3] et sicut compassa [4] est, ita etiam conregnet. [5] Sic hodie Maria in coelum assumpta, regina coeli coronatur a Deo, sicut Esther ab Assuero coronata fuit, sicut legimus quod *adamavit eam rex plus quam omnes mulieres, habuitque gratiam et*

1) Lc 10, 42. 1a) Ms.: *Qua.* 2) Cf. 2 Tim 2, 5. 3) Cf. 2 Cor 1, 7. 4) Ms.: *Compassae.* 5) Cf. 2 Tim 2, 12.

misericordiam coram eo super omnes mulieres, et posuit diadema regni in capite eius, fecitque eam regnare..., et iussit convivium praeparari permagnificum cunctis principibus et servis suis pro coniunctione et nuptiis Esther, et dedit requiem universis provinciis, et *dona largitus est iuxta magnificentiam principalem.*[6]

Virgo Beatissima hodie assumpta est in coelum carne simul et spiritu, sicut Christus in aethera ascendit. Sicut enim usu venit quod cum rex magno principum et equitum comitatu equitat, tunc descendunt omnes ab equis cum rex descendit; sed cum ad fores regii palatii ventum fuerit, omnes relinquunt equos, solus rex equitans palatium ingreditur, et regina uxor aut mater regis pro dignitate personae; ita plane, cum Christus sit *Rex regum et Dominus dominantium,*[7] quem Ioannes in *Apocalypsi* vidit equitantem cum magno equitum comitatu,[8] nam omnes Sancti sunt equites Christi; quando ventum est ad fores palatii, omnes Sancti relinquunt equos corporum suorum, solus Christus Rex ingressus est coeleste palatium cum equo albo corporis sui; cum eo autem ingressa est super equum corporis sui Regina coelorum Virgo Beatissima.

6) Est 2, 17-18. 7) 1 Tim 6, 15. 8) Cf. 19, 11-14.

SERMO SECUNDUS

DE VIRGINE SILENTIO HONORATA ET DE GEMINA IPSIUS CARITATE

Intravit Iesus in quoddam castellum, et mulier quaedam, Martha nomine, excepit illum in domum, etc. [1]

Maria in S. Litteris sacro silentio a Spiritu S. honoratur, quia maior in silentio laus.

I. Quoniam in Sacris Litteris nihil aperte legimus de transitu Beatae Virginis nec de gloriosissima ipsius in coelum assumptione, legit sancta Ecclesia hodie Evangelium hoc de Martha et Maria Magdalena, sanctis mulieribus, devotissimis Christi hospitatricibus.

Voluit Spiritus Sanctus in Divinis Scripturis sacro quodam silentio Sanctissimam Virginem honorare, sicut arca Dei in sanctuario semper sub velo manebat abscondita, [2] ne a populo posset videri, sed sic abscondita fidelibus omnibus maximae esset venerationi. Multa tacendo et admirando potius laudantur quam loquendo, quoniam pro dignitate verbis laudari minime possunt. Hinc ait Regius Vates: *Te decet hymnus, Deus, in Sion;* [3] hebr.: *Tibi silentium laus, Deus, in Sion,* hoc est; cum incomprehensibilia et ineffabilia sint Divinitatis mysteria, sacro silentio in mentis admiratione et stupore magis laudantur, quam lingua et pleno ore. Cherubim in sancto sanctorum veluti mirantes divinum propitiatorium perpetuo silentio intuebantur. [4] Timanthes, pictor excellentissimus, cum suo penicillo luctuosissimam Iphigeniae mortem aeternitati consignaret, propinquos omnes demisso vultu flentes et lacrimantes magnumque animi dolorem exprimentes depinxit; Agamemnonen vero, amantissimum

1) Lc 10, 38. 2) Cf. Ex 26, 33. 3) Ps 64, 2. 4) Cf. Ex 25, 20.

patrem, non flentem aut lacrimantem, sed nigro velo vultu capiteque coopertum depinxit,[5] arbitratus quod sic multo melius posset summum patris dolentissimi et afflictissimi dolorem exprimere. Sic Spiritus Sanctus fecit in Virgine, ut eam Deo similem declararet.

Maria a Spiritu Sancto sacro silentio honoratur, quia ita similis Deo declaratur.

II. Duo Seraphim apud Isaiam caput sive faciem et pedes Dei alis suis operire dicuntur, tantumque media ostendebant;[6] quoniam duo Testamenta sic Dei caput et pedes velant, ut nec quod ante mundi constitutionem fuerit, nec quod post mundi finem futurum sit, explicent. Per caput enim et pedes principium et finis designantur; media tantum Dei opera ostendunt creationem, providentiam, redemptionem mundi et tandem Electorum glorificationem reproborumque damnationem manifestando. Sic de Sanctissima Virgine Spiritus Sanctus in Divinis Scripturis nec principium nec finem expressit, nec nativitatem, nec mortem; sed tantum media: quod fuerit virgo, gratia plena, super omnes mulieres benedicta,[7] quod Unigenitum Filium Dei concepit[8] et peperit virgo manens,[9] quod ipsum educaverit[10] et quod in illius passione iuxta crucem steterit,[11] aliaque id genus ipsius opera; de eius autem vel nativitate vel morte nihil omnino legimus.

De Deo et de Virgine media opera tantum nobis nota.

Hinc in *Canticis* dicitur: *Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus, emissiones tuae paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus,* sive *fructibus suavibus, cypri cum nardo; nardus et crocus, fistula et cinnamomum cum universis lignis Libani, myrrha et aloe cum omnibus primis unguentis,* sive aromatibus; *fons hortorum, puteus aquarum viventium, fluenta de Libano.*[12] O qualis paradisus, vere paradisus deliciarum Dei! Sed conclusus est; per rimulas quasdam et foramina tantum conceditur ut videri possint paradisi huius deliciae, quandiu in hoc saeculo peregrinandum nobis est. Sed satagendum pro viribus est, ut taliter in sanctitate et iustitia omnibus diebus vitae nostrae Domino serviamus,[12a] ut tandem in patria divini huius paradisi deliciis in aeternum perfrui mereamur una cum Sanctis omnibus et beatis spiritibus.

Maria hortus conclusus, idest. occultus.

III. Legens autem sancta Ecclesia Evangelium hoc in hodierna solemnitate, in Martha et Maria veluti exemplaria quaedam virtutum

Legitur hodie Evangelium de Martha et

5) Cf. Plinius, *Hist. Nat.*, lib. 35, cp. 10, pag. 620. 6) Cf. Is 6, 2. 7) Cf. Lc 1, 28. 8) Cf. ibid. 1, 31. 9) Cf. ibid. 2, 7. 10) Cf. Mt 2, 19-23; Lc 2, 40-51. 11) Cf. Io 19, 25. 12) Ct 4. 12-15. Vulg.: *Quae fluunt impetu de Libano.* Verb.: *Fructibus suavibus* ex hebr. 12*a*) Cf. Lc 1, 74-75.

Magdalena, quia imagines sanctitatis Deiparae.

Sanctissimae Virginis ostendit; sunt enim hae duae sanctae mulieres veluti duae imagines sanctitatis Beatissimae Virginis. Sicut enim omnes Sancti Veteris Testamenti fuerunt figurae Christi, ipse autem Christus omnes excessit, sicut veritas corporis figuram picturae vel statuae: *Ecce plus quam Ionas hic..., ecce plus quam Salomon hic;* [13] sic omnes sanctae mulieres fuerunt figurae Beatissimae Virginis, quae super omnes benedictas mulieres fuit benedicta. Quare ex figuris coniicienda nobis est sanctitas Mariae; ex sanctitate autem et magnitudine gratiae et meritorum magnitudo gloriae.

Sanctitas in caritate Dei et proximi. In Martha dilectio proximi, in Magdalena dilectio Dei,

IV. Omnis autem sanctitas in duabus hisce sanctis mulieribus designatur. Nam omnis sanctitas in caritate consistit, quae *est vinculum perfectionis,* [14] caritatis autem perfectio in perfecta dilectione Dei et proximi; in duabus autem hisce sanctis mulieribus elucet perfectio geminae huius caritatis et dilectionis. Hinc enim sacer evangelista Lucas, cum verba fecisset de duobus praeceptis caritatis, [15] statim hodierni Evangelii historiam enarrat, quoniam in ea elucet perfectio utriusque dilectionis: erga proximum quidem in Martha, quae *satagebat circa frequens ministerium,* [16] maxima cum sollicitudine intenta ad ministrandum suo hospiti Christo; erga Deum vero in Maria, *quae... sedens secus pedes Domini audiebat verbum* ipsius, [17] eligens optimam partem. [18] Sic designatur in Maria Sanctissima perfectio geminae caritatis, quae perfectissima fuit in ea erga Deum et hominem.

in Deipara perfectio utriusque caritatis.

13) Mt 12, 41-42. 14) Col 3, 14. 15) 10, 25-37. 16) Ibid. 10, 40. 17) Ibid. 10, 39. 18) Cf. ibid. 10, 42.

SERMO TERTIUS

DE SANCTITATE ET EXALTATIONE VIRGINIS DEIPARAE

Maria optimam partem elegit, etc. [1]

I. Agitur in hoc Evangelio non quidem de Maria Virgine, sed de Maria Magdalena. Sicut D. Paulus adducit de Christo quod dictum erat de Salomone: *Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium,* [2] quoniam Salomon figura et imago quaedam Christi fuit; ita plane hodie proponitur Maria Magdalena tanquam imago quaedam Virginis Deiparae, licet non in omnibus, sicut nec Salomon Christum in omnibus repraesentavit, neque enim possibile est ut picta imago aut sculptum simulacrum in omnibus repraesentet suum prototypum. Retulit Salomon Christum quatenus rex Israel fuit, filius Davidis, a Deo dilectus et divina sapientia plenus, non autem quoad cetera, licet etiam quatenus templum Domino aedificavit. Ita Maria Magdalena refert Virginem Beatissimam in actione quae in hodierno Evangelio tantopere laudatur a Christo; sed quatenus imago quaedam est summae virtutis summaeque sanctitatis. Sicut omnes Sancti sunt vivae quaedam imagines Christi: *Praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui,* [3] sed semper sicut Dominus ait: *Ecce plus quam Salomon hic... ecce plus quam Ionas hic;* [4] sicut homo plus est quam imago ipsius depicta; ita plane omnes sanctae mulieres in Divinis Litteris imagines quaedam fuerunt sanctissimae huius mulieris, quae

Proponuntur Magdalena et Martha ut figurae sanctitatis Deiparae: Magdalena in affectu caritatis, Martha in servitutis diligentia.

Sancti imagines Christi, sanctae imagines Deiparae.

1) Lc 10, 42. 2) 2 Rg 7, 14; Hebr 1, 5. 3) Rom 8, 29. Vulg.: *Imaginis.* 4) Mt 12, 42. 41.

benedicta dicitur *inter mulieres*,[5] idest, super omnes mulieres benedicta, quia super omnes mulieres *gratia plena*.[5a] Sic duae hae sanctae mulieres Beatissimam Virginem referunt: Martha quidem in diligentia qua Christo pro summis viribus ministrabat; Maria autem in summo cordis affectu, pietate, devotione, caritate qua tota a Christo pendebat. Sed *ecce plus quam* Martha *hic*, *ecce plus quam* Maria *hic*.

Proponuntur etiam ut figura dilectionis Dei erga Deiparam super omnes dilectam et exaltatam.

II. Dilectae erant Christo duae hae sanctae mulieres pietatis ergo: *Diligebat... Dominus Martham et sororem eius Mariam;*[6] sed super omnes creaturas dilecta est a Deo Maria. Non legimus mulieres magis laudatas: Martha in diligentia qua satagebat, ut Christo ministraret, et Maria in affectu cordis et caritate erga Christum. Sic Maria mulier est omnium laudatissima et omni laude dignissima, quoniam omnium sanctissima, omnium Deo gratissima, omnium dilectissima meritisque virtutum omnium supra quam dici aut cogitari possit plenissima, propterea omnium beatissima, omnium in coelo gloriosissima: *Beatam me dicent omnes generationes.*[7] *Beatissimam praedicaverunt.*[8] Nunc revera potest dicere Virgo Beatissima: *Quia fecit mihi magna qui potens est;*[9] neque enim sub Deo maior gloria excogitari potest gloria Virginis Beatissimae in coelo, quoniam tanquam Regina mundi sedet ad dexteram Filii ubique regnantis: *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato.*[10] Magna fecit Assuerus rex reginae Esther, sed maiora praestare potuisset, nam obtulit ei dimidium imperii sui;[11] sed Deus tali tantaque gloria donavit Mariam, ut sub Deo maior gloria excogitari non possit.

Deipara super omnes exaltata et in coelo collocata ad Dei gloriam et ad communem humani generis utilitatem.

III. Non immerito Beatissima Virgo in Divinis Litteris soli, lunae et stellae comparatur;[12] sicut enim haec condita a Deo fuerunt et in sublime coelorum posita ad perpetuam Dei gloriam et ad communem universalemque mundi utilitatem, commodum et beneficium; ita plane Virgo Beatissima creata a Deo est opus perfectissimum omnique gratia plenum, hodie autem in sublime coelorum posita et ad Christi dexteram collocata ad sempiternam Dei omnipotentis gloriam, qui tale tantumque opus super omnia Dei opera mirabilia mirabilissimum potuitque, voluitque efficere, et ad totius humani ge-

5) Lc 1, 42. 5a) Cf. Lc 1, 28. 6) Io 11, 5. 7) Lc 1, 48. 8) Ct 6, 8. 9) Lc 1, 49. 10) Ps 44, 10. 11) Cf. Est 5, 3. 12) Cf. Ct 6, 9.

neris utilitatem efformare. Sicut autem divinitus regina Esther ad communem populi cui salutem exaltata fuit, ita ut pro salute suorum nec verita fuerit se mortis periculo exponere ac vitam veluti prodigere,[13] tanta fuit praedita caritate; - mirabilis in muliere caritas erga gentiles et populares suos summa cum auctoritate coniuncta -; ita plane ad communem totius humani generis maxime vero fidelium utilitatem Virgo Deipara hodie exaltata est; ut sicut in ea summa erat caritas, unde dicta est *gratia plena,*[14] ita etiam summa apud Deum hodie ei daretur auctoritas, cum summa maiestate donata, altissima coeli Regina omniumque creaturarum Domina declarata et constituta est.

IV. Sciendum autem ad nostram consolationem quod, cum Deus nihil faciat frustra, Virgo autem Beatissima divinum opus sit super omne aliud opus creatum mirabile, non sine causa Deus ipsam summa caritate summaque auctoritate donavit: summa caritate qua dicitur *gratia plena,* et summa auctoritate qua *benedicta* dicitur *inter mulieres,* super omnes mulieres, super omnes creaturas divinis benedictionibus ditata. Sed sicut solem tali tantaque luce et calore donavit ad mundi utilitatem; ita ad humani generis salutem summa caritate et auctoritate ditavit. Ad ipsam igitur recurramus in nostris necessitatibus, quia, divina auctoritate fulta, potest, et, divina caritate affecta, vult nobis prodesse, sciens quod nostri causa sic ditata est. **Ad ipsam ergo recurramus.**

13) Cf. Est 4, 10 sqq.; 5, 1-5.

14) Lc 1, 28.

INDEX SYNTHETICO-ANALYTICUS

SERMONUM

PRIMA PARS

DE LAUDIBUS ET INVOCATIONE VIRGINIS DEIPARAE

1.

IN VISIONEM S. IOANNIS

SERMONES SEPTEM

SERMO PRIMUS

De admirabilitate Virginis Deiparae

I. Christus multis apparitionibus Ioannem consolatur, praesertim in tribulatione. — II. Sic etiam B. Virgo Ioannem apparitionibus consolatur tanquam Mater carissima filium amantissimum. — III. Singulari apparitione in Patmos Mariae magnitudo et gloria ostenduntur. — IV. Pauca in Scripturis de Virgine sicut de Deo et divinis dicuntur propter eius excellentiam. — V. Visio haec Ioannis divina Mariae magnalia demonstrat, quia excedit magnitudine et gloria apparitiones Dei et Christi. — VI. Signum significat miraculum. Maria miraculum probatur ex verbis SS. Patrum, ex figuris V. T. ipsam respicientibus, ex similitudine cum Christo, qui est inter omnia opera Dei triplex miraculum: natura, gratia, gloria. — VII. Maria miraculum in omnibus, quia miranda in conceptione, vita, morte, praesertim sanctitate. — VIII. Maria miraculum misericordiae, quia omnium et singulorum mater. — IX. Maria miraculum post mortem quia in ea omne ornamentum coeli . . . . Pag. 1-15

SERMO SECUNDUS

De nobilitate Virginis Deiparae

I. Virgo omni coeli luce circumfusa conspicitur, ut ipsius altissima nobilitas demonstretur, quia lux est nobilitatis symbolum. — II. Virgo nobilissima quadruplici nobilitate: praedestinatione, natura, gratia et gloria. — III. Nobilissima praedestinatione, quia electa Mater Dei et suprema post Christum creatura; — IV. nobilissima natura, quia anima, corpore, stirpe, moribus et Dei favore

nobilis; — V. nobilissima gratia, quia nunquam servivit peccatis, et quia princeps post Christum in gratia; — VI. nobilissima gloria, quia omnium creaturarum a Deo in coelo Regina coronata. — VII. Haec nobilitas in ea debita, quia Sponsa et Mater Dei. — VIII. Deus despicit mundanam nobilitatem, maximi vero facit nobilitatem virtutis. Maria nobilis Deo, sicut Christus et Sancti, non mundo. — IX. Quaeramus veram animi nobilitatem in puritate et gratia viventes Pag. 17-25

SERMO TERTIUS

De inaestimabilibus thesauris Virginis Deiparae

I. Maria omni coeli luce amicta, ut ostendatur thesaurus omnium bonorum coelestium; — II. thesaurus omnis bonitatis, ideo mundo utilior sole, luna et stellis; — III. thesaurus scientiae omnium rerum creatarum; — IV. thesaurus scientiae Dei, imo visionis immediatae divinae essentiae, potiori iure quam Moyses et Paulus; ideo praeter Deum nonnisi tenebras Maria videre sibi videbatur; — V. thesaurus plenissimae possessionis Dei qua Sponsi et Filii; — VI. thesaurus perfectae felicitatis et gloriae aeternae, maximae et altissimae; — VII. thesaurus perfectae sanctitatis; — VIII. thesaurus salutis omnium hominum etiam peccatorum, qui ad eam recurrunt Pag. 27-37

SERMO QUARTUS

De exaltatione Virginis Deiparae

I. Analytica comparatio statuae Nabuchodonosor, gloriae ipsius imaginis, cum Maria, imagine Dei, ostendit miram ipsius exaltationem. — II. Exaltatio Mariae supra lunam demonstrat: exaltationem ipsius supra omnes creaturas; Deus enim sol, omne quod sub Deo est, luna; luna sub pedibus Mariae, creaturae omnes sub eius imperio; — III. exaltationem ipsius supra Ecclesiam militantem et triumphantem; — IV. exaltationem ipsius supra mundum et eius bona per eorum contemptum; — V. exaltationem ipsius supra omnem creaturam perfecta fide, qua basi beatitudinis; — VI. exaltationem ipsius supra omnem creaturam eadem fide qua vita supernaturali animae. — VII. Maria imitanda est, quia omnium virtutum perfectissimum exemplar . . . . . Pag. 39-48

SERMO QUINTUS

De singularibus Virginis Deiparae praerogativis

I. De variis coronarum generibus apud antiquos et in S. Scriptura. Per coronam duodecim stellarum Maria ostenditur universalis Regina, quia duodenarius est numerus universitatis. — II. Virgo habet coronam regalitatis, quia Regina omnium Electorum et creaturarum; — III. habet coronam gloriae, quia omnibus specialibus gratiis coronata super omnes Sanctos; — IV. habet coronam duodecim stellarum significantium duodecim praerogativas ipsius: tres ex praedestinatione, tres ex temporali conceptione, tres ex Verbi incarnatione, tres ex glorificatione in coelo; — V. habet coronam sapientiae, quia possidet cognitionem creaturarum et mysteriorum Dei; — VI. habet coronam gaudii, quia Dei Electi eius corona et gaudium. — VIII. Virgo coronata sole, luna et stellis, ut possit illuminare omnes iustos et peccatores; omnes ergo ad eam recurrant . . . Pag. 49-58

SERMO SEXTUS

De Virginis Deiparae doloribus

I. Per discruciationem mulieris Apocalypsis in partu maximus Deiparae dolor ob passionem Filii significatur, quae doluit non ex partu, sed ex visione persecutionis satanae contra Filium suum. — II. Maximus dolor Virginis, a prophetia Simeonis inceptus, in passione Filii ex summo amore erga ipsum. — III. Nec fides resurrectionis nec caritas in Deum a summo dolore Virginem cohibuit, quia virtus non destruit, sed perficit naturam. — IV. Virgo multum doluit in vita Filii, maxime vero in eius passione et morte. — V. Virgo iuxta crucem exemplar patientiae in adversis tolerandis . . . . Pag. 59-69

SERMO SEPTIMUS

De gaudiis Virginis Deiparae

I. Quanto dolore Virgo affecta fuit in passione Filii, tanto gaudio in eius resurrectione. — II. Virgo pluries Filii causa exultavit in vita, maxime vero in eius resurrectione. — III. Virgo summo gaudio in resurrectione repleta, quia Filium recepit a Deo Regem universi et Ecclesiae Pontificem . . . . Pag. 71-74

2.

SUPER: MISSUS EST

SERMONES SEXDECIM

SERMO PRIMUS

De incarnationis mysterio ante omnia praedestinato

I. Incarnatio est sacramentum infinitae caritatis ab initio Angelis et Adamo revelatum. — II. Incarnatio fuit ante omnia volita: quia revelata ante peccatum et sine mentione peccati effecta; — III. quia Christus plus omnibus dilectus. caput omnium praedestinatus et omnia in gloriam eius creata; — IV. quia Christus causa exemplaris et finalis praedestinationis Sanctorum; — V. quia Christus fundamentum creationis mundi; — VI. quia praescientia peccati praesupponit praescientiam gratiae. — VII. Quia peccatum causa occasionalis tantum incarnationis . . . . Pag. 77-83

SERMO SECUNDUS

De causis divinae incarnationis

I. Per Evam et satanam ruina; per Mariam et Angelum salus. — II. Redemptio respicit non tantum hominum salutem sed et glorificationem. — III. In Evangelio vero annunciationis triplex invenitur causa: salus mundi, gloria Christi et potentia Dei . . . . Pag. 84-87

SERMO TERTIUS

De magnitudine legationis in mysterio incarnationis

I. Mysterium Incarnationis, sicut omnia alia mysteria, praefiguratum fuit in SS. Litteris et praedictum a Deo, a Prophetis et ab Angelis. — II. Magna legatio Archangeli ob excellentiam mittentis, qui est Pater excelsus; — III. ob excellentiam personae ad quam mittitur, quae est Maria Virgo, Domina mundi, omni gratia superplena; ideo laetandum nobis est quia ad nostram salutem Regina et Sponsa Dei facta est; — IV. ob excellentiam Gabrielis, qui est Angelorum princeps, cuius nomen idem est ac Vir Deus, Homo Deus; — V. ob excellentiam finis, qui fuit salus mundi in conceptione et nativitate Christi . . . . Pag. 88-93

SERMO QUARTUS

De legatione incarnationis omnium maxima

I. Omni tempore Deus beneficia mundo contulit, praesertim vero quando incarnatio facta est. — II. Praenunciatio incarnationis Christi omnium maxima: quia per Prophetas, per Angelos et SS. Trinitatem facta; — III. quia sex personae omnium maximae ingrediuntur: Pater, Verbum, Spiritus S., Christus homo, Maria, Ioseph et Gabriel. — IV. Speciatim loquendum de Christo, quia mysticus Isaac, Samson et Salomon est; — V. et de Virgine, quia mundi Regina et templum Dei, in quo oblatum fuit sacrificium omnium gratissimum et infiniti valoris, et quia porta coeli, imo paradisus. — VI. Ergo omni laude digna; et non blasphemiis dehonoranda . Pag. 94-101

SERMO QUINTUS

De incarnationis mysterii circumstantiis

I. Concipitur Dominus, Deus, Filius Altissimi, Rex, Iesus, Filius Dei; — II. a Virgine gratia plena, benedicta inter mulieres, obumbrata a virtute Altissimi; — III. modo supernaturali; — IV. ut ipse salvaret homines, et regnaret in domo Iacob . . . . Pag. 102-103

SERMO SEXTUS

De Archangeli salutatione in mysterio incarnationis

I. Hodie Virgo maxime honorata a Deo, qui eam requirit in Sponsam per summum Angelum, a quo amplissime laudatur. — II. Prima laus, quod Virgo sit sanctitate Deo gratissima et caritate coniunctissima; — III. secunda, quod sit ingenti spirituali thesauro cumulata; — IV. tertia, quod sit Deo simillima . . . . Pag. 104-107

SERMO SEPTIMUS

De causis matrimonii Virginis Deiparae

I. Annunciatio est festum Dei, Angelorum et hominum, quia incarnatio vertitur ad gloriam Dei, ad reparandas angelicas ruinas et ad salutem hominum. — II. Deus Mariam tanquam mulierem principem per nobilissimum legatum requirit in sponsam. — III. Causae matrimonii huius caritas Dei et pulcritudo Mariae virtutibus ornatissimae . . . . Pag. 108-110

SERMO OCTAVUS

De nobilissimo Virginis Deiparae matrimonio

I. Dies Annunciationis est dies laetitiae, quia Dominus venit in mundum ad salutem nostram et ad matrimonium cum Virgine contrahendum quintuplici ratione nobilissimum. — II. Matrimonium hoc est nobilissimum: a pronubo, summo Angelorum; — III. a Sponso, qui est Deus, rex, omnipotens; — IV. a fructu, qui est Christus natura, gratia, gloria perfectissimus; — V. a Sponsa, numeris omnibus absoluta; — VI. a tempore et loco . . . . Pag. 111-116

SERMO NONUS

De excellenti super omnia Virginis Deiparae matrimonio

I. Celebratio matrimonii facta inter verum Deum et Mariam. — II. Matrimonium hoc excedit omnia alia matrimonia: ob excellentiam Sponsi, qui est Dominus Deus omnipotens; — III. ob excellentiam paranymphi, Angelorum principis nobilissimi; — IV. ob excellentiam Sponsae, virtutibus et gratiis ornatissimae; — V. ob excellentiam fructuum, qui sunt placatio irae Dei, misericordiae aedificatio, creatio paradisi voluptatis Dei et conceptio Filii Dei . . . . Pag. 117-123

SERMO DECIMUS

De magnitudine mysterii in Virginis matrimonio

I. Summus princeps Angelorum ostendit magnitudinem mysterii loquens de magnitudine Dei, Christi et Mariae. — II. Ostenditur magnitudo Dei, quia altissimus, omnipotens, infinitus; — III. magnitudo Christi, quia rex magnus, princeps pacis, et per Ecclesiam mundum miraculo sibi subiecturus; — IV. magnitudo Mariae, quia ex regali stirpe, gratia et Spiritus S. donis plena et habitaculum Dei electissimum . . . . Pag. 124-129

SERMO UNDECIMUS

De insignibus Deiparae dotibus praesertim qua virginis

I. Archangeli legatio ad Virginem exordium reparationis nostrae. — II. Virgo super omnes mulieres in Scriptura celebrata: — III. quia virgo non tantum corpore, sed et spiritu; — IV. quia absque ulla maledictione imo omni laude donata, ab omnibus et quoad omnia celebrata; — V. ideo a Deo concupita, amata, honorata et laudata . . . . Pag. 130-133

SERMO DUODECIMUS

De insignibus Deiparae dotibus praesertim qua sponsae

I. Nobis laetandum in hodierna festivitate, quia consensus Virginis, ad divinam maternitatem mundo causa salutis. — II. Speciatim vero festum hoc est Dei Patris, Christi et Mariae, quorum laudes multae sunt in hodierno Evangelio. — III. Singulariter agitur de qualitatibus Sponsae quae sunt: nomen, generis nobilitas, sponsus, patria, honoris integritas, pulcritudo et maxima gratiarum dos, qua digna facta est Sponsa Dei . . . . Pag. 134-136

SERMO DECIMUS TERTIUS

De insignibus Deiparae dotibus qua virginis sponsae et matris

I. In Evangelio solemnitatis ostenditur Deipara virgo, sponsa et mater. — II. Ostenditur virgo mirabilis virginitate corporis et spiritus, quam voto Deo consecravit, sicut Patres uno ore affirmant, negantibus impio Calvino et Centuriatoribus; — III. Virgo autem singularis, purissima et laudatissima. — IV. Ostenditur Sponsa et Mater Dei, singulari exaltatione, virtute fortunaque admiranda; — V. singulari gratia, qua super omnes imago Dei simillima; — VI. singulari dignitate, potentia, sapientia et bonitate. — VII. Virgo, quia imago Dei praestantissima, omni laude digna; — VIII. et, quia singulari potentia praedita, in ea omnis fiducia ponenda . Pag. 137-147

SERMO DECIMUS QUARTUS

De divinae incarnationis animata domo

I. Nobis gaudendum, quia Maria, quae hodie Sponsa et Mater Dei fit, ex nostra stirpe est. — II. Scala Iacob est Christus, locus scalae Virgo, quia in ea Deus per hypostaticam unionem inhabitat. — III. Ob specialissimam hanc inhabitationem Maria fit: domus orationis, quia in ea Christus oravit ad Patrem; — IV. domus sacrificii, quia in ea se Christus obtulit Patri; — V. domus sanctitatis, quia in ea Auctor gratiae et sanctitatis; — VI. paradisus, quia in ea Christus habuit visionem beatificam. — VII. Quatuor mysteria in Christo, quorum sublimissimum est incarnatio in utero Virginis facta ad salvandos homines et perdendos daemones, quae theophaniis V. T. praefigurata fuit . . . . Pag. 148-153

SERMO DECIMUS QUINTUS

De effectibus matrimonii Virginis Deiparae

I. Incarnatio manifestat caritatem Dei. — II. Deus fons gratiarum, Christus fluvius, Maria aquaeductus. — III. Divinae bonitatis duplex effluxus: minor per creationem, maior per incarnationem, qua per Mariam ad nos Christus venit et cum eo omnia bona . . . . . . Pag. 154-156

SERMO DECIMUS SEXTUS

De annunciationis mysterio vitae christianae typo

I. Praenunciata fuit Christi nativitas, quia ipse futurus erat Sanctificator et Redemptor noster. — II. Ut salvemur, necessariae sunt fides et caritas. — III. Virtutes necessariae, ut Spiritus S. in animam veniat. — IV. Perfectio nobis cooperantibus a Spiritu S. efficitur . . . . Pag. 157-159

3.
IN SALUTATIONEM ANGELICAM
SERMONES DECEM

SERMO PRIMUS
De salutatione angelica in genere

I. In mundo lux a Deo praecipue laudata, quia symbolum bonitatis; sic in Ecclesia Maria eadem ratione laudata per Prophetas, maxime vero per Angelum. — II. Encomium angelicum in Virginem illustrissimum: ex laudatore, Angelorum principe; — III. ex eo quod affirmat, idest, felicitatem, salutem, integritatem, perfectionem, gaudium et laetitiam; — IV. ex eo quod excludit, scilicet, triplicem effectum peccati. — V. Honoremus Mariam, quia cultus Virginis Electorum et Catholicorum tessera est. — VI. Salutemus Mariam, maxime cum salutatione angelica, quia est compendium totius Evangelii, Redemptionis mysterium continens . . . . . Pag. 163-173

SERMO SECUNDUS
De salutatione angelica in genere

I. De Eva in S. Litteris dicitur quod similis fuit primo homini, ei coniuncta, cum ipso benedicta, mater omnium. — II. Similiter de Maria quod Christo similis fuit, ei coniuncta, cum eo benedicta, mater omnium . . . . Pag. 174-175

SERMO TERTIUS
De sacrosancto Mariae nomine

I. Gabriel ex reverentia Mariae nomen silet, sicut Hebraei nomen divinum. Nomen Mariae non ignotum in Scripturis, quia soror Moysis hoc nomine insignita ut typus Mariae fieret. — II. Mariae nomen significat: *domina* ob principatum eius super omnes creaturas; — III. *visio maris* ob ipsius magnitudinem, *mare amaritudinis* ob eius martyrium spirituale, *mare doctrinae* ob abundantiam gratiarum, *gutta maris* ob humilitatem; — IV. *rebellio eorum*, idest Angelorum, *et exaltans*, quia super omnes Angelos exaltata; — V. *luminare maris*, quia ipsa mundi, Ecclesiae et paradisi lux. — VI. *stella maris* ob protectionem in mundi procellis; — VII. *myrrha maris*, ob virginalem incorruptionem in se et pro omni hominum genere . . . . Pag. 176-186

SERMO QUARTUS
De gratiae plenitudine in Maria

I. Sicut Eva Adamo in dono iustitiae originalis, immortalitatis et felicitatis similis fuit; ita Maria Christo in plenitudine gratiae. — II. In Christo triplex gratia: unionis hypostaticae, capitis et personae. Quoad gratiam personae Maria similis Christo. — III. Maria gratia plena erga Deum, erga mundum, erga seipsam . . . . Pag. 187-188

SERMO QUINTUS

De Virginis Deiparae gratiae plenitudine

I. Singularis gratiae plenitudo super omnes Sanctos in Maria figuris praesignata et ab Angelo praedicata. — II. Quid gratia in S. Scripturis. Maria est gratia plena, quia donis omnibus locupletata et ab omni peccato immunis. — III. Plenitudo gratiae in Maria pene infinita longitudine ob diuturnitatem innocentiae, latitudine ob summam caritatem, sublimitate ob perfectionem et contemplationem, profunditate ob humilitatem et fidem. — IV. Item Mariae gratia pene infinita a magnitudine amictus, idest, solis et a magnitudine Filii sui. — Item Mariae gratia pene infinita a magnitudine amoris Dei erga eam; — VI. et a praestantia laudum et figurarum in S. Scripturis, praesertim in Canticis . . . . Pag. 189-203

SERMO SEXTUS

De Virginis gratiae plenitudine

I. Parallelismus Evae et Mariae. Quid sit Eva, ex quibus causis consistat, cur sit, qualis sit. — II. Quid sit gratia, quae causae, qui effectus, qualis et quanta gratia Mariae . Pag. 204-205

SERMO SEPTIMUS

De Virginis Deiparae divina dignitate

I. Deus ubique est, singulari modo in aliquibus locis et personis, singularissimo in Maria. — II. Maria habet quasi aequalitatem cum Deo ob infinitum divinae maternitatis favorem, quia Dominus cum ea. — III. Deus totus in omnibus est essentia, sed non idem operatur in omnibus. — IV. Deus hypostatica unione tam arcte Mariae coniunctus est, ut ipsa sit supremus gradus scalae creaturarum, imo suprema creatura. — V. Deus cum Maria perfecta caritate et mysteriorum mirifica operatione in anima et corpore. — VI. Deus cum Maria in immaculata conceptione, in vita sanctitatis et in assumptione in coelum. Item Angeli semper cum Maria . Pag. 206-216

SERMO OCTAVUS

De singularibus Virginis Deiparae benedictionibus

I. In omni multitudine praecipuum Deus posuit, inter mulieres Mariam benedictione. — II. Maria super omnes benedicta: quia exclusa a triplici prima maledictione doloris in partu, concupiscentiae in conceptu, servitutis in coniugio; — III. quia ditata benedictione utriusque Testamenti fecunditatis et virginitatis; — IV. quia habet sponsum Spiritum Sanctum et filium Unigenitum Dei. — V. Quia ante partum, in partu et post partum virgo permansit; — VI. quia miris laudationibus in Scripturis praesertim in Canticis exaltata; — VII. quia supra omnes gratiam accepit, quam supra omnes sua industria multiplicavit, et ideo supra omnes gloriam consecuta est Pag. 217-231

SERMO NONUS

De Virginis Deiparae divina maternitate

I. Divina maternitas summa laus est et basis omnium laudum Virginis. — II. Virgo Deipara ob divinam maternitatem haereticorum persecutionibus semper lacessita, ab Ecclesia vero benedicta. — III. Virgo omni laude digna: quia hac dignitate nobilissima; — IV. quia hac dignitate eandem habet quam Filius benedictionem; — V. quia fructum ab initio statim undequaque perfectum protulit; — VI. et ab omnibus in Scripturis benedictum . . . Pag. 232-242

SERMO DECIMUS

De Virginis Deiparae potentia et misericordia

I. Arca testamenti Israelitarum spes; Maria arca Divinitatis spes Christianorum. — II. Maria a Christo omnipotentia donata, quia ab ipsa rex Ecclesiae incarnatione coronatus fuit; — III. et quia ab ipsa regni davidici heres incarnatione factus. — IV. Maria tota bonitas erga fideles in terris ut patet in nuptiis in Cana Galilaeae; — V. ergo et in coelis, quia in ea sublimatio amorem erga nos non minuit sed auxit. — VI. Virgo summopere colenda, imitanda, invocanda. — VII. Contra haereticos Virginis cultus defenditur ex Patribus, ex Scriptura, ex more Ecclesiae et ex ratione. Pag. 243-254

4.

IN CANTICUM VIRGINIS

SERMONES DECEM

SERMO PRIMUS

Magnificat canticum laudis

I. Magnificat laudis canticum est. — II. Tripliciter mirabile ab auctore, ab actione et ab obiecto. — III. Auctor est Maria, nobilissima natura et gratia super omnes creaturas. — IV. Ideo actio eius sive laus, super omnes laudes nobilissima; — V. qua actione obiectum, Deum, affectu maiorem facit . . . . Pag. 257-259

SERMO SECUNDUS

Magnificat canticum sapientiae et pietatis

I. Magnificat primum canticum N. T. — II. Plenum sapientia et pietate, quia Maria in sapientia et pietate est perfecta. — III. Ideo plenum sapientia, quia de Deo altissime loquitur; plenum pietate, quia Deo ferventi cordis affectu gratias agit. — IV. Plenum item sapientia, quia Dei magnitudinem laudat; et pietate, quia in Deo exultat . . . . Pag. 260-265

SERMO TERTIUS

Magnificat canticum excellentiae

I. Magnificat excellentissimum ab auctore, subiecto, causa et arte. — II. Ab auctore, qui est Maria regiae stirpis, at humilis, fervida et Deo simillima; — III. a subiecto quod est Deus, summa bonitas; — IV. a causa, quae est Deus, summus benefactor, praesertim Virginis; — V. ab arte, quae divina est ex septuplici Spiritus Sancti dono . . . . Pag. 266-269

SERMO QUARTUS

Magnificat canticum encomii gratiarum actionis et laudis

I. In Magnificat quatuor consideranda sunt: quis canit, quid, quomodo et ad quid canitur. — II. Canit Deipara humillima; — III. devotissima, quia laudat Deum ex toto corde; — IV. gratissima, quia Deo gratias agit animo, lingua, opere; — V. laetissima spirituali gaudio . . Pag. 270-272

SERMO QUINTUS

Magnificat canticum suavitatis

I. Magnificat canticum suavitatis: a consonantia facultatum Canentis; — II. ab amabilitate Canentis; — III. ab intensitate affectus Canentis; — IV. a dulcedine cantus tripliciter nobilis Pag. 273-276

SERMO SEXTUS

Magnificat canticum humilitatis et exaltationis

I. Summa humilitas et summa exaltatio Deiparae. — II. Deipara simillima Christo in humilitate; — III. simillima et in gloria coelesti . . . . Pag. 277-279

SERMO SEPTIMUS

Magnificat canticum humilitatis

I. Insignis humilitas necessaria in Deipara, ut Dei habitatio fieret. — II. Deipara hac humilitate Deo grata et ab omnibus glorificata. — III. In hac a nobis imitanda, ut exaltationem consequamur; — IV. propter hanc cum fiducia ad Mariam accedendum; — V. et haec suo exemplo a nobis exercenda . . . . Pag. 280-283

SERMO OCTAVUS

Magnificat canticum humilitatis gloriae et gratiae

I. B. Virgo suam glorificationem praedicit; — II. quam summa humilitate consecuta est. — III. Humilitas Deiparae basis eius gratiae. — IV. Humilitas Deiparae profundissima fuit . . Pag. 284-288

SERMO NONUS

Magnificat canticum magnificentiae

I. *Magna* significat miracula. — II. Deipara ideo magna: quia Deus in ea magna miracula operatus est; — III. quia cumulo bonorum omnes creaturas excedit. — IV. Virgo magna ad utilitatem nostram . . . . Pag. 289-293

SERMO DECIMUS

Magnificat canticum potentiae sanctitatis et misericordiae

I. Virgo B. Deum celebrat titulis potentiae, sanctitatis et misericordiae. — II. Virgo Deipara super omnia potentiae, sanctitatis et misericordiae opus. — III. Virgo Deipara quidquid a Deo accepit ad nostram utilitatem confert . . . . Pag. 294-298

5.

SUPER: BEATUS VENTER

SERMONES QUINQUE

SERMO PRIMUS

De Virginis Deiparae divina maternitate

I. Insignis mulieris evangelicae laus in Deiparam ratione temporis, loci, modi et finis laudis. — II. Deipara laudata ab omnibus, etiam a Christo. — III. A muliere evangelica Deipara laudata a dignitate, quia vera et naturalis Mater Dei, ut patet ratione theologica, testimonio S. Scripturae et Traditionis. — IV. Deipara etiam a nobis laudanda . . . . Pag. 301-308

SERMO SECUNDUS

De Virginis Deiparae fecunda virginitate

I. Semper Virgo laudanda. — II. Virgo laudanda a virginali fecunditate, quae probatur ex figuris biblicis, vaticiniis, testimonio Patrum et Sibyllarum. — III. Deus animi puritatem et bonorum operum fecunditatem requirit . . . . Pag. 309-313

SERMO TERTIUS

De praeclara Virginis Deiparae beatitudine

I. Virgo bonis cumulata propter divinam inhabitationem. — II. Beatitudo bonorum omnium affluentia. Virgo beatissima: quia bonis locupletata; — III. quia Deum possidet, fontem bonorum omnium et amantissimum Patrem, Filium et Sponsum; — IV. quia Deum communicatione et coniunctione omnium maxima possidet. — V. Virgo beatissima beatitudine interiori. — VI. Reverentia et fiducia honoranda est Virgo Deipara . . . . Pag. 314-320

SERMO QUARTUS

De honore Virgini Deipara debito

I. Honoranda est Virgo Deipara convenienti honore et reverentia; — II. secundum suae virlutis et dignitatis proportionem. — III. Ex Scriptura S. eruitur quod Sancti honorandi sunt; potiori iure Virgo. — IV. Arca testamenti adoranda; magis Virgo, vera arca Dei. — V. Virgo honoranda propter divinam praesentiam, dignitatem, sanctitatem et gloriam . . . . Pag. 321-327

SERMO QUINTUS

De beatitudine et patrocinio Virginis Deiparae

I. Beatitudo titulus Dei proprius, quam ipse etiam Sanctis communicat. — II. Virgo Deipara tripliciter beata, quia beatitudinem gratiae, gloriae et ipsius Dei possidet. — III. Virginis beatitudo beatitudini divinae similis, quae maxime in communicatione consistit. — IV. Virgo benefacere potest, scit et vult. — V. Ideo beatus qui sub eius protectione vivit . . . . Pag. 328-332

6.

SUPER: FUNDAMENTA EIUS

SERMONES SEX

SERMO PRIMUS

De fundatione mysticae civitatis Dei Mariae

I. David multa de Christo et Maria canit, de qua praesertim in Ps. 86. — II. Prima Virginis laus est eius omnimoda perfectio; — III. secunda est infinitus eius valor: — IV. ob pretiositatem fundamentorum; — V. ob civitatis fundatae principalitatem; — VI. of fundationis solemnitatem; — VII. ob fundationis nobilitatem; — VIII. et sublimitatem. — IX. Etiam nos cum Maria commune habemus fundamentum fidei, quae in contemplatione, in humilitate et caritate est exercenda . . . . Pag. 335-344

SERMO SECUNDUS

De singulari Dei amore erga mysticam civitatem Dei Mariam

I. Dilectio Dei bonorum collatione erga Ierusalem figura dilectionis Dei erga Virginem. — II. Amor Dei causa princeps exaltationis Virginis. — III. Amoris Dei quadruplex effectus erga Virginem: praedestinatio, vocatio, iustificatio et glorificatio supra omnes Sanctos. — IV. Ex maxima Dei dilectione erga Mariam oritur istius potentia. — V. Maria dilecta qua filia, regina et compendium Dei bonorum, sicut Christus rex, filius et Dei bonorum compendium. — VI. Maria sponsa dilectissima Dei, ideo omnia Dei bona possidet. — VII. Maria supremus gradus Dei amoris, ideo cor Dei possidet. — VIII. Ex reciproco amore Dei et Mariae misericordia Virginis in homines oritur. — IX. Omnes causae amoris in Virgine, ideo arx Trinitatis facta . . Pag. 345-354

SERMO TERTIUS

De magnitudine mysticae civitatis Dei Mariae

I. Ierusalem laudata ut civitas perfecti decoris et gaudium universae terrae, Maria vero multiplici ratione celebrata. — II. Magnus Dominus in omnibus operibus suis, maior in Maria. — III. Magnitudo Mariae erigitur super bases potentiae, sapientiae et bonitatis Dei; — IV. super basim divinae sapientiae, ob eius admirabilitatem; — V. divinae potentiae ob gratiarum et mysteriorum ornamenta; — VI. et divinae bonitatis ob eius supremam glorificationem in terra et in coelo. — VII. Mundus servatur eius sanctitatis meritis . . . . Pag. 355-363

SERMO QUARTUS

De nobilitate mysticae civitatis Dei Mariae

I. In arce Sion omnis nobilitas Israel et Ierusalem collecta, in Virgine omnis totius Ecclesiae nobilitas. — II. Maria nobilis nobilitate Christi, quia in ea Altissimus natus est. — III. Christus nobilis nobilitate naturae, gratiae et gloriae; item Maria. — IV. Ab Isaia et David Sion laudata a fortitudine, a fundatore, a sanctitate civium et a divina protectione, Maria, praeter haec, laudata quia in ea Deus natus est. — V. Maria mater Christi et omnium Christianorum. Pag. 364-371

SERMO QUINTUS

De dignitate mysticae civitatis Dei Mariae

I. Dignitas divinae maternitatis tanta est ut, ad eam credendam, divina opus sit auctoritate. — II. Dignitas divinae maternitatis prope infinita, ideo iam ab initio a Deo praedicta; — III. ideo inter laudes Canticorum praecipua; — IV. ideo a Deo super omnia opera sua laudata; — V. usque ad admirationem; — VI. et similibus laudibus, quibus Christus, ab omni lingua exaltata; — VII. ideo fides in eam ab ipso Deo in hominum cordibus plantata . . . Pag. 372-377

SERMO SEXTUS

De felicitate mysticae civitatis Dei Mariae

I. Civitas ab habitatoribus maxime commendatur. — II. Civitas felix ob concordiam et pacem; Maria semper in pace. — III. Felix etiam ob bonorum copiam; in Maria omnes fontes bonorum Dei . . . . Pag. 378-380

7.
SUPER: SALVE REGINA

SERMONES SEX

SERMO PRIMUS

De exordio invocationis: potentia Virginis

I. Praecipuum Ecclesiae ornamentum Maria. Cultus Mariae cultui Christi similis. — II. In oratione ad Virginem a laudibus exordium capiendum, ut ab Ecclesia fit in Salve Regina, quia Virgo fons omnium gratiarum. — III. Quia multis titulis laudabilis, praesertim Reginae. — IV. Summae Virginis dignitati et auctoritati respondet erga nos caritas . . . . . Pag. 383-387

SERMO SECUNDUS

De exordio invocationis: potentia et misericordia Virginis

I. Virgo invocatur ut Regina et Mater, quia similis Deo, cui praecipue potentia et bonitas tribuuntur; et Christo, qui est Rex et Pastor. — II. Virgo Regina potentissima; — III. mater misericordiae, mare gratiarum. — IV. Mater misericordiae et fons gratiarum, sed pro nostra utilitate. Pag. 388-392

SERMO TERTIUS

De Virgine Deipara arbore magna gratiarum

I. Christus et Maria magnae arbores dicti, quia magni et onusti fructibus. — II. Maria arbor summe utilis et iucunda, quia fructus eius sunt vita, dulcedo et spes nostra. — III. Maria vita, dulcedo et spes nostra, quia mater misericordiae. — IV. Beati qui Virginem colunt . Pag. 393-396

SERMO QUARTUS

De Virgine Deipara advocata nostra

I. Christus advocatus noster, Maria advocata nostra. — II. Magni refert pro se advocatum habere. — III. Qualitates advocati: sapientia, probitas, caritas dicendique peritia plenissime in Christo et Maria. — IV. Maria advocata nostra, gratissima apud Deum, et ideo omnia obtinet. Pag. 397-399

SERMO QUINTUS

De Virgine Deipara summa advocata

I. Magnum beneficium Hebraeis habuisse mediatores apud Deum. — II. Maria magnum Ecclesiae beneficium, quia inter Deum et Christianos mediatrix. — III. Eius oratio super omnes Sanctorum orationes Deo gratissima. — IV. Eius oratio pro nobis continua. — V. Beati qui vera devotione in Virginem feruntur, quia ipsa omnium beneficiorum causa est . . . . Pag. 400-403

SERMO SEXTUS

De duodecim titulis sanctissimi Mariae nominis

Pag. 404

SECUNDA PARS

SERMONES
DE FESTIS BEATAE MARIAE VIRGINIS

1.
IN CONCEPTIONEM IMMACULATAM
SERMONES UNDECIM

SERMO PRIMUS

De conceptione immaculata in genere

I. Deus mysticam suam domum, Mariam, non in peccato originali, sed in gratia et virtute fundavit, ut eius dignitatem decuit. — II. De hac mystica domo, ut eius magnitudo a magnitudine Dei coniiciatur, S. Scriptura silet. — III. Tempore D. Auctoris hoc dogma liberum erat; sed ut Maria crederetur sine peccato concepta, tanquam pietati magis consentaneum et Virgini magis favorabile, Ecclesia propendebat; — IV. quia Deus Virginem a peccato praeservare potuit; — V. et quia voluit ob Christi, Dei et ipsius Virginis honorem; — VI. et quia SS. Litterae, dum generaliter loquuntur, non omnes et singulos semper includunt; — VII. imo, cum de Virgine loquuntur, nullam de peccato mentionem faciunt, quin potius totam immaculatam innumeris figuris praedicant; — VIII. praesertim figura arcae eiusque mensuris. — IX. A S. Scriptura nobis relinquitur, ut credamus Virginem sanctificatam in primo instanti suae Conceptionis. — X. Ecclesia in sententiam immaculatae conceptionis propendit . . . . Pag. 407-421

SERMO SECUNDUS

Lux infinita gratiae Maria ideo immaculata

I. Sicut ex infimis elementis pretiosissimae res, et e tenebris lux, ita e peccatoribus Maria immaculata. — II. Maria lux: quia aurora ex qua sol iustitiae, Christus; — III. quia in luce gratiae concepta et a tenebris peccatorum segregata; — IV. quia lucem habet aurorae contra peccatum originale, lunae plenae contra peccatum mortale, solis contra peccatum veniale, et duodecim stellarum in capite ad designandam eius gratiam initialem maiorem quam gratiam consummatam omnium Sanctorum; — V. quia in luce prima et nova ab ore Dei procedente figurata; — VI. ideo supra omnes et ab omnibus, praesertim a Sponso in Canticis laudata: — VII. in superiori portione quoad mentem, ob contemplationem, fidem et caritatem, scientiam spiritus, iudicii rectitudinem,

eloquentiam in oratione, optimam voluntatem, ordinatas passiones et constantiam in virtute; — VIII. in media portione quoad pectus, ob summam maternam pietatem erga nos et quoad ventrem ob temperantiam in delectabilibus; — IX. in inferiori portione quoad femora, ob fortitudinem et quoad gressus ob rectitudinem et perfectionem in actionibus. — X. Maria ideo immaculata, quia totam vitam duxit cum Christo in omnibus virtutibus. — XI. Maria nova lux est, nova mulier, quia sine peccato originali concepta . . . . Pag. 422-437

SERMO TERTIUS

Vera divinitatis arca Maria ideo immaculata

I. Maria formata fuit, ut dignum habitaculum Dei humanati esset. — II. Res pretiosissimae et innumerae, quae paravit David ad reponendam dignissime arcam Dei, figura eorum quae Deus facturus erat circa veram Divinitatis arcam Mariam. — III. Maria, vera arca Dei, ex pretiosissimis condita quoad naturam et gratiam. — IV. Divinitatis arca Maria immaculata evincitur: ex auctore Spiritu Sancto; — V. ex habitatore Christo, qui pro facultate Matrem immaculatam voluit; — VI. ex Mariae immunitate ab omni peccato actuali; — VII. ex Dei potentia, sapientia et bonitate manifestandis; — VIII. ex natura peccati originalis. — IX. Ergo, saltem ex devotione et decentia, Virgo immaculata credenda est . . . . Pag. 438-448

SERMO QUARTUS

Domus Incarnati Verbi Maria ideo immaculata

I. Mulier evangelica et Iacob admirabundi de Incarnati Verbi domo. — II. Mirabiles domus creaturarum, mirabilior domus Dei. — III. Mulier geniti hominis prima domus, Maria Incarnati Verbi, ideo ab ipso magnificentissime exornata; — IV. et fundata supra celsissimam sanctitatem, sine originali peccato. — V. Maria omnibus gratiis Spiritus Sancti ditata pro dignitate Christi et hominum necessitate . . . . Pag. 449-452

SERMO QUINTUS

Habitaculum Dei Maria ideo immaculata

I. Virgo immaculata est: quia eius conceptio Christi conceptioni persimilis; — II. quia dignum Christi habitaculum; — III. quia Dei habitaculum et arca; — IV. quia tabernaculum Dei et templum Salomonis; — V. quia arca salvata ex aquis diluvii et Iordanis; — VI. quia hoc privilegio a Deo donata . . . . Pag. 453-460

SERMO SEXTUS

Civitas Dei Maria ideo immaculata

I. Flumen gratiae laetificavit civitatem Dei Mariam et impedivit ne vel gutta fluminis iniquitatis eam tangeret. — II. Maria triplici ratione civitas Dei: — III. quia, scilicet, a Deo condita supra montes, idest, supra omnes Electos, ideo immaculata; — IV. quia a Deo inhabitata et

super omnia tabernacula ab ipso dilecta, ideo immaculata; — V. et quia praestantissima magnitudine, pulcritudine et fortitudine fabricata, ideo immaculata. — VI. Maria templum Dei ob eiusdem inhabitationem in ea, mons Sion ob eius altam contemplationem, civitas Dei ob magnitudinem meritorum . . . . Pag. 461-467

SERMO SEPTIMUS

Templum Domini secundum Maria ideo immaculata

I. Conceptio immaculata Mariae humanae salutis exordium. — II. Fundatio secundi templi manificentior quam primi. — III. Eva, templum Dei primum, toto decore gratiae iustitiae originalis ornata; — IV. a satana igne cupiditatis combustum et inde malorum chaos. — V. Templum Dei Maria maiori cum gloria reaedificatum, nunquam ruiturum, fundatum in vertice sanctitatis ceterarum creaturarum, ideo immaculata. — VI. Maria immaculata quia similis Deo; peccatum enim est habitus dissimilitudinis cum Deo. — VII. Maria immaculata, quia Deo propinquior. — VIII. Maria sine peccato actuali, ergo et sine originali. Expenditur Sanctorum Thomae et Bernardi sententia. — IX. Maria immaculata ex festo ab Ecclesia instituto. — X. Dignum est nos Mariam titulo immaculatae honorare . . . . Pag. 468-478

SERMO OCTAVUS

Vera sponsa et mater Dei Maria ideo immaculata

I. Sicut ex primo principio in scientiis omnes conclusiones, ita ex eo quod Virgo est Dei Genitrix omnes eius praerogativae et etiam immaculata conceptio. — II. Maria immaculata: quia vera Sponsa et Mater Dei; — III. quia non solum Mater, sed digna Mater Christi, qui infinito honore dignus est; hinc nobilissima secundum carnem et spiritum creata; — IV. quia coelestis mulier ex qua homo coelestis, Christus. — V. Deus delectatur spiritus et carnis virginitate; ideo animae a vitiis se abstinere et in virtutibus proficere debent . . . . Pag. 479-485

SERMO NONUS

Sanctior sanctis sponsa Domus porta Dei Maria ideo immaculata

I. Conceptio et nativitas Mariae similis conceptioni et nativitati Christi. — II. Conceptio immaculata Virginis conveniens fuit: ut vacuus locus in emundatione a peccato et in sanctitate impleretur; — III. ut Maria digna Spiritus Sancti Sponsa esset; — IV. et domus Incarnati Verbi; — V. et porta, per quam ingrederetur in mundum Incarnatum Verbum. — VI. Maria est porta coeli, per quam Christus intravit in mundum, et iusti intrant in coelum . . . Pag. 486-493

SERMO DECIMUS

Radix humanitatis cubiculum Dei aqua pura Maria ideo immaculata

I. Maria immaculata est; quia radix humanitatis ab exterminio peccati originalis praeservata. — II. Quia intimum cubiculum Dei facta; — III. quia in generationum decursu a fonticulo originalis peccati non infecta. — IV. Summa cum reverentia et fiducia ad Mariam accedendum. — V. Maria immaculata, idest, semper sine macula et a flammis concupiscentiae omnino illaesa Pag. 494-496

SERMO UNDECIMUS

Multis rationibus Maria immaculata

I. Quamvis nulla mentio in Scripturis de conceptione immaculata Mariae, Ecclesia tamen, Spiritu Sancto afflata, eam festo celebrat. — II. Christus est sine peccato per naturam, Maria per gratiam. — III. Maria praeservata fuit a peccato originali ob Christi meritum. Christus potuit Matrem praeservare, ergo fecit. — IV. Maria a peccato originali praeservata, quia Mater Dei puritatis amantissimi. — V. Hodierni festi Evangelium ostendit Mariam immaculatam: ex nobilitate carnis et spiritus; — VI. ex matrimonio cum Deo; — VII. ex nominis significatione; — VIII. ex divina maternitate . . . . Pag. 497-503

2.

IN PURIFICATIONEM

SERMONES SEX

SERMO PRIMUS

De Christi oblatione deque Virginis maiori purificatione in hodierna festivitate

I. Duo mysteria in purificatione: Christi oblatio et Deiparae purificatio. — II. Oblatio Christi in Samuelis oblatione figurata. — III. Oblatio Christi maxima a dono, Christo; a donatario, Spiritu Sancto; et a donatrice, Maria, Regina coeli. — IV. Maria purificatur non a sordibus, quia Angelis sanctior, sed ut, obediens legi, similis esset Christo, qui similitudinem carnis peccati assumpsit. — V. Maria purificatur non ex obligatione legis, ad quam non tenebatur, quia eius conditio in ea non adimpleta utpote Virgo immaculata, sed ex animi sui erga Deum devotione et erga legem reverentia. — VI. Maria purificatur non a sordibus, sed per maiorem puritatis infusionem. — VII. Maria imitanda in purificatoria et graduali poenitentia. — VIII. Oblatio Christi magna ratione offerentis, muneris oblati, personae acceptantis et remunerationis . Pag. 505-515

SERMO SECUNDUS

De causis quibus Maria offert Christum deque Simeone perfectorum exemplo in festivitate hodierna

I. Omnia a Deo sunt, ad Deum ergo referenda. — II. Maria hodie se in templo sistit Filium suum: ut Deo Patri offerat; — III. ut det hostiam pro sua purificatione; — IV. ut humilitatem in purgatione exerceat; — V. ut pro tanto Filio gratias Deo agat; — VI. ut Filium suum in Dei manu constituat; — VII. ut paupertatem exerceat, hostiam pauperum offerendo. — VIII. De bono in operibus nostris honor Deo tribuendus, de malo poenitentia agenda. — IX. Christus a perfectis accipitur, quorum imago Simeon. — X. Christus inter perfectos habitat. — XI. Actus perfectorum sunt carissima quaeque Deo offerre, et, contemptis omnibus, Deum diligere. — XII. Praemium perfectorum Christus est, thesaurus omnium bonorum, quae ad felicitatem requiruntur . . . . Pag. 516-526

SERMO TERTIUS

De Virginis incremento puritatis deque Christo dono Deo et hominibus dato in festivitate hodierna

I. Hodie celebrantur mysteria purificationis Virginis et oblationis Christi. — II. Maria purificatur per puritatis augmentum et per pleniorem gratiae infusionem. — III. Puritas Mariae hodie aucta exercitio humilitatis, gratitudinis, caritatis, devotionis et paupertatis; — IV. et per renovationem sacrificii triplicis concupiscentiae. — V. Maria a puritate innocentiae ad divinam quasi puritatem ascendit. — VI. Oblatio hodierna in templo maxima: quia ipse Christus, thesaurus omnium thesaurorum Dei, offertur; — VII. quia a Virgine offertur et a Spiritu Sancto acceptatur; — VIII. et quia Christus hominibus a Deo Patre redditur, ut salus, lumen et gloria fidelium sit. — IX. Synthesis sermonis: Virgo purificata, Christus Deo oblatus, a Deo Christus hominibus donatus. — X. A fidelibus Deus requirit purgationem a peccatis et bonorum operum oblationem . . . . Pag. 527-536

SERMO QUARTUS

De singulari Virginis puritate in festivitate hodierna

I. In festivitate purificationis celebrantur puritas Mariae et sanctitas Christi. — II. Sanctitas Christi hodie non facta sed praesentata, oblata ut hostia sancta, agnita et laude celebrata. — III. Puritas Mariae hodie super omnem puritatem manifestatur: in eius sobrietate, iustitia, pietate, in Filii carissimi oblatione; — IV. in plenitudine Spiritus Sancti, in intima cum Christo coniunctione; — et in augmento sanctitatis et gratiae per sacrificium oblationis Filii . . Pag. 537-541

SERMO QUINTUS

De Virginis sanctificatione in festivitate hodierna

I. Maria in purificatione maxime sanctificata: — II. Filii oblatione; — III. copia spiritualium bonorum per Simeonis benedictionem; — IV. et exercitio virtutum praesertim animi gratitudinis, humilitatis, obedientiae et pietatis . . . . Pag. 542-544

SERMO SEXTUS

De Virginis sanctitate caritate et dignitate in hodierna festivitate

I. In Evangelio festivitatis proponuntur oblatio Christi et Virginis purificatio, et in his sanctitas, caritas et dignitas Deiparae. — II. Proponitur sanctitas Deiparae in omnimoda legis obedientia; — III. caritas in Filii oblatione; — IV. dignitas, quia offert quia vera eius Mater. — V. Eius munus Deo acceptum et laudibus celebratum . . . . Pag. 545-546

3.

IN VISITATIONEM

SERMONES DUO

SERMO PRIMUS

De visitationis mysterio infinitae humilitatis et caritatis opere

I. Visitatio infinitae caritatis et humilitatis opus Virginis et Christi. — II. Visitatio fit a Maria, muliere infinitae excellentiae quoad naturam, gratiam et gloriam; — III. fit ad Elisabetham infinitis gradibus Maria inferiorem; — IV. fit cum festinatione ad ostendendam ardentissimam caritatem et obedientiam Virginis et etiam Christi qui statim incipit redemptionem; ad ostendendam etiam pietatem Dei, qui replet Spiritu Sancto Elisabeth et Ioannem. — V. Spiritus quo repleta est Elisabeth fuit triplex spiritus propheticus quo cognovit praeterita, praesentia et futura et omnia mysteria Incarnationis; — VI. hic propheticus spiritus de spiritu Mariae sumptus est . . . . Pag. 547-555

SERMO SECUNDUS

De visitationis mysterio fidelis animae typo

I. B. Virgo exemplar omnium virtutum. — II. Anima Deo plena: sursum tendit intellectu; — III. exercet memoriam in beneficiis et voluntatem in bonis operibus; — IV. Deum laudat et gratias agit; non gloriatur in seipsa, sed Deum glorificat . . . . Pag. 556-557

4.

IN FESTUM B. M. AD NIVES

SERMONES DUO

SERMO PRIMUS

De duplici causa beatitudinis Virginis Deiparae

I. Beatitudinis Deiparae duplex ratio: Mater Christi, miraculum nivis, quae symbolum est sanctitatis. — II. Hac duplici ratione, scilicet quia sancta et quia Mater Dei, praedicatur: in Sacris Scripturis; — III. ab Ecclesia, quamvis calumniose et inscite hoc neget Calvinus; — IV. etiam ab ipso Christo quamvis implicite. — V. Deipara omnibus titulis beata a Patre, a Sponso, a Filio et a propria virtute . . . . Pag. 559-564

SERMO SECUNDUS

De Virginis Deiparae puritate nive candidiore

I. Nix in Scripturis hieroglyphicum puritatis et sanctitatis. — II. Maria nive candidior: quia eius anima absque peccati macula; — III. quia legis observatrix et daemonum victrix; — IV. quia in ea omnes thesauri nivis gratiae. — V. Deus etiam a nobis requirit puritatis candorem.
Pag. 565-568

5.

IN ASSUMPTIONEM

SERMONES TRES

SERMO PRIMUS

De glorificatione mysticae arcae Dei Mariae ex infinito merito gratiae ipsius

I. Mariam veram Divinitatis arcam laudemus, cum sit infinitis laudibus digna; festivis gaudiis exultemus, quia hodie intra sancta sanctorum collocata est. — II. Maria supra Angelos in Ecclesia triumphanti collocata, quia tenuit supremum gradum gratiae in Ecclesia militanti. — III. Tres partes templi Salomonis designant tres animarum status: incipientium, proficientium, perfectorum. Maria supremum gradum gratiae obtinet inter fideles animas; ergo etiam supremum gradum gloriae. — IV. Arca maxima solemnitate translata in templum Domini, sic hodie Maria in coelum. Tres translationes arcae, triplex transitus Mariae: mortis, resurrectionis, assumptionis. — V. Primus arcae transitus est ad Iordanem; Maria nullum iudicium passa in morte. Secundus arcae transitus est ad nobiliorem et regalem locum a Davide paratum; secundus Mariae transitus est ad meliorem vitam, hoc est, ad gloriosam resurrectionem. Tertius arcae transitus est ad supremam partem templi; tertius transitus Mariae ad supremam partem coeli. — VI. Christus Matri dedit in coelo optimam gloriae partem, quia ipsa in terris sua industria obtinuit optimam gratiae partem. — VII. Anima Virginis vere omni gratia referta: quia in Canticis nubi assimilata ob gratiarum plenitudinem; collo assimilata quia altior et utilior pars in mystico corpore Christi, et collo forti ut turris David ob virtutis robur; — VIII. quia a Spiritu Sancto a capite usque ad pedes laudata; — IX. quia duplici sanctitatis parte dotata, idest, carentia vitiorum et virtutum abundantia; — X. quia a Deo inter Sanctos magis dilecta, inter Electos praecipua, inter omnes creaturas nobilior. — XI. Ex magnitudine gratiae coniicitur magnitudo gloriae. Gloria minimi Beatorum splendidior sole, supremi omnino ineffabilis, Deiparae omnino incomprehensibilis. — XII. Pendet magnitudo gloriae a magnitudine amoris Dei erga animam, a magnitudine amoris animae erga Deum, a magnitudine doloris tolerati, a magnitudine humilitatis; Deipara infra omnes amata, amans, dolens et humilis, ergo supra omnes exaltata. — XIII. Maria ad utilitatem nostram exaltata, quia ut sancta et Mater nostra vult nos adiuvare, et, ut possit, hodie thesauraria Dei constituta est. — Duo alia exordia
Pag. 569-589

SERMO SECUNDUS

De Virgine silentio honorata et de gemina ipsius caritate

I. Maria in Sacris Litteris sacro silentio a Spiritu Sancto honoratur: quia maior in silentio laus; — II. quia ita similis Deo declaratur. — III. Martha et Magdalena imagines sanctitatis Deiparae; — IV. in Martha dilectio proximi, in Magdalena dilectio Dei, in Deipara perfectio utriusque caritatis . . . . Pag. 590-592

SERMO TERTIUS

De sanctitate et exaltatione Virginis Deiparae

I. Proponuntur Magdalena et Martha ut figurae sanctitatis Deiparae: in affectu caritatis, in diligentia servitutis; — II. et in dilectione Dei erga eam supra omnes exaltatam. — III. Deipara in coelo supra omnes exaltata ad Dei gloriam et ad nostram utilitatem. — IV. Ad ipsam ergo recurramus . . . . Pag. 593-595

INDEX ALPHABETICUS
NOMINUM ET RERUM NOTABILIUM

Numeri indicant paginam; lineola indicat divisionem conceptuum, quorum qui lineolam sequuntur relationem immediatam ad Virginem habent.

A

Aaron. Princeps synagogae 177, 178.
— Primus inter sacerdotes 54, 217, magnus dignitate 219, advocatus populi 400, 401 et *Maria.*

Abel. Sanctus et innocens 164, Deus respicit ad munera eius 167, 532, 546 et *Maria.*

Abigail. Mulier humillima 141, 277, 280, prudentissima 109, 131, 224, placat iram David 131, 363, postulata ab eo in uxorem 104 et *Maria.*

Abraham. Electus in patrem fidei 54. Ei praenunciata incarnatio et nativitas Christi 89, 95. Nomen ei mutatum et quare 177. Deus et Angeli ei apparent 9, 10, 152. A Melchisedech benedictus 281. Tentatus a Deo in amore Isaac 62, 186.
— Humilis 285, 287, magnus 292, advocatus 400, benedictus 164, primus inter Patriarchas 217, tanta in eo caritas ut Deo sacrificaret filium 186, 524, 529, Deus cum eo 208, mittit nuncium ad quaerendam uxorem pro filio 89, 134, ditat omnibus suis bonis uxorem filii 91, 126, 136, accipit magnam gratiam et beneficia in circumcisione propria 512 et in oblatione filii 512, 542, 543 et *Maria.*

Acra. Unus montium super quos Ierusalem 344.

Adam. Cum duplici fine creatus naturali et supernaturali 54, 469, 490. Mirabilis eius formatio 240. Prius sanctus quam peccator 82. Parallelismus cum Christo 88. Matrimonium eius imago matrimonii Christi cum Ecclesia 116. Non Christus propter Adam sed Adam propter Christum 80.
— Typus Evae 9, Evae amore captus 135, imago Dei 143, 469, e terra benedicta 483, forma Christi 416, 419, in gratia creatus 420, 469, 480 et *Maria.*

Adolescentulae. Animas incipientes designant 227, 276, 427, 572 et *Maria.*

Advocatus. Vir probus dicendi peritus 397. Magni refert habere optimum advocatum 397. Advocatum agere munus prophetae praecipuum 300, 301.
— Requiruntur in eo sapientia, caritas erga clientes, favor apud principem 57, 58, 398 et *Maria.*

Aegyptus. Ibi regnat Ioseph 10. Ibi sacra familia 66. Ibi captivitas populi hebraici 82. Ibi regnum tenebrarum 362.

Agamemnon. A Timanthe depictus facie velatus et quare 61, 590.

Agar. Humilis et superba 280.

Aggaeus. De Maria loquitur sub figura templi Zorobabel 469.

Amana. Mons, fides interpretatur 582.

Ambrosius (S.). De cultu Virginis 172. De plenitudine eius gratiae 190. De Christi perfectione in utero 239.

Amor. Iucunda voluptas 202. Mensura doloris et odii 62, 72, 586. Amantem amentem reddit 198. Obiectum et cibus amoris pulcritudo et bonitas 128, 345, 346. Natura amoris amanti nihil negare 351.
— Amor causa coniugii 109, oritur ex boni cognitione 265, causae naturales amoris in matribus 68 et *Maria.*

Anabaptistae. Haeretici Mariam Christi matrem negantes 234.

Angeli. Scriptura de eis silet et quare 8, 453, 454. Per malum angelum ruina, per bonum reparatio 84, 120, 130. Sunt stellae 483. Eorum splendor a sole Christo 483. Ministri Dei et Christi 86. 143, 154. 180. 181, 208, 534. Descriptio eorum 179, 559, 568. De eorum specie 585. Praenunciant Christum 88, 89. 96. Eis adoratio Verbi incarnati iniuncta 181. Fideles 181. Rebelles in daemones mutati 181, 182.

— Eorum summa gratia 420. 462, eorum humilitas et magnitudo 278, 291, eorum domus 450, 455, 463, sunt stellae in capite Virginis 549, 575, quomodo purgentur 511, 529, in Cherubim arcae figurati 451, infimus plusquam mille soles fulgebit 585, Mariae gratia et gloria etiam ipsis ineffabilis et incomprehensibilis 358, 376, 580. 585, adorant Virginem ab initio 100, 101, 327, plus potest unus quam innumeri homines 144, mire salutant Gedeonem 167, inferiores Maria 23, 100, 101, 143, 144, 549 et saepissime, honorandi 323 et *Maria.*

Anima. Idem ac mens 257. Una tantum in homine 258. Est in toto corpore et in singulis partibus, singulariter in aliquibus 207, 209. In ea cognitio 258. Duae praecipuae vires eius 258. Quid tribuat corpori 271. Animarum genera tria in Ecclesia incipientium, proficientium, perfectarum figuratarum in reginis, concubinis et adolescentulis 227, 427, 522, in tribus partibus templi 427, 522, in pastoribus, Magis. Simeone 522, in triplici terra bona 539. Figurata in luna 487. Infinitae capacitatis 549, 577. Solam animam requirit Deus 159. Animae in gratia per Ezechielem et Isaiam descriptio 200, 201. Anima fidelis quid agat 556, 557. In quo candor eius 506, 567. In muliere parienti masculum figurata 521, in hoc mundo tantum purgabitur 521. Anima imperfecta quid agat 556, in muliere parienti feminam figurata 521, in hoc mundo et in altero purgabitur 521; item figurata in muliere sterili, ideo maledicta 521.

Anna (mater Samuelis). Gratiosa 506. Sterilis 221. Impetrat lacrimis filium 221.

— Figura Mariae 506. 507. laudata ob sanctitatem et prophetiam 131, 221, 224, 262, 292, 505. divinis beneficiis et gratia aucta 221. 512, bonum virum accipit 221, a viro dilecta 506, 507, exultans canit pro accepto filio 257, 262, 268, 500, 507, 517, 557, nobilis a virtute 235, offert filium 506, 507, 517, tria in cantico eius 276, cum pietate et Spiritu Sancto afflata canit 262 et *Maria.*

Anna (filia Phanuel). Prophetis laudata 224, 505, perfecta 523.

Annunciatio. Vide *Maria* n. 8.

Antidicomarianitae. Haeretici virginitatem Mariae negantes 172.

Anselmus (S.). De dolore Virginis 64. De voto virginitatis Mariae 138. De cultu Virginis 172, 253. De excellentia Mariae 184, 230, 231, 250.

Apellitae. Haeretici Virginem Christi matrem negantes 234.

Apollinarii. Haeretici Virginem Christi matrem negantes 234. 251.

Apostoli. Donis a Deo ditati 54, magni gratia 292, eorum gratia et virtus post acceptum Spiritum Sanctum 425. 451, 531, lux dicti 423, idonei ministri Dei 481, montes dicti 425, 451, 463, 482, portae coeli 493, baptizati a Christo 512 et *Maria.*

Aquila (auctor). De selah 358.

Ariani. Haeretici, Virginem matrem Dei negant 234.

Arminius. Topus albus munditiei amantissimus 25, 446.

Arca. Pro ea templum, pro Christo mundum 86.
— Figura Mariae 11, 258, 416, 440, 441, 455, a Beseleel et Oliab constructa 325, 440, 441. etiam intrinsece aurea 24, 36, 205, 325, 440, 441, 570, ex lignis nobilissimis 24, 325, 440, 441, Israelitarum spes 243, causa salutis piis, causa mortis impiis 36, 569, summe veneranda et venerata 41, 101, 324, aurea corona ornata 49, causa laetitiae 111, similis propitiatorio 144, continet tria 144, potens ad protegendum 146, miracula operatur 146, 186. causa beneficiorum 170, 171, 221, exercitibus circumstipata 202, 203, 216, quadrangularis 174, 441, mensurata 196, similis propitiatorio in mensuris 416, 417, 440, eius altitudo et magnitudo quid significent 417, 418, in sancto sanctorum reposita 258, 416, 455, 570, 571, 573, sub propitiatorio et inter Cherubim 258, 416, 440, 441, 549, pro ipsa templum Salomonis 455, transiens Iordanem eius cursum retinet 459, 460, tribus mensibus manet in domo Obededom 548, velo tecta 590, propitiatorio tecta 570, in templum Salomonis exultatione illata 573, 575 et *Maria.* Mirabilis parallelismus 570.

Arithmeticus. Eius ars 279 et *Maria.*

Arnobius. De Sibyllis 312.

Aser. Beatitudo sive beatus 277, 315.

Assuerus. Capitali corona donat Mardochaeum 50. Ex loco valde humili exaltat Esther coniugio 141.
— In eo dignitas et auctoritas regia 145, diligit Esther super omnes mulieres 23, 49, 132, 133, 135, 183, 191, 217, 346, Esther ducit in sponsam 55, 95, 104, 480, multis muneribus Esther dignam sibi sponsam facit 118, 126, 127, honorat et exaltat Esther 183, 243 et *Maria*.

Athanasius (S.). De partu Virginis 63. De plenitudine gratiae Virginis 135, 136, 191, 296. De cultu Virginis 172.

Augustinus (S.). De duodenario 51. De revelata incarnatione ab initio 77, 78. De voto virginitatis Deiparae 138. De cultu Virginis 172. De plenitudine gratiae Virginis 190. De Christo in primo instanti homine completo 239. De cultu latriae et duliae 252. De Sibyllis 312. De beatitudine Virginis 563. De Virgine et peccatis 412, 413. De peccato originali 444, 473. De materia prima 211.

Aurum. Est triplex et triplicem caritatem 453, 583, nobilitatem 325, gratiam 457 designat.

B

Babylon 362.

Basilius (S.). De incarnatione 82. De gratia 194. De Christo 239. De cultu 252.

Basiliensis Synodus. Eius sententia de Mariae conceptione 420, 421.

Beatitudo. Status omnium bonorum cumulatione perfectus 289, titulus Dei 327, triplex 305, 329, communicatione eminet 330 et *Maria*.

Beatus minimus (in coelo) infinitis partibus sole isto lucidior erit 584 et *Maria*.

Beda V. (S.). De Virgine 67, 191. De cultu 252.

Benedictio (Dei). Beneficiorum collatio 315, 543.

Bernardus (S.). De Apocalypsis visione 7. De tribus miraculis in mundo 14, 286. De Gabriele Archangelo 166. De Christi perfectione a conceptu 238, 339. De Simeonis gladio 64. De Virginis cultu 172, excellentia 53, praerogativis 53, partu 63, gratiae plenitudine 144, virginitatis voto 138, exemptione a mulierum maledictione 218. Virginem vocat maris stellam 184, gratiarum aquaeductum 155, 194, peccatorum scalam, aptissimam mediatricem, suam fiduciam 254. Virginis eximius cultor 253. Sententia de conceptione Virginis expenditur 476.

Bernardinus (S.). Virginis eximius cultor 253.

Beseleel. Arcae constructor 191, 325, 440, 441.

Bethel. Quid significet 206. Ibi Iosias praenunciatus 88. Visio Iacob 206.

Bethsabee. Significationes 89, 98. Nobilis a sponso et filio 21, 235, pulcherrima et a David dilecta 98, 113, apud illum multum potuit 320, Salomoni regnum obtinuit 110, 244, 245, 320, 398, ab ipso impense honorata 243-245, 399, 570, 573 et *Maria*.

Bethulah. Significat mulierem violatam 311, 312.

Bonaventura (S.). Virginis eximius cultor 253. Quid de conceptione Mariae 476.

Booz. Nobilissimus matrimonio 118 et *Maria*.

Booz (columna iuxta mare aeneum). Quid significet et figuret 549.

C

Caleb. Filia eius 320 et *Maria*.

Calvinus. Satanae primogenitus 171, 561, asserit duplicem tantum cultum religiosum et civilem, Sanctos non esse honorandos 322, Angelos honoratos qua nobiles non qua sanctos 323. Coelibatum et virginitatem evertit 138. Virginis inimicus 591. Blasphemat in eius virginitatem 138. Eam incredulitatis accusat et salutationem angelicam exorcismum dicit 172. Arguit superstitionis Catholicos ob Virginis cultum et perperam exponit verba mulieris evangelicae 561, 562.

Cantica. De Maria singulariter loquuntur 466.

Canticum (Mariae). Vide indicem primum 605, 606. 607.

Caput. Initium significat 22, 340, 425, 591 et Maria.

Caritas. In ea sanctitas 582. Fundamentum salutis 344. Comitata virtutibus theologalibus et moralibus 589. In auro figurata 457, in collo sponsae 466 et in latitudine portae 492. Unit animam Deo 466. Perfecta quae sit 536. Actus perfectae caritatis Deo acceptus 536, 540. Amor Dei et proximi est unius habitus, unius radicis, unius fontis 353, 551. Caritas Virginis, vide *Maria* n. 16.

Carmelus. Mons feracissimus, pulcherrimus 418.

Caro. Carnis praerogativae in Virgine 53.

Cartusianus. Non potest carnes comedere 138.

Categoriae. Decem sunt 337, quorum compendium mirabile Maria 337.

Catholicus. Dignoscitur ab haereticis devotione in Virginem 171, 172.

Causa. Quo nobilior nobiliores effectus producit 259 et *Maria.*

Cedrus. Arbor procera 265.

Centuriatores. Rident S. Augustini sententiam de virginitatis voto Mariae 138, 139. Negant Deiparae virginitatem, gratiae plenitudinem et innocentiae puritatem 159.

Centurio. Fide laudatus a Christo 343 et *Maria.*

Cerdoniani. Haeretici Virginem Christi matrem negantes 234, 251.

Chananaea seu Chananitis. Fide laudata a Christo 224, 343 et *Maria.*

Cherintiani. Haeretici Virginem corruptam contendentes 234.

Cherubin (arcae). Super propitiatorium collocati 440, 441, 451. Angelos figurant 416, 451. Silentium eorum designat Deum ineffabilem 590.

Christus. *Nomina, figurae, excellentia.* Vir nobilis a Luca dictus 25, 366. Nobilis humana et divina nobilitate 365, 366. Nobilis natura, gratia et gloria 367, 368. Nobilitas et dignitas incomprehensibilis 235, 366, 376. Miraculum 12. Verus Moyses, manna coeleste, tabernaculum Dei, mundus ter maximus 95. Verus Isaac, Samson, Salomon 97. Summus sacerdos, sancta sanctorum, aeterna beatitudo, gloria paradisi 99. Fons totius gratiae 81, 102, 486, 508. Fluvius aquarum viventium 154. Decem eius nomina 102, 103. Domus Iacob et Electorum 103. Medicus humanitatis 92. Nazaraeus vocatus et Rex Iudaeorum et pacificus 157. Sanctus, Filius Dei, Admirabilis 222. Infinitus thesaurus 507, 532, 534, omnium bonorum perfectam felicitatem donans 272, 524, in agro carnis absconditus 507. Apator et amitor 312. Compendium bonorum Dei 350. Sanctus, sanctissimus natura 486, 489. Lux 423. Lux mundi 29. Lumen gentium 508, 525, 534, 553. Sol 33. Sol iustitiae 86, 89, 483 et saepissime. Donum Dei, inaestimabile 507, 524. Princeps pacis 168. Auctor pacis 508, 525 et saepe. Pax mundi 534. Salvator mundi 534. Auctor naturae 508. Salutare Dei et gloria Israel 508, 534 et saepe. Templum Dei 207. Lapis apud Danielem 202. Auctor et fons puritatis 537, 538, 540. Merces perfectorum 524, 525, 526, 534, 535. Verus Deus, verus homo 58, 211, 537. Consubstantialis Patri 155, 156. Quatuor incomprehensibilia in Christo 151, 152. Eius excellentia praedicatur ab Isaia 119. Eius magnitudo 93, 125, 207, 238. Suprema creatura 96, 211. Humanitas Christi inter tria potiora opera collocanda 14, 236, 286, 477. In eo omnis perfectio naturae, gratiae et gloriae 113, 238. Causa exemplaris et finalis Sanctorum 80. In eo triplex gratia unionis, capitis et personae singularis 188. Caput viri 80. Speciosus prae filiis hominum 140. Fundamentum totius naturae, gratiae et gloriae 80. In eo summa dignitas, sapientia, bonitas 145, 376. Ad eius honorem Maria creata 86. Angeli eius servi 8. Homo creatus, ut esset imago Christi 86. In eo adimpletum desiderium hominis, ut aequalis esset Deo 87. Ut homo inferior Patre 96. Eius gloriae tantum medietas cognosci potest 358. Eius meritum gratiae maius demerito Adam 487, 488. Eius anima maioris valoris quam animae omnium praedestinatorum 86. Omnium linguis laudatur 376. Praefiguratus in Isaac, Samson, Iosia et Cyro 88, 89, 95, 102, 106, in Salomone 374, 457, 593, in arca 440, 445, in tabulis legis 466, in propitiatorio 416, 417, 440, 441, in vase manna quoad bonitatem, in virga quoad potentiam 456, 465, in visione Ezechielis 151, 152, 534. Eius laudes antea celebratae a David et Salomone 336.

Incarnatio. Etiamsi Adam non peccasset Christus in mundum venisset 78, 80, 84, 86. Ipse prima creatura praedestinata 80, 97. Visus ante incarnationem Abraham, Moysi, Isaiae, Danieli, Ezechieli 95, 152, 153. Incarnatio praedicta a Deo, ab Angelis, ab hominibus 89, 95, 96. Verbum in rubo Moysi revelat se carnem assumpturum 95, 152. Modo supernaturali conceptus 103. Similis Mariae formatus 483. Ex Maria tabernaculo et palatio ex lignis pretiosissimis 479, 481. Ros ex aurora Maria 313, 483. A Virgine coronatus in die incarnationis corona humanitatis et corona regni David 244, 374. Eius formatio mirabilior formatione Adam 240. Homo perfectus in primo instanti conceptionis 238, 239 368. Plenus gratia 105, 139, 142, quae ab initio summa fuit 511, 527, 528, ideo nec augeri potuit 542. Plenus donis Spiritus Sancti 198, 215. Plenus gloria 215. Deum in utero Virginis vidit 100, 151, 215, 368, accepit Divinitatis plenitudinem, oravit et cognovit Dei voluntatem circa redemptio-

nem 150. Dies incarnationis, dies desponsationis eius 244. Incarnatio replet vacuum in creatione humana, quia Christus creator et creatura et vacuum in procreatione humana, quia Christus ex femina sine mare natus 489. Caro Christi corona pietatis aeternae 244. Phantasiastarum, Nestorianorum, Arianorum errores de Christo 234. Venit in mundum ad nostram redemptionem et glorificationem 81, 85. A Patre mandatum habuit ut mundum redimeret 551. Complet opus infinitae caritatis et humilitatis in Maria visitans Elisabeth 554.

Nativitas, vita et officium. Eius nativitas a Deo et ab Angelis mundo praedicata 122 et pastoribus 157. Nomen ei divinitus impositum 177. Ad eum stella Magos ducit 184, adoratur a Magis 521, 522, 531. Cognatorum eius genus triplex 304. In templum delatus 66, 505-546. Sanctificatur in templo non quasi peccator 537, sed Patri se dicans et hostiam se offerens 538. A Maria Deo oblatus et a Deo hominibus redditus 535. Iuxta aram sacrificiorum oblatus, quae eius passionem figurabat 538. Eius oblatio multiplici capite omnium maxima 507, 508, 532, 535. Communi pretio in praesentatione redemptus 518. A quatuor perfectis adoratus 523. In circumcisione dolet 66, a Simeone multis nominibus laudatur 522, 523, 525. Parallelismus oblationis Christi cum oblatione Samuelis 506. In Aegyptum ductus 66, a Ioanne baptizatus, a daemone tentatus 66 et persecutionibus lacessitus 519, 520. Praedicat Evangelium et miracula facit 66. Precibus Mariae primum operatur miraculum 246. Non reprehendit Matrem in nuptiis Canae, quia nulla in ea culpa 247. Quid docere voluerit sua responsione 303, 304. Respondens mulieri evangelicae non eam reprehendit, nec prohibet Virginis laudes, sed auget 301, 302. Non negat matrem secundum carnem, sed praefert secundum spiritum 303, 304, 561, 563. Laudat sanctitatem et perfectam fidem Matris 566. In decursu vitae semper cum Maria 236, 237. Unum cor cum ipsa, una anima, impense eam honorat 245. Mariae magno gaudio in vita fuit 73, omnia dona ei confert 62, eam a peccato originali praeservat 444, 486, 487. Eam a peccato praeservans vacuum in gratia implevit et perfectus Redemptor fuit 400. Eius humilitas miraculum fuit 180, 182, 279, 287, 288. Misericordissimus 289, 394, 395, potentissimus 389, 390, satanae fortior in Protoevangelio et Evangelio descriptus 376, imperat mari et ventis 52, praeditus perfectissima caritate 64, 65. Concives eum perdere volunt 66, lacrimatur in morte Lazari 65, fugit a Iudaea 66, multas calumnia suffert 66. A proceribus morti damnatus 66. captus a Iudaeis 67, flagellatus 67, spinis coronatus 67, crucifixus 67. Moriens consolatur Matrem 245, 246, 247. Cognoscit futuram resurrectionem, tamen dolet 65. In sepulcro eius corpus myrrha conditum et quare 185. Primo apparet Virgini 237. Ab omnibus benedictione repletus quoad omnia 241, 242, 376. Nihilo dignior nunc in dextera Patris quam olim in utero Matris 294. In coelo doloribus compatitur 252. Summus universi rex et totius Ecclesiae pontifex a Deo creatus 73, 74, rex coronatus 244, 245. Salvator etiam Angelorum 86. Omnes Electi membra eius 57, 371. Ipsius meritis mundus servatur 572, 363. Advocatus populi christiani apud Patrem 400, 401. Per eum miraculo propagatio Ecclesiae 125.

Christus et Maria. Vide *Maria* praesertim n. 3, 5, 6, 10, 12, 13, 15, 18.

Christianus. Nobilis dictus ut coelestia petat 371.

Chrysostomus (S.). Virginem vocat miraculum 11. De cultu Virginis 172. Appellat gratiam bonitatem divinitus infusam 194. In Christo celsissime exaltatam humanam naturam dicit 212. De excellentia Virginis 231, 250. De Beatorum gradibus in coelo 584.

Circumcisio. Peccatum originale delebat 512.

Cithara. Hoc nomine etiam cor vocatur 274.

Civitas. Pars magna eius felicitatis pax, sine qua concha auri plena serpentibus 378, eius gloria a viris magnis 464, munita et sancta est figura iusti 466, 467, omnis homo civitas dicitur 467 et *Maria*.

Coelum. Multipliciter accipitur 19. Sidereum, coelorum omnium maximum 97. Eius influxus in ingenium, animam et colerem hominum 258. — Tantum eius medietas nobis perspicua 358, tabernaculum solis 483 et *Maria*.

Coelum empyreum. Vide *Paradisus*.

Cognati. Genus triplex cognatorum Christi 304.

Cognitio. Ipsa Deus maior efficitur 259, amorem generat 265 et exultationis calorem 208.

Collyridiani. Haeretici Deiparam deam facientes 234, 250, 321.

Concilium. Quatuor Concilia ut quatuor Evangelia habenda 306, contra quos et ad quid coacta 306.

Concubinae. Animas proficientes designant 227, 276, 427, 572 et *Maria.*

Copronymus Constantinus. Impius imperator 223. Lex impia eius contra virginitatem Deiparae 223. Unde eius nomen 223.

Cor. Quale in Virgine 53, 54, 64. Cor humanum infinitae capacitatis 90, 441, 577 Cithara dicitur 274. Fundamentum naturalis vitae 343.

Corona. Regalitatem significat 50. Coronarum genera apud antiquos 49, 50, in Scriptura 50. Eius usus apud antiquos in die desponsationis 264. Quid significet in capite Virginis vide indicem primum 598.

Creatio. In ipsa nullum vacuum 489.

Creaturae. Deum diversimode possident 317, 318, 319, per gradus infinita prope distantia dispositae 211 et *Maria.*

Cubitus. Sacer et communis 417.

Cyprianus (S.). De Virginis partu 63. De incarnatione causa occasionali peccati 82. De Christo a conceptu perfecto 237.

Cyrillus Alex. (S.). De Christo in praescientia Dei 80. De redemptione conditionata 81. Gratiam appellat sanctitatem nobis a Christo communicatam 194.

Cyrus. Ab Isaia praenunciatus liberator Israel figura Christi 88. 89, 119. Palatium eius inter miracula numeratum 359.

D

Damascenus Ioannes (S.). De partu Virginis 63. De excellentia Gabrielis Arch. 166. De cultu Virginis 172. De plenitudine gratiae Virginis 231, 250. De primatu Virginis 250. De cultu latriae et duliae 252.

Daniel propheta. Theophaniae eius 10, 153. A Balthassar coronatus 49. De virginitate Mariae loquitur 311.

David propheta. Rex potentissimus 54. Aufert a rege Amonitarum auream coronam 50. Eligit Salomonem heredem regni 85. Pauper 90. Placatus ab Abigail 131. Auctoritas, sapientia, sanctitas simul in eo 145. Infelix ob Absalom 320. Ter unctus rex 244.

— Ex eius progenie Virgo 18, 19, 20, 112, 124, 125. Humillimus etiam post sublimationem 248, 285, 287, magnus potentia 54, 291, dolet nimis in morte Absalom et Ionathae 67, mittit ut Abigail sponsam assumeret 104, 109, matrimonium eius nobilissimum 118, captus amore Bethsabee 135, vir iuxta cor Dei 164, postulat pro Salomone perfectum cor 171, Deus cum eo 209, inter reges primus 217, immensam rerum copiam pro templo aedificando colligit 410, 450, magnificentia templi eius ab eius pietate coniicienda 410. parat fundamentum pro templo ex lapidibus pretiosis 426 et *Maria.* Loquitur de Maria virgine et matre 313, filia, matre, sponsa 320, regina 132, 133, 164, 385, 386, luce 423, aurora 423, plena altissima gratia a principio 472, sine peccato concepta 485 et aliis praerogativis aucta 335, 336.

Debora. Prophetis et sancta 131, 224, 292, in Script. laudata ibi et 164, divinis beneficiis aucta 221, a virtute nobilis 235, canit Spiritu Sancto afflata et cum pietate 262, in eius cantico tria 276 et *Maria.*

Denarius. Symbolum perfectionis 337, 417. Sphaera omnium numerorum 417.

— In eo omnes numeri 338 et *Maria.*

Deus. *Nomen et essentia.* Nec sanctissimis Patriarchis nomen suum manifestat 176. Manifestat nomen suum Moysi 177. Lux 30, 213, 423. Solis hieroglyphico praesentatus 193. Ignis 30, 213, 550. Incomprehensibilis 30, 235. Eius proprium nomen Dominus exercituum 176. Graecis tetragrammaton, Hebraeis scem hamephoras, Adonai et Potestates 176, 177, 358, 359, philosophis apator et amitor 312 dictus. Altissima universi substantia 96. Summa pulcritudo 105. Summa innocentia 105. Summa perfectio 106, 230. Summa dignitas, maiestas, auctoritas 107, 135, 144. Sphaera intellectualis cuius centrum ubique, circumferentia nusquam 115. Omnibus partibus infinitus 118. Magnitudo eius 124, 126. Essentia sua omnia adimplens 139, 206, 209. Ubique est 149. Ubique totus et indivisus 209. Saepe in humana figura visus 152. Arca figura Dei 144. Mundus ter maximus 155. Primus inter spiritus 217. Ineffabilis 590, 591. Duo praecipue de ipso in Script. maiestas et sanctitas 267, 268, 323. Decem nominibus Hebraeis vocatus 289. Tribus titulis a Script. auctus 294, 316. In visionibus Ezechielis, Danielis et Ioannis figuratus 295. Unus sanctus 350. In omnibus magnus 265, 290, 291. 356. Deus exercituum et Deus uberum in Script. dictus 387.

Quomodo sit in seipso 464, in mundo, in Ecclesia, in paradiso, in Maria 449. Ineffabilis demonstratus a Seraphim caput et pedes eius velantibus 591.

Potentia. Tempore veris mundum creat 94, 95. Summa potentia 106, 144, 289, 295. Dominus omnium 135, 139, 268. Infinitae virtutis 135. Altissimus 113, 118 et saepe. Summus imperator et mundi monarcha 96, 140, 141, 142. Creator et auctor omnium bonorum 155. Paucissimis verbis mundum creat et exornat 166, 213. Causa efficiens gratiae 205. In omnibus posuit praecipuum 217, 582. Tria potiora opera Dei 14, 236, 386, 477. Eius opera perfecta 193, 239. Proprium eius magna facere et ex parvis magna 291. Nihil frustra molitur 595. Ornat Ecclesiam Sanctis, Maria, Christo, sicut coelum sideribus, templum arca, figuris et sculpturis 383. Suis legibus non subiectus 444, 480. Operatur ad manifestandas perfectiones suas 444. Agricola, figulus, fabricator 450. Ubique est, sed non eodem modo operatur 149, 210. Ibi habitare dicitur ubi singulariter operatur 214. Omnia ab ipso pendent 210.

Sapientia. Lux 29, 423. Sphaera intellectualis 115. Summa sapientia 106, 144. Veracissimus 121. Sapiens architectus in omnibus 411, 412. Suis legibus aliquando derogat 411, 412, 480. Nunquam malum permittit nisi ad malus bonum 446. Ab aeterno incarnationem disponit 82.

Sanctitas. Summe bonus, summum bonum, summa bonitas 28, 105, 106, 107, 143, 144, 163, 268, 552. Apparet Patriarchis et Prophetis 10. 54. Ditat donis Apostolos 54. Bonitas in puniendo peccato 68. Ab aeterno disponit sua erogare et libentius post peccati infirmitatem 81. Per Moysem liberat Hebraeos, per Christum omnes electos 82. Semper ab eo beneficia 93, 106, 136. Ira eius in incarnatione placata 120. Fidelissimus in promissionibus 121. Promissa mittendi Messiam complet 121, 122. Totus sanctus 140, 141. Venit in mundum ad salvandos homines et ad perdendos daemones 153. Fons aquarum viventium et origo omnium bonorum 154, 155, 223, 268, 306, 380. Communicat infinitos thesauros bonitatis suae duplici emanatione ad intra et ad extra 155. Vocatur Deus pacis et quare 168. Venit in mundum ut ignem accenderet 173. Dat Filium suum, dabit omnia 186. Tria dat homini 187. Ab ipso omne datum et omne donum 193, 416. Ipsi cura est de iustis 252. Compatitur fidelibus angustiatis 253. Descendit ad liberandos Hebraeos 253. In Sponso Canticorum figuratus 198, 265. Ut sol pro omnibus et pro singulis operatur 268. Omnes salvare cupit 269. Ab ipso tria bonorum genera 296, 316. Prima beatitudinis causa 319, 328. Eius amoris quadruplex effectus: praedestinatio, vocatio, iustificatio glorificatio 347. Amari ab eo idem est ac favoribus cumulari 349, 481, 582. Unum iustum plusquam omnes homines diligit 350. Eius amoris sphaerae decem 351. Ubi Deus, ibi pax summa 379. Thronus eius, thronus misericordiae 388, 389. Uberosus, idest, amans 433. Eius amor causa gratiae et sanctitatis 472, 481. Propensior ad misericordiam quam ad iustitiam 488, patet in Adam, Pentapoli, Aegypto, diluvio 552. Multa praeter iustitiae debitum tribuit 510. Eius benedictio idem est ac beneficiorum collatio 315, 412, 543. Misereri opus eius proprium, punire alienum 552. Festinat ad implendum Spiritu Sancto Ioannem 569. Absque ullis meritis miseretur 552. Instituit propitiatorium locum remissionis et indulgentiae 552. Ex eius amore erga animam pendet huius gloria 585.

Iustitia. Eius iustitia in punitione peccati 68. Summa iustitia 107. Ira Dei in principio accensa 120. Sol iustitiae 487. Iustitia et misericordia infinitae, aequales ut in sole lux et calor 552. Non punit nisi demerita 552.

Adoratio. Honor tribuitur Deo et eius imaginibus 145, 323, 325. Summa reverentia a Seraphim et a Maria cultus 267, 268. Etiam operibus laudatur 271. Summa dignitas, ergo summus ei honor 323. Admittendum est quod eius gloriam manifestat 444. Gratiae ei agendae 150, 516. Magis silentio quam lingua laudatur 8, 590, 591.

Dilectio. Cum eo conversari signum amoris est 269. Cognitione et amore maior reddi potest 259. Magnum benefactorem cum agnoscere et diligere summa pietas est, summa sapientia magnum Dominum 264, 553. Perfectae virtutis actus, spretis omnibus, solum Deum super omnia diligere 524.

Obedientia et imitatio. Similitudo cum Deo valde optata 142. Quae imagines Dei 143, 325. Ei placet humilitas etiam in coelo 248, 278, 280. Superbiam horret 280, 518. Creaturae quo illi propinquiores eo beatiores 317, 318, 319. Parcus

in suis operibus laudandis 375. Peccati inimicissimus 459, 484. Puritatis amantissimus, summe delectatur virginitate corporis et spiritus 312, 474, 484, 500, 501, 514, 531. Puritatem et innocentiam a nobis requirit 484, et opera sancta 484, 485, 536. Non habitat in corpore subdito peccatis 485. Reponit Spiritum Sanctum in vase animae mundae 168. Meliora ab Hebraeis requirebat, a nobis cor et animam 159, 514. Niveis vestibus apparet ad sanctitatem significandam 559, 560. Obedientiam magis vult quam sacrificia 551.

Deus et Maria. Vide *Maria* praesertim n. 3, 6, 9, 10, 15, 16, 18.

Diabolus. Fons omnis iniquitatis 461. Minister divinae iustitiae 487. Serpens antiquus et draco 59, 60, 461, 520. In nostra conceptione inter animam et Deum sese interponit, obtenebrans eam peccato originali 487. Per Herodem et Iudaeos persequitur Christum 59, 60, 519, 520. Victoria eius in hominem ad maiorem gloriam Christi vertitur 85, 87. Mittit serpentem ad decipiendam Evam in perniciem humani generis 91, 120, 130, 134, 137. Saepe transfigurat se in angelum lucis 158. Superbus et rebellis movit seditionem in coelo 181. Contra fidem emittit fluvium tartareae doctrinae 234. Eius superbia in coelo Deus supra modum offensus 248.

— Tentat Christum et Virginem sed frustra 25, 164, 353, 354, 581. Acerrimo odio Virginem prosecutus 171, praesertim eius divinam maternitatem 233, 234. Currit in eius conceptione 487, 488, emittens fluvium iniquitatis ad foedandam eam peccato originali sed frustra 461, 462, 488.

Diana. Luna apud antiquos et dea castitatis et virginitatis 310.

Dilectio. Vide *Amor* et *Caritas*.

Diluvium. Peccatum originale figurat 459.

Dina filia Iacob. Sine dote expetita et summa dote donata 91 et *Maria*.

Dionysius Areopagita (S.). De gratia 194. De peccato originali 473. De purgatione coelestium hierarchiarum 511.

Dolor. Oritur ex amore 62. Amore mensuratur 72, 586. I. morte pignorum matres maxime dolent 68. Dolor et amor in Virgine 59, 62, 63.

Dominus. Vide *Deus*.

Dos. Antiquitus sine dote ducebantur uxores et vir dotabat 90. Dos in sponsalibus 126.

Draco. Diabolum significat 59, 60, 461, 520. Coeleste signum 487.

Duodenarius. Numerus celeberrimus et sacratissimus 51.

— Universitatem significat 51, 56 et *Maria*.

E

Ebionitae. Haeretici Mariam matrem corruptam facientes 234.

Ecclesia. Augustissimus mundus 163. Domus Dei 314, 469. Figurata in throno Salomonis 457, in Eva 469, in scala Iacob 583, 584, in veste summi sacerdotis 583, in tabernaculo Moysi 571. Tribus animarum generibus constat, vide *Anima*. Sanctis, Maria praecipue et Christo ornatur 383. In ea non est vacuum 489. Columna, magistra veritatis 172, 477. Corpus Christi 175. Ecclesia Romana mater, regina omnium Ecclesiarum 227. Eius auctoritas omnium auctoritati praevalet 477. Haereses semper damnavit 234.

— Toto orbe semper Virginem coluit 253, 561, Dei Matrem credidit 235. Multis titulis honorat 385, 386, ad eam post Christum recurrit 253, 383, docet colendam 172. Sententiae immaculatae conceptionis Virginis favet 410, 411, 420, 421, 477. Cur in eius festo legat Evangelium Matthaei 486, 487 et quid doceat de Virgine 498. Rogatur ab Auctore ut permittat Virginem qua immaculatam coli 477. Instinctu Sp. S. festum assumptionis celebrat 498. Cur Evangelium de Maria et Martha in hoc festo legat 591, 592. Inscite a Calvino carpitur de Virginis cultu 561, 562.

Eclipsis lunae. Quando eveniat 487.

Elcana (pater Samuelis). Significat: Deus zelotes 506.

— Annam ardenter diligit 506 et *Maria*.

Electi. In Iacob figurati 462. Dei tabernacula dicuntur et quare 464. Devotione in Virginem a reprobis distinguuntur 171. In gloriam Christi creati 79.

Elias. Propheta ardentissimus 390. Cum Christo apparet in transfiguratione 215.

— Sine genealogia introducitur 497, miraculorum et immortalitatis donum accipit 54, 146, currus et auriga Israel 146, magnus ad Israel utilitatem 292 et *Maria*.

Eliezer. Missus ab Abraham ad quaerendam uxo-

rem Isaac 89, 104, 112, 117, 134, omnia bona Abrahae ei confert 91, 126 et *Maria*.

Elisabeth. Significationes 560. Visitatur a Maria 14, 248, 547-555. Per Mariam Sp. S. repleta 547, 551, 552 et triplici spiritu prophetico quo Incarnationis mysteria et omnia praeterita, praesentia, futura de Virgine novit 238, 240, 553, 554. Divina paraphrasi Angeli encomium in Virginem illustrat 165. Virginem Dei Matrem appellat et ob fidem laudat 225, 307, 554, 560 et saepe. Infinitis gradibus Maria inferior 550.

Eliseus. Currus et auriga Israel 146, miraculorum gratiam accipit 54, 146, magnus ad Israel utilitatem 292, cithara usus ad iram suam placandam 552, ab Angelis defensus 216 et *Maria*.

Emmanuel. Quidnam sit 123.

Enoch. Singularis sanctitatis et immortalitatis donum accipit 54, 164, titulo iusti honoratur 164, cum Deo ambulat 208 et *Maria*.

Ens. In omni genere praecipuum 217, 582, 583 et *Maria*.

Ephraem (S.). De Virginis excellentia 231 et cultu 172. Virginem miraculum vocat 11.

Ephiphanius (S). De Apocalypsis visione 7. De silentio Scripturarum circa Virginem 8. De Incarnatione 78. De Virginis gratiae plenitudine 196. Confutat Collyridianos 250, 321. Virginem vocat miraculum 11, matrem spiritu viventium 254, mare spirituale 231.

Esdra. De Virgine loquitur 468, 471, 473.

Esther. Pulcherrima 126, 131, 192, 224, Assuero prae omnibus placet 132, 133, 191, 217 et ideo ab ipso desponsata 480, 587, reginaque constituta 55, 105, 217, 346, 588, 589, ab ipso dotem accipit 90, 127, 201, 217, honorata et exaudita 243, matrimonio nobilissima 21, 118, causa salutis Hebraeis 112, qui summopere gaudent 72, 91, 112, 183, exaltata ad salutem populi sui 292, 320, 587, in exaltatione humilis suis consulit 248, 297, pro ipsis non pro se orat 320, 390, 391, optima advocata 57, 398, in discrimen pro populo venit 183, Assuerum in populum clementem reddit 199, privilegio ad Assuerum ingressa 499, 500 et *Maria*.

Eunomiani. Haeretici Virgini detrectantes 235.

Eusebius. De Sibyllis 312.

Euthymius. De Christi perfectione a conceptu 239.

Eutychiani. Haeretici Mariam veram Christi Matrem negantes 234, 306. Contra eos conc. Chalced. 306.

Eva. Matrimonium eius cum Adam figura matrimonii Christi cum Ecclesia 116.

— Figura Mariae 416. Manu Dei formata 20, 40, 131, 187, 212, ad imaginem Dei 469, in gratia 54, 352, 416, 420, 424, 469-471, 549, cum duplici fine 469, 470, ex Adamo 483, per omnia ei similis 9, 105, 279, 291, 383, 454, 468, mirabilius quam Adam 459, pulcherrima corpore 193, mater cunctorum viventium 57, 391, figura Ecclesiae 469, aedificata dicitur quia futura domus hominis 438, 469, 450, 491, in paradiso virgo simul et coniux 119, eius amore Adam captus 135, pariens Cain oraculum Geneseos adimpletum arbitrata 373, domina totius mundi 292, figurata in templo Salomonis 469, qua tale a rege Babylonis combustum 471, quatuor de ea in Scripturis 174, 175, 204, decem praerogativae 380, Deo similis esse voluit 90, a satana per serpentem seducta 91, 134, propter peccatum causa perditionis 91, 134, 549 et triplicis maledictionis mundo 169 et sibiipsi 218 et *Maria*.

Evangelistae. Nihil de Virginis conceptione dixere, ne quid vile putaretur, et Christi conceptioni similis haberetur 453, 454.

Evangelium. De Virgine nulla laus praeter titulum Matris Dei, quia haec maternitas caput et fons omnis nobilitatis et omnium privilegiorum, etiam immaculatae conceptionis 478. Sine genealogia eam introducit 497, 498. Lux dictum 423 et *Maria*.

Exultatio. Est magnum gaudium 268. Sequitur lucem cognitionis ibid.

Ezechiel. Multis animam in gratia describit 200, 201. De Verbo homine futuro 151, 152. 534.

— Deus illi apparet minori gloria quam Virgo Ioanni 10. Loquitur de Mariae virginitate 59, 492. 493, de Maria fonte gratiarum 142, 492, de eius plenitudine gratiae 43, 190, 418, 451.

F

Fecunditas. Figurate quid sit 312, 313.

Felicitas perfecta. Tria vel maxime requirit: vitae immortalitatem, scientiae plenitudinem, gloriae sublimitatem 525.

Ferculum Salomonis. Figura Mariae quoad plenitudinem gratiae 427, 580, 581.

Fides. Fundamentum Ecclesiae 343. Ad salutem necessaria 168. Ad abolendam fidem satanas perversae doctrinae flumen emittit 234. In luna sub Mariae pedibus figuratur 45. A Christo in multis laudata 343. Fides et cor humanum unum e tribus miraculis in mundo 14, 286.
— Altus mons 341, 462, lux 423, basis beatitudinis 45, 46, anima vitae supernaturalis 47 et *Maria*.

Fideles. Lux dicti 423 et *Maria*.

Flumen. A sede Dei in Apocalypsi promanans gratiam figurat qua Sp. S. ab initio Mariam irrigavit 461, 462. A satana contra mulierem frustra immissum figurat peccatum originale 461, 462, 488 et haereses 234.

Franciscanus. Pecuniam nequit percipere 138.

Fulgentius (S.). De Virginis cultu 172 et eius tribus bonis 218.

G

Gabriel Archangelus. Summus princeps paradisi 13, 35. Praepositus paradisi 89. Dux et maximus Angelorum 97, 118, 139, 159, 165, 166, 167. Primus inter summos principes 108, 114, 124, 166. Paranymphus et pronubus Dei 148, 166, 176. A secretis Dei 112, 118, 166. Singulariter Angelus Domini 165. Architectus encomii in Virginem sapientissimus 165. Sapiens, gratiosus 124. Eius praerogativae 130. Mirabilis eius descriptio 166. In Eliezer figuratus 166. Interpretatur: Fortis Deus, vir Deus, homo Deus 91, 112, 118, 159, 166, et designat Incarnationis mysterium et possibile demonstrat 91, 92, 166. Quartus inter praedestinatos 97. Legatio eius omnium maxima 96, principium reparationis humanae 130. Legatus Dei ad Virginem 117, 124, 130, 134, 165. In hominis forma huic apparet 130. Summa reverentia honorat etiam nondum Dei Matrem 13, 35, 223. Ob reverentiam nomen eius silet 177. Amice salutat 170, 190, hebraeo more, sed sensu multo altiore 168. Eius encomium illustrissimum 165, pelagus laudum immensum 166, 173. Quid significare voluerit verbis: *Gratia plena* 191, 577. Agit de vera gratia 105. Ab Evae maledictione eximit 169, 218. Honorat titulo Matris Dei 233, 560, tribus praesertim laudibus 104. Stupet eius gratiae plenitudinem 127. Docet Matrem Dei futuram, virginitate integra 138. Eam alloquitur pro mundi reparatione 89, 96, 137. Eius consensum ad divinum matrimonium requirit 56, 114, 167, 262. Matrimonium init inter Deum et Virginem 139, cuius duas causas ponit 122. Tres personas praecipue laudat 140, 141. Incarnationis mysterium magnum quadruplici capite ostendit 124, 125. Danieli hebdomadarum mysterium aperit 112, 118, 130, 166. Zachariam alloquitur, et arguit 118, 139.

Galilaea. Significationes 115. Quare Christus in ea natus 116.

Gaudium. Est pro portione doloris 72. Oritur ex optati boni praesentia 73, 267. Non est felicitas sine gaudio 169.

Gedeon. Insigni laude ab Angelo salutatus 167, 168, Deus cum eo 209 et *Maria*.

Gloria. Lux dicta 423, respondet humilitati 279, 587, gratiae 100, 127, 230, 571, 575, 583, amori animae erga Deum 586, amori Dei erga animam 582, 585, dolori tolerato 586, 587 et *Maria*. Gloria Sanctorum et Virginis, vide *Sancti* et *Maria*.

Glorificatio. Effectus divini amoris est 317 et *Maria*.

Graeci. Triplicem musicen et quatuor concentuum genera coluerunt 274.

Gratia Donum Dei 106, 193, 560. Thesaurus quo coelum emitur 106, 228. Dos animae qua Christus sponsus accipitur 106. Imago Dei, participatio divinae naturae 106, 142. Donum supernaturale quo homo potest salutariter operari, sibi gloriam et aliis beneficia promereri 145, 146, 193, 204, filius et heres Dei, frater et coheres Christi efficitur 106. Effectus divinae caritatis 205, 472. D. Paulus eius insignis praedicator 193. Quomodo vocetur ab eo 193, 194, a D. Petro 194, 204, a DD. Dionysio, Basilio, Chrysostomo, Cyrillo 194. Eius descriptio ab Ezechiele 200. Duo requirit 549. Quid includat et quid excludat 127, 195. Ubi plena et perfecta gratia omnes virtutes, perfecta sanctitas, nullum vitium et peccatum 195, 577. Gratia secundum Novatores 105. Fallax gratia pulcritudo corporalis 105, 172. Vera gratia animae pulcritudo 126, 127, 192. Augeri potest actibus caritatis 228, 542. Quid sit eius principium, medium et finis 535, 536. In regno gratiae non est vacuum 490. Ipsi gloria respondet 100, 197, 230, 571, 575, 583. Praescientia eius ipsiusque auctoris Christi praesupponitur a praescientia peccati 81. Dicitur lux 423, nix 560, 567, ignis 567, aqua 567.

Gregorius Magnus (S.). De quatuor generalibus Conciliis 306. De Gabriele Archangelo 166. De perfectione Christi a conceptu 239. Mariam montem supra montes Sanctorum vocat 42, 43, 482.

Gregorius Nazianzenus (S.). De Virginis cultu 172, et virginitatis voto 138.

Gregorius Nyssenus (S.). De Virginis partu 63.

H

Haeretici. Blasphemiae et satanae spiritu turgidi 172, 234. Os, filii satanae 233, 235. Fratres Antichristi 251. Caeci 172, 251. In Antichristo Apocalypsis figurati 172. Dicunt Christum mulieri evangelicae respondendo, Virginis laudes prohibuisse 301, 302. A satana ab extremo in extremum trahuntur 321. Impietate in Virginem a catholicis dignoscuntur 171. Cultum catholicorum in Virginem idololatriae et superstitionis insimulant 251. B. Virginem intercedere posse negant quia mortua 331. Qui sint qui Virginis cultui, virginitati divinaeque maternitati adversentur 234, 251, 303. Distinctionem cultus in latriam et hyperduliam rident 331.

Hebraei. In salutatione quid agant 168. Nomen Dei nomen expositum vocant et pronunciare non audent 176. Post babylonicam captivitatem syriaca lingua quam plurimum utuntur 178.

— Mare rubrum ipsis iucundissimum 182. a Deo lumen in deserto habent 182, in arcam spem suam reponunt 185 et *Maria.*

Helvidianus. Haereticus negans Mariam virginem post partum 234.

Herodes Satanae minister in Christo persequendo 66, 519, 520.

H.rod‿tus. De cubito babylonico 40.

Hesiodus. De Pandora 143, 445.

Hieronymus (S.). De selah 358. De incarnatione revelata ab initio 78. De Virginis gratiae plenitudine 190, 297.

Homo. Excellentissimus animalium 230. Continet esse inanimorum, vitam plantarum, sensum animalium 230. Unam tantum animam habet eamque rationalem 258, duplicemque substantiam 277. In eius potentiis concordia et discordia 273, 277. Quae in ipso praecipua sint 200. Amore et cognitione Deum maiorem reddere potest 259. Nil magis cupit quam divinam similitudinem 142. Quomodo possit ad perfectionem venire 149. Homo Deum beatifica visione in Virginis utero primum vidit 159. Benefactori gratias agere debet 150. Eius amor in mulierem pulcram naturalissimus 345. In morte severissimum iudicium etiam de minimis subibit 574. Omnis in Adam peccavit, quia in ipso potentialiter 498. Parvus mundus 155, 258, 340, 356. Maior mundo virtute 340. Arbor inversa 313. Civitas 467. Quomodo se habeat sub coelo frigido, temperato. calido 258. Deo similis in dignitate et auctoritate creatus 143, cum donis iustitiae originalis, scientiae, immortalitatis, felicitatis fineque duplici 143, 469, 470. (Vide etiam *Adam* et *Eva*). Cur in creatione non laudatus 345. Homines alii aliter Dei imagines 145. Res magna est hominem Deo esse similem 142. Homo igneus et homo e quadriformi figura Ezechielis quid significent 152, 523, 534.

— Multi homines Dei singulares imagines 143, magni in aliqua re 145. 291, 292, homini Deus domum mundum dedit 155. 450. 455, 463, nullus sponsam virginem violatam duceret 482, 501 et *Maria.*

Honor. Est reverentia alicui exhibita in testimonium virtutis et dignitatis 323. Eius est hominis animum extollere 286. Error Calvini in honoris distinctione 322. De honore Deo. Mariae et Sanctis exhibendo vide *Deus, Maria. Sancti.*

Hortus conclusus. Figura Mariae quoad virginitatem 131, 225, silentium 261, plenitudinem gratiae 195, 430, 586, ineffabilitatem 591.

Humilitas. In eo consistit ut homo nihil se existimet, nihil sibi attribuat, omnia a Deo recognoscat 279, 287. E Dei et sui cognitione oritur 281, 282, 478. Variae similitudines ibid. Eo maior quo dignior persona se humilians 287. Animus quo humilior eo beneficio vel minima pluris facit 519. Humilitas honorata rara avis 278, 279, 496. Anima humilis Deo carissima 280, 286, 288. Similitudines ibid. Quo maior, eo et maior gloria 279, 587. Similitudo ibid. Vas gratiae Dei 286. Via ad dona Dei promerenda 284. Fundamentum virtutum 344. Mirabilis in Sanctis, mirabilior in Christo et in Maria 278. Graece tapinophrosini generatim dicitur 283, 557.

Hydria. Eius mensura 395.

Hypanis. Scythiae flumen, quid figuret 495.

I

Iachin (columna iuxta mare aeneum). Quid significet et figuret 549.

Iacob. Nomen ei mutatur et quare 177. Mysterium Incarnationis cognoscit et obstupet 95, 123.

— Deus ei apparet minori gloria quam Virgo Ioanni Evang. et quare 9, 10. Matrimonio nobilissimus 117. Rachelis amore captus 133, 135, eam sine dote accipit 126, dolet in filii putata morte 61, 67, gaudet de eius gloria in Aegypto 70, 73, laetus terram Chanaan relinquit et quare 575 et *Maria*. De eius scala vide suo loco.

Iahel. Fortitudine laudata 131 et *Maria*.

Idololatria. Peccatum maximum 47.

Iedidah. Iosiae Mater, figura Mariae 89.

Iephte. Filia eius virgo corpore non mente 131.

Ieremias. Christum in utero perfectum praedicat 88, 238, 296.

— Deus ei apparet minori gloria quam Maria Ioanni 10. Mariam vocat novam mulierem 165, miraculum 11, 225, 296, 442. In utero sanctificatus 54, 65, 167, 420, 425, 446, magnam gratiam accipit ut dignus Dei propheta sit 127 et *Maria*. Vide etiam *Maria* n. 4.

Ierusalem. Interpretatur visio pacis et duplicis pacis 168, 576. Supra tres montes fundata 344.

— Regina civitatum 339, 340, supra montes fundata 341, 425, 451, 463, 465, 472, supra omnes civitates dilecta et ideo maximis cumulata donis 127, 345-354, 463, 472, 481, tria singulariter de ipsa laudantur 361, multis titulis a David et Isaia laudata 369, 370, 465-467, Dei flumine laetificata 462, 485, decora 425, 465 et *Maria*. De relatione Mariae cum Ierusalem vide Comment. in *Ps. 86*, 335-380 et primum indicem 608, 609.

Ierusalem coelestis. In eam nihil coinquinatum ingreditur 410, ab Angelo mensurata 196, tanquam sponsa ornata 465, lapidibus pretiosis constrata 426, 462, 463, duodecim portas et fundamenta habet 425, 493 et *Maria*.

Ieroboham. Eius uxor mutata veste prophetam Ahiam invisit 519 et *Maria*

Ignatius (S.) martyr. Virginem vocat coeleste prodigium 11.

Ignis. Operatorius est 550. Sursum tendit 556. Figura gratiae Spiritus S. 567.

Imagines Sanctorum. Populis simplicibus divina mysteria praedicant 377.

Imperatrix. Privilegio et gratia principis a legibus exempta 411, 498, iisdem titulis ac sponsus honoratur 478 et *Maria*.

Incarnatio. Ante omnia praedestinata, vide indicem primum 599 serm. 1 in *Missus est*. Ab initio Angelis et Adamo priusquam peccarent revelata 77, 78. Praenunciata a Deo, Angelis et hominibus 89, 95, 96, 130. Revelata Isaiae iuxta piscinam superiorem et quare 155. Praefigurata in theophaniis V. T. 151, 152, in scala Iacob qui vehementer obstupet 123, 149, in pluribus viris insignibus 88. In nomine Gabriel demonstratur eius possibilitas, in nomine Michael eius impossibilitas, in nomine Raphael eius finis 91, 92. Opus infinitae caritatis 77, 123, 124, 154, 467, incomprehensibile 122, 148, 214. Magnum. summum omnium miraculorum propter coniunctionem infinite distantium 122, 326. Unio hypostatica supremus gradus creaturarum 211. Causa occasionalis peccati 82, rebellionis Angelorum 181. In ipsa factus est circulus perfectus et quomodo 115. bona increata infinitusque bonitatis divinae thesaurus creaturae communicatus 85, 86, 155. Quae causae et finis 84-87, 108, 121, 122. Eius circumstantiae 114-116.

Induere. Est abundare et copiose possidere 33.

Intellectus. Obiectum intellectile eius domus 464. Infinitae capacitatis 549, 577.

Ioannes Baptista. Nullum signum fecit 10. Gratia et Spiritu S. per Mariam repletus 203, 249, 551-553. In utero Deum cognoscit et diligit 553. — In utero a peccato mundatur 54, 420, 425, 442, 446, ibique accipit liberi arbitrii usum 55, miraculo natus 13, nomen divinitus habet 177, plenus Spiritu S. 105, 191, 194, Spiritu S. et gratia magna repletur, ut dignus Christi praecursor sit 127, 481, a peccato actuali praeservatur 490, magnus in oculis Dei 180, laudatur 164, a Christo baptizatur 513 et *Maria*.

Ioannes Evangelista. Christum summo amore diligit 6. Mariae filius adoptivus a Christo de cruce datus 5, 6, 67. A Virgine prae omnibus

post Christum dilectus 6, 7, 257. Virginem accepisse in sua quid sit 6. Sub cruce omnes Christianos figurat 175. Naturam et qualitates Verbi ostendit 155. Post ascensionem et assumptionem Christi et Mariae apparitionibus recreatus 5, 6. Virgo ei apparet in Patmos amicta sole, etc. 7, 178. Quid hac visione Deus illi significare vellt 8. Item Virginem videt in arca testamenti figuratam 570. Post Verbi contemplationem nonnisi tenebras in mundo reperit 31, sic Maria. De eius visione vide Comment. in *Signum Magnum* 1-74.

Ioannes Chrysostomus (S.). Vide *Chrysostomus*.

Iob. Maxime afflictus in filiorum morte 61, a Deo laudatus 164 et Maria.

Ionathas (filius Saul). Morte a patre decreta liberatus propter salutem populo latam 488 et *Maria*.

Iordanis. Fluvius iudicii interpretatur 574, ad arcae transitum cursum sistit 459, 460 et *Maria*.

Ioseph (patriarcha). Figura Christi 115. Salvator mundi 86. Multa pati eligit quam peccare 25. A Deo vendi permittitur ut magis glorificaretur 80. Propter eum domus domini sui benedicitur 221. — Magnus imperio 291, 292, visiones principem futurum ostendunt 17 et *Maria*.

Ioseph (Virginis sponsus). Excedens interpretatur 124. Sanctorum omnium maximus post Mariam 97. 489. Tertius inter praedestinatos 97. Custos purissimus corporalis virginitatis Mariae 489. Apparet in scena incarnationis 96. Mortuus mundo per votum virginitatis 98. Licet eius sponsus, Virginem tanquam Sponsam et Matrem Dei veneratur 218. Ab Angelo accipit Christum a conceptu perfectum 239.

Iosias. Interpretatur ignis Dei 95. Christi figura 88, 89, 95.

Iosue. Imperat soli 52, plenus spiritu sapientiae 191 et *Maria*.

Isaac. Ab Angelis praenunciatus 88, 95, 119, 157 et a patre in monte oblatus in figuram Christi 99. Incarnationem per revelationem cognoscit 95. — Miraculo natus 13, sponsam habet virginem illibatam 136, 487, per Eliezer quaesitam 105, ab eodem mirifice dotatam 90, 117, Deus cum eo 208 et *Maria*.

Isaias. Mysterium Incarnationis cognoscit 155. Vaticinatur eius causas Christi praerogativas explicando 87, 122, 125, 127, 522, 155. Deum videt in humana figura 152. Nomen Dei assumere se indignum putat 176. Advocatus pro Ezechia 401. — Deus ei apparet minori gloria quam Maria Ioanni 9, 10. Mariam vocat miraculum 11, 419. Loquitur de populorum in eam mirabili devotione 342, de eius gratiae plenitudine 42, 289, 296, 341, 425, 451, gratiae Christi similem ostendens 198, 418, de virginitate 131, 135, 165, 310, 311 et saepe, de ipsius honorum copia 418, titulo Matris Dei eam exornat 233, 560. Vide etiam *Maria* n. 4.

Iudicium. Severissimum de peccatis vel minimis omnis homo, Maria excepta, subibit 574. In Iordane figuratum 574.

Iudith. In eius cantico tria consideranda 276, laudata fortitudine 31, multis aucta beneficiis 221 et *Maria*.

Iustificatio Effectus amoris Dei 347. Mysterium ineffabile in nive figuratum 560.

Iustitia. Lux dicta 423 et *Maria*.

Iustus. Fundamentum mundi 363, civitas sancta et munita 466, 467 et *Maria*.

L

Lactantius. Ab eo Christus vocatur apator et amitor 312. De Sibyllis 312.

Lazarus. Permittitur eius mors ad gloriam Filii Dei 80. In morte eius Christus lacrimatus 67. A morte ad vitam mortalem revocatus 74. Resurrectio eius corona miraculorum Christi 15.

Lectulus Salomonis. Figura Mariae quoad fortitudinem 581, 582, quoad custodiam Angelorum 216 et quoad copiam virtutum 199.

Leo. In visione Ezechielis fortitudinem designat 593. Christum in resurrectione figurat 534.

Levitae. Puri esse debebant et in atrium ingrediebantur 358, 474, 489, 531.

Lex. Impotentia ex lege 138, lux dicta 423 et *Maria*.

Lia. Interpretatur unita 90. Susceptis singulis filiis gratias Deo agit 222.

— Figura Mariae 90, verba eius 60, 220, divinis beneficiis aucta 221, bonum virum a Deo accipit 221 et *Maria*.

Libanus. Mons altissimus, amoenissimus, pulcherrimus 265, 435. Candor interpretatur 434, 566. Figura innocentiae 434.

Libra. Apud Hebraeos triginta unciarum 439.

Lilium. Pulcherrimus florum 415, 456, 579 et *Maria*.

Loth. Ab incendio Sodomae liberatus 157. Fide salvatus 158.

— Eius filiae propter eum ab incendio salvatae 499 et *Maria*.

Luna. Natura mutabilis 43. Ex etymologia hebraica quid significet 44, quid apud Aegyptios 44, quid apud sapientes 46. Significat omne quod sub Deo est 42, Ecclesiam 43, 575, fidem 44, 45, virginitatem 310, 433, animam humanam 487. Quando eclipsetur 487.

— Figura Mariae 18, 142. Post solem plus omnibus splendet 98, luminare maius inter stellas 105, illuminat noctem 142, plus potest luna plena in mundo quam omnes stellae 144, nutrix et mater omnium in natura rerum 297, similis soli 486, a sole ab initio a tenebris praeservata 487, maximam lucem accipit a sole cum est in auge 528, sol sibi simillimam reddit ad nostram utilitatem, et ipsa quidquid accipit liberaliter effundit 144, 297, 332, 389, 452, est humida et frigida 310, humillima 547 et *Maria*.

Lucifer (stella). Nunquam eclipsatur 424, 491 et *Maria*.

Lux. Symbolum nobilitatis 18, bonitatis 28, 163, sanctitatis 423, sapientiae 28. Lux et gratia 195. Primo die producta 293. Lux et humilitas 30, 31, 281, 548.

— Lux dicti: Deus, Christus, Apostoli, Sancti, Angeli, fides, iustitia, gratia, gloria, evangelium 423, sine luce nihil in mundo generatur 28, inter omnia a Deo laudata 163, maxime communicabilis ubicumque sit 213, ubi specialius habitet 149 et *Maria*.

Luza. Locus ubi Iacob scalam coelestem vidit 449.

M

Magi. Decima tertia die Christum natum invisunt et animas proficientes figurant 522.

Malachias. Christum ingressurum templum prophetat 152, 534.

Manichaei. Haeretici Mariam veram Christi Matrem negantes et quare 64, 234, 303.

Manna vas. Figura Christi et Mariae quoad bonitatem 144, 389, 456, figura Mariae quoad gratiae plenitudinem 189, 549.

Mardochaeus. Capitali corona et nobilitate ab Assuero donatus 20, 50, Iudaei in eius exaltatione gaudent 72 et *Maria*.

Maria soror Moysis. Sic vocata ut vel ipso nomine Virginis figura sit 177. Ex semine Abraham et tribu Levi 177, virgo 137, 177, 178, 401, lepra respersa 178, 401, prophetis 177, 262, 266, 276, 401, 556, princeps et dux israelitarum mulierum 47, 177, 262, 266, 293, 401, 556, primum canticum V. T. canit 260 tria in eo consideranda 276, cum pietate, exultatione canit 72, 262, 270, divinis aucta beneficiis 221, nobilis virtutis splendore 235, praecipuum Israel beneficium 400, 401, 403, causa praecipua liberationis populi ab aegyptiaca servitute 503 et *Maria*.

Maria Virgo. 1. *Silentium Scripturarum*. 2. *Nomina et figurae*. 3. *Praedestinata*. 4. *Praenunciata*. 5. *Genealogia*. 6. *Conceptio immaculata*. 7. *Nativitas*. 8. *Annunciatio*. 9. *Matrimonium*. 10. *Maternitas*. 11. *Visitatio*. 12. *Purificatio*. 13. *Dolores et gaudia*. 14. *Mors, assumptio, gloria in coelo*. 15. *Gratia et sanctitas*. 16. *Virtutes*. 17. *Praerogativae et privilegia*. 18. *Excellentia*. 19. *Devotio et beneficia*. 20. *Imitatio*.

1. *Silentium Scripturarum*. Sacro quodam silentio S. Script. B. Virginem tegit propter excellentiam ne quid vile putaretur 8, 453, 454, ne quasi numen adoraretur 30, ut sicut Deus ineffabilis demonstraretur, 8, 59, 591, ut maiori admirationi esset 590, ut magis glorificaretur in coelo 30, et propter Virginis humilitatem et morem Scripturarum 495, 496, hinc etiam hortus conclusus dicta 591.

2. *Nomina et figurae*. Non nominatur ab Angelo pro reverentia 177. Supra omne nomen post Christi nomen ibi. Plenum mysteriis 177-184. Divinitus impositum 177. In nomine sororis Moysi figuratum 177, 178. In monte Moria adumbratum 458. Quomodo vocetur et scribatur ab Hebraeis, Luca, Evangelistis, Septuaginta Interpretibus 178. Syriace *domina* interpretatur 178, 502, Hebraice interpretatur: *amaritudo maris*, *myrrha maris*, *odor maris*, *visio maris*, *doctrina*, *pluvia temporanea*, *exaltans*, *luminare maris*, *gutta*, *stilla aquae* 179, 295, 502, 503. Secundum acrostichidas

rationes Graecorum est: *min ruah Iehovah melua, vel melo ruah Iehovah melua* 502, 555. Quomodo haec omnia Mariae respondeant aptissime, ibi. Thesaurus bonorum omnium et gratiarum 8, 27, 28, 58, 254, 368 et saepius. Thesaurus Divinitatis 28. Consors et particeps Divinitatis 213. Thesaurus gratiae 368. Thesaurus vitae 250. Virgo divinissima 356, 364, 368, 401 et saepissime. Sponsa Dei 9, 89, 122, 167, 320, 435 et saepe. Corona Virginum 456, Sanctorum omnium 11, 57, 383. Mater Dei 95, 174, 175, 181 et saepe, Christi 9, 19, 90, 95 98 et saepe, omnium 15, Christianorum 174, 175, 370, 387, 588, Apostolorum 386, misericordiae 251, 253, 254, 390, 391, misericordissima 391, dolentissima 60, amantissima 391, 396, 496. Doctrix et magistra Apostolorum 56. Domina Angelorum 52, 231, 297, 456, 550 et saepe, creaturarum 52, 250 et saepe. Spiritualis sacerdos 183. Dea omnium 53, 97. Coelum Christi 483. Fucina aeternae lucis 213. Regina 17, 23, 53, 254 et saepe, Angelorum 91, 340, 385, misericordiae 253, 254, animarum 276, 340, 401. Imperatrix mundi 91. Turris David 199, 432. Coelestis mulier 18, 445. Via salutis 456. Pandora 143, 445. Thronus cherubicus 11. Miraculum 11, 49, 276, 290, 419. Columba pura 225, 241, 437. Ornamentum paradisi 40. Nova mulier 165, 225. Principium gratiae et vitae 84, 91, 130. Dei imago pulcherrima 106, 129, 143, 145. Procerrima palma 201, 225. Scala coeli 154, 456. Arca Divinitatis 380, 548, 570, 575 et saepe. Porta coeli 100, 151, 456. Filia Dei 320, 350, 435. Fenestra coeli 183. Firmamentum 195. Paradisus 100, 122, 151, 195, 215, 415. Coelum animatum 250. Thronus Dei 216, 457. Vas Divinitatis 128. Christi socia 89, domus 149, 450, 481, 491 et soror 89, 122, 435. Lux splendidissima, solaris 163, 197, 423. Fornax divina lucis et ignis 213. Aquaeductus Christi et gratiarum 155, 194, 195. Pelagus et mare gratiarum et benignitatis 191, 380, 390. Terra benedicta, bona, fructifera 236. Mare incorruptionis 185. Coelestis columna ignis in deserto mundi 172. Thalamus 191, solatium Spiritus S. 297. Currus et equites exercitus Ecclesiae 146, 216. Abyssus bonitatis et gratiae 186, 250. Gratia 250. Fons gratiarum 142, 391. Vita 250, 253. Advocata nostra 397, 403. Causa vitae 254, 549. Princeps Prophetarum 260. Scala peccatorum 254. Collum Ecclesiae 578. Salus iustorum et peccatorum 36, 57. Fiducia nostra 254. Thesauraria bonorum Dei 286, 588. Salus nostra 253. Magna arbor gratiarum 393, 394. Dulcedo nostra 253. Ornamentum Ecclesiae 383. Spes nostra 250. Optima mediatrix nostra 250, 254, 493. Spes Christianorum 243. Patrona Ecclesiae 250. Habitaculum Trinitatis 354. Adiutrix singularis humani generis 251. Pelagus clementiae 186. Domus Dei 11, 99, 149, 150, 151, 408, 409 et saepissime. Arca 11, 144, 146, 147, 213, 242, 416, 417. 440 et saepissime. Tabernaculum 40, 41, 174, 403. 491 et saepissime. Templum 11, 28, 98, 99, 190, 491 et saepissime. Statua Nabuchodonosor 39, 40, 41. Aurora 164, 313, 415, 423. Stella 142, 483, 450, 491. Luna 22, 128, 142, 194, 309, 310, 473 et saepissime. Sol 22, 142, 163, 165 et saepe. Virga Aaron 146, 310, Iesse 11, 419, 459. Lignum vitae 236. Hortus deliciarum 59, 122, 391, 415 et saepe. Hortus conclusus 131, 195, 261, 591 et saepe. Ager plenus 236. Fons signatus 59, 122, 142, 170 et saepe. Mons 42, 99, 202, 203, 311. 467 et saepe. Ierusalem 227, 338, 426, 462, 463 et saepe. Ierusalem coelestis 426, 465. Ianua clausa 59, 131, 311, 492. Aurea urna 191. Sion 364, 369, 462, 467. Martha 434, 551, 592, 594. Maria Magdalena 434, 551, 591, 594. Virgula fumi 195, 428, 577. Vellus Gedeonis 128, 424. Rubus Moysis 11, 129, 209, 448. Mare aeneum 549. Nubes in deserto 460. Nubes Eliae 460, 578. Vas novum Elisei 128, 189, 190, 549. Templum Zorobabel 468. Vas plenum manna 128, 191, 549. Anima Salomonis 128. Mons myrrhae 203, 403, 434. Mulier Proverbiorum 21, 165, 260, 336 et saepe. Sponsa Canticorum 198, 225, 261, 274, 466 et saepissime. Soror Moysis 177, 178, 401. Coelum 420, 483. Radix arboris Nabuchodonosor 494, 495. Lux creationis 424. Eva 20, 119, 193, 221, 549 et saepissime. Arca Noe 459. Sara 89, 90, 97, 119. Lux in deserto 460. Rachel 81, 90, 119, 434. Stella Iacob 11, 458. Lia 89, 90, 221, 434. Scala Iacob 11. Rebecca 89, 90, 119. Ruth 21. Esther 21, 34, 57, 217 et saepissime. Templum Ezechielis 190, 418, 419, 451. Mater Samsonis 92, 97. Bethsabee 21, 89, 90, 244, 367. Iedidah 89, 90. Res novae utriusque Testamenti 436. Mulier amicta sole 27, 37, 423, 425, 441, 570 et saepissime. Domus Sapientiae 443, 449. Navis 338. Petra deserti 331. Lilium 415, 456, 579. Sulamitis 429. Thronus 18, 457, 458, lectulus 216, 427, 457, 580, ferculum 227, 580, 581, domus Salomonis 11.

3. *Praedestinata*. Mater Dei 19, 20, 55, 330,

347. 467. Sponsa Dei 56, 480. Digna Mater Dei 481, 482. Ante omnem creaturam 20, 347. Ad supremum gradum gratiae et gloriae 19, 55, 330, 347, 361, 481. Ad immaculatam conceptionem 480, 481. Nobilissima praedestinatione nobilitate naturali, gratia, gloria 17, 25, 55, 128, 129, 135. Tres stellae in eius praedestinatione 55. Secunda inter praedestinatos in gratia et gloria 97, 98. Similis in praedestinatione Christo 454. Prius in coelo quam in terra visa 461.

4. *Praenunciata.* Multis vaticiniis Prophetarum 11, 55. A Moyse in oraculo Genesis 164, 233, 310, 461, 494, 495. A Balaam in virga Israel 11. A David in aurora 313, 423, in regina 320, 335, 336, 385, 386, in Ierusalem 337-380, 461-467. A Salomone in muliere Proverbiorum 21, 165, 260, 336 et saepe, in Sponsa Canticorum 198, 261, 336, 422-437, 466 et saepissime. Ab Isaia in prophetissa 401, in virgine paritura 11, 123, 165, 225, 289, 307, 310, 365 et saepe, in monte 42, 99, 342, 419, 425, 451, in deserto 418, in radice Iesse 11, 198, 419. A Ieremia in muliere virum circumdatura 165, 296, 311, 360, 442 et saepe. Ab Ezechiele in porta clausa 59, 131, 492, in domo Domini 190, 418, 451. A Daniele in monte 311. Ab Aggaeo in templo secundo 468-472. A Michaea in monte 451.

5. *Genealogia.* Ut Melchisedech et Elias sine genealogia introducitur ut quiddam coeleste 8, 497. In carne ornata summa nobilitate 200, 235, e stirpe David 19, 124, 266, 317, 456, 482, 486, 500, 501, e progenie Abraham 456, 482, de genere Aaron 482. Similis Christo in genealogia 456. Regia dignitas in ascensu lectuli Salomonis figurata 427.

6. *Conceptio immaculata.* In Evangelio nihil de Mariae conceptione, quia ineffabiliter magna 438, 439, ne quid vile putaretur, et similis Christi conceptioni haberetur 453, 454, 455, 459, 486. Virtualiter continetur in divina maternitate 455, 457, 479. Conceptio Mariae mirabilior quam Christi 459. Immaculata praedestinatur 481. In conceptione habuit tres stellas 55. Conceptio immaculata principium redemptionis humanae 468.

Rationes pro immaculata conceptione. Deus sapiens architectus 408, 409, 455, 456. Deus potuit 411, 412, 442, 455, 480, 482, 499, Deus debuit 480, 498, Deus voluit 412, 442, 455, 499. Deus omnia proprio fini apta fecit 455, 480, 481. Deus puritatis amantissimus 474, 499, 500. Honor Dei 412, 413, 482, honor Christi 413, 414, 442, 443, 445, 446, 455, 475, 480, honor Virginis 413. Amor Dei erga Virginem 402, 463, 472, 480, 481, amor Dei erga Christum 413, 414, 444, 445, 474, 475. Magnificentia Dei 410. Misericordia Dei 488. Angeli in gratia creati 417, 420, 442, 463, 464, 472, 477, 480, 481, item primi parentes 415, 416, 420, 469, 470, 471, 472, 477, 481, Ieremias et Ioannes in utero mundati a peccato originali 420, 425, 442, 446. Potentia, sapientia et bonitas Dei clarius manifestandae 444, 445. Natura peccati orig. 446, 475, 501. Nullum in Virgine peccatum actuale 444, 475. Nulla utilitas in Virgine ex peccati orig. permissione 478. Nobilitas sanguinis Virginis 500, 501. Matrimonium cum Ioseph 501. Nomen Mariae 502, 503. Merita Christi 487, 488, 499. S. Scriptura non contradicit 414, 417, 498, imo admittit verbis et figuris 415, 444. Ecclesia favet 410, 421, 477. Scholae consentiunt 421. Ne ullus locus vacuus in regno gratiae remaneret 489, 490. Ut Christus perfectus redemptor esset 489, 490. Maria Mater Dei 438, 439, 442, 443, 448, 455, 456, 474, 475, 477, 479, 480, 488, 503, Sponsa Dei 412, 416, 417, 474, 478, 480, 482, 490, 501, mediatrix inter homines et Christum 493. domus Dei 408, 409, 412, 420, 449, 450, 453, 455, 456, 481, 491, arca Divinitatis 416, 417, 418, 440, 441, 447, 459, civitas Dei 461-467, 485, porta Christi 492, 593, coelum Christi 483, thronus Dei 420, 457, 458, habitaculum Dei 447, 495, luna 473, 486, 487, 491, stella 483, 491, nubes 460, coelum animatum 420, regina 478, templum Domini secundum 471, 472. Coniunctio arcta ipsius cum Christo 419, 483, 491. Silentium de tempore repletionis gratiae 416, 419. Verba Genesis (3, 15) 494, 495, 500. Verba Canticorum (4, 7) 495, 500; et (6, 8) 500. Virgini nullum privilegium negandum 477. Mysteria gratiae in Virgine sola omnipotentia Dei metienda 330, 477. Rationes humanae 442, 478, 482. Plures figurae 426, 436, 458, 459, 460. Opiniones DD. Bernardi et Thomae 475, 476. Immaculata colenda quamvis non sit praeceptum 477, 478. Maria immaculata ad Christi honorem et nostram utilitatem 450, 451.

Gratia in conceptione. Absque peccato originali 22, 55, 98, 106, 195, 415, 422, 424, 426, 427, 441, 443, 458, 459, 492, 500, 596, ideo aurora et

lilium ibid. A flumine peccati non tacta 461, 462, 488. Primus lapis templi Mariae a solo Deo positus 340, 473, 488. Per merita Christi liberata 480, 489, 498, 499, perfectissimo modo 463, 498, 513. Fundata supra montes sanctitatis hominum et Angelorum 230, 341, 425, 451, 462, 463, 472, 482, 499, 500, supra fidem spem et caritatem 341, 462, supra dona Spiritus S. 341, 443, 450. Maior sanctitate quam Apostoli et Patriarchae in fine vitae 425, 451, 462, quam Abraham in oblatione filii 499, 500. Ab initio Deo inhaerens 348, 424. In primo instanti flumine gratiarum Dei laetificata 462, 485, Deum contemplata 437. 462. Dei amore languens 436, 437, 448, gratia plena 98, 215, 422, 426, 436, habuit duodecim virtutes 425, 500, supra omnes creaturas dilecta 464, 472. Immaculatissima 196, 474, 489, 527. A Christo baptizata sed maioris gratiae infusione 513.

7. *Nativitas.* Nihil in Scriptura de conceptione et ortu Virginis, ut similis nativitati Christi declaretur 8, 453, 454, 455, 486, et similis Deo 591. Prius sancta quam nata 509. Miraculo nata 13, 55.

8. *Annunciatio.* Vide *Christus, Incarnatio, Gabriel* et indicem primum 599-602, praesertim sermones 2, 6, 7, 14.

9. *Matrimonium.* Eius purissimum matrimonium cum Ioseph figura eius matrimonii cum Deo 501. Ioseph desponsatur Mariae sed tanquam Dei Sponsam et Matrem eam veneratur 218. De eius matrimonio cum Deo vide indicem primum 599-602, praesertim serm. 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 15 super Missus est.

10. *Maternitas.* Vera, naturalis, divina maternitas 55, 94, 232, 249, 365, 479, 490, 509, et saepissime. Vera Dei genitrix ex se sola 245. Gestans Christum solem ut in vase 34. Terra benedicta ex qua formatus novus Adam Christus 236. Probatur ex testimonio Scripturarum 232, 307, 365, 560, ex testimonio ipsius Christi 304, ex traditione 307, 308; ex unicitate hypostasis 306, 307, 365, 367, 548. Maternitas divina basis et origo, radix et caput laudum et omnium privilegiorum 232, 235, 306, 456, 479. Eius dignitas suprema omnium 34, 49, 133, 140, 144, 145, 163, 165, 235, 549. Est stella 56. Ex tribus praecipuis operibus Dei 14, 236, 286, 476, 477. Ab ipso Deo in Genesi praenunciata 373. Solus Deus pro dignitate eam laudare potest 373, 375; ad eam credendam opus est divina auctoritate 372, 377. Est incomprehensibilis omni intellectui 368, 376, 456, 490, 554, 563. Propter hanc dignitatem et sanctitatem Virgo in Script. laudata 560, 561, praecipue in Canticis 374, 375. Maternitas ad fortunam pertinebat 563.

Cum dignitate maternitatis coniuncta summa sanctitas 229, 479, 483, 563. Digna Sponsa et Mater Dei secundum carnem et secundum spiritum 205, 479, 483. Sine sanctitate, licet mater Dei, salutem non fuisset consecuta 563. Beatior concipiendo mente quam ventre 303, 563. Ipsa Virgo sanctitatem maternitati praeferre visa est 563, 564. In utero Mariae incarnationis die Christus rex davidici regni coronatus et rex novi regni Ecclesiae 244, 245, 375, 364. Deus semper cum Maria praesertim post incarnationem Christi 223. Deus singulariter cum ea per hypostaticam unionem, per totius Divinitatis communicationem 98, 99, 139, 149, 174, 207, 213, 236, 237, 317, 318. Uterus Virginis domus orationis, sacrificii, sanctitatis, visionis beatificae 149, 151. Magna miracula in corpore Mariae ob incarnationem 214, 215. Verus paradisus Dei Maria 151, 368. Tota Trinitas in Maria 213. Christum miraculo peperit sine virginitatis iactura 59. Satanas contradicit divinae maternitati per haereticos sed frustra 233, 234. Haeretici vel maternitatem vel virginitatem Mariae adimunt 234.

11. *Visitatio.* Vide indicem primum 616.

12. *Purificatio.* Postrema festivitas infantiae Salvatoris 505. Celebrantur tria mysteria: purificatur Virgo, offertur Christus Deo, et redonatur a Deo hominibus 505, 535. Sine exemplo in Scripturis 545. Dicenda festivitas puritatis Mariae 527. B. Virgo non indigebat legali purificatione, quia supernaturali modo conceperat et pepererat 509, 541, quia purissima 508, 509, 513, 518, 527, 539, 540. Purificanda venit ex humilitate 509, 518, 519, ex pietate erga Deum 510, ex reverentia erga legem 510, 511, et aliis rationibus 517-520. Purificatur per novam gratiae infusionem 511, 542. Exempla huius purificationis 512, 513, 538-541. Hanc gratiae infusionem meruit humilitate 518, 529, 530, 543, 546, caritate 528, 530, 535, 536, 542, 543, 546, gratitudine 516, 517, 519, 529, 530, 543, obedientia 530, 543, 544-556, renovatione sacrificii triplicis concupiscentiae 530, oblatione hostiae 541, 544, benedictione Simeonis 511,

512. 542, 543. Purificatur eo sensu quo Christus dicitur sanctificatus 538. 539. Mariae oblatio Filii super omnes oblationes Deo gratissima 532, 533, 546. multiplici capite omnium maxima 507, 508, 514. 515. 517. 532-535. 546. Mystica interpretatio legis purificationis 521. Imitanda 514, 544.

13. *Dolores et gaudia.*

Dolores. Martyrium eius spirituale 56, 183, 586, 587. Ob dolores in muliere Apocalypsis et in oraculo Geneseos figurata 59, 60, 61, 519, 520. Mater dolentissima 60. Amarum mare 60, 180. Dolet plusquam Iacob et David, plusquam mulier Naim, Noemi et mulieres Ierusalem 61, 65, 67. Infinite dolet ex infinito amore erga Filium 62, 64, 67, 524, 540, 586, 587. Dolet de prophetia Simeonis 60, 66, 586, de suspitione Ioseph 66, de inhumanitate Betlehemitarum 66, de partu in stabulo et in nocte 66, de fuga in Aegyptum 66, de ammissione Filii in templo 66, de persecutione exorta in vita publica Iesu 66, de captura Christi et de reliquis doloribus eius 66, de agonia Christi stans iuxta crucem 67. 586. de consolatione a Christo in cruce habita 67, 68. de Filio mortuo 67. Dolet ex omnibus humanis rationibus 68. Per omnia patienti Filio similis 69. Mariae spiritus iuxta aram crucis sacerdotali munere fungens 183.

Gaudia. Socia passionum Christi et gaudiorum 254, 588. A Filio moriente solamen accipit 67. Gaudet de resurrectione Filii plusquam Iacob de invento Ioseph, plusquam pastor evangelicus. mulier drachmae, pater prodigi, plusquam discipuli, Anna mater Samuelis, Iudaei ab Esther liberati, plusquam soror Moysis cum mulieribus israeliticis, transmisso mare 71, 72. Causae laetitiae eius 73, 74. Causa eius gaudii gratiae plenitudo 190. Triplici gaudio perfusa 272. Semper gaudio perfusa quia semper sancta 379.

14. *Mors, assumptio, gloria in coelo.*

Mors. Scriptura nihil aperte de eius morte et quare 590, 591. Comparatur translationi arcae a deserto per Iordanem 574. Maria mirabilis in morte sicut in omnibus 14. Eius mors similis morti Christi 454, suavissima quia semper absque peccato et quia ad Filium pergebat 14, 574, 575. Corpus eius a corruptione liberum 215. Resurrexit 331, 575, corpore gloriosior quam omnes Sancti ideo amicta sole 575, 576, hymnisque Angelorum honorata ibid.

Assumptio. Instinctu Sp. S. ab Ecclesia celebratur 498. Est mysterium ineffabile 588. SS. Scripturae nihil de ea aperte et quare 590, 591. cum admiratione sub figura loquuntur in Canticis 588. Comparatur translationi arcae in templum Salomonis 576. Assumpta est 7, 14, 216, 331, 454, anima et corpore 447, 498, 576, 589. mirabilius quam Elias 588, Angelis et Christo comitata 14, 216, 573, 591, summa exultatione in coelum excepta 575, 576. quintodecimo anno post Christi ascensionem 7.

Gloria. Metienda ab eius sanctitate quia ex ea non ex affectu carnis Christus eam glorificavit 576, 577. Eius gloria omnium maxima et ineffabilis 35, 53, 100, 151, 571, 573, 584, 585. Sub Deo nihil gloriosius 550, 595. Deo quodammodo gloriosior 10, 15. Super choros Angelorum collocata 127, 216, 570, 576, 585, 588, ad dexteram Filii 331, 573, 585, 588, cum eadem prope gloria 454, cum immenso felicitatis thesauro 28, 34, 35, regina coeli et omnium creaturarum coronata 23, 51, 53, 97, 159, 164, 179, 576, 595. Ipsa paradisi ornamentum 40, 576. Tanta gloria coronata ad Dei gloriam et nostram utilitatem 594, 595.

De eius gloria vide, praeter sermones in *Assumptionem*, sermones 3, 4, 5 in *Signum magnum* 27-58.

15. *Gratia et Sanctitas. Praeter dicta sub n. 6 de gratia initiali, haec de gratia in genere habeantur.*

In Virgine nunquam vel minima et levissima macula peccati 22, 97, 98, 106, 131, 195, 205, 215, 225, 312, 313, 401, 424, 425, 427, 441, 442, 449, 473, 481, 492, 551, 556, 581, ideo luna et sol et porta ter clausa dicta ibid. Cum ea nunquam satanas sed semper Dominus in initio, in medio, in fine vitae 215. Nihil de ea indignum cogitandum 459. Mori potius elegisset quam peccato foedari 446, 478. Ut Christus a satana per omnia tentata sed nunquam victa 25, 164, 215, 353, 354, 581. Peccare non potuit 549. Non est redarguta nisi specie a Christo in templo et in nuptiis, quia nulla in ea culpa 303, 304. Absque ulla maledictione 131, 169, 170, 190, 217. Purificata dicitur, sed eo sensu quo Angeli dicuntur purificari, idest, maioris gratiae infusione 511, 542. Gratia plena ut mare aquis et sol luce 197, 276, ideo in vasis plenis S. Script. figurata 128, 549. Semper gratia plena 215. Gratia plena erga

Deum, erga seipsam, erga nos 142, 188. Gratia est illi data sine mensura 194. Tota plenitudo gratiae in eam se infudit 205, 297. Triplici gratiae plenitudine plena: sufficientiae, abundantiae, excellentiae 203. Quid sit gratia Mariae, quae causae, qui effectus, qualis et quanta 204. Sancta et perfecta corpore et spiritu 13, 14, 106, 107, 109, 119, 131, 178, 205, 225-227. In eius anima omnia Deo gloriam cantabant 539. Perfectissima virgo et fecunda in corde, ore, opere 312, 313. Omnia opera, eius perfectissima et Deo gratissima 205, 434, 435, 579, in pedibus et manibus Sponsae figurata ibid. Semper purissima 164, 170, 403, 434, 509, 540, 566, 577, hinc in Libano, monte myrrhae, Sponsa tota pulcra figurata ibid. Lux sanctitatis multis titulis 423, 424. Vas, thesaurus Divinitatis 28, 128, 189, 190. Plena Deo in corde, ore, opere 550, 555. Thesaurus gratiae et sanctitatis 28, 35, 106, 132, 151, 179, 196, 197, 215, 368, 512, 543. Miraculum sanctitatis 13, 141, 142, 205, 225, 442. Pelagus gratiarum 125, 191, 195, 231. Eius gratia similis et maior gratia Evae 131, 415, 416-471, 472, 549, similis gratiae Christi 139, 175, 188, 195, 198, 416-418, 440, 454, 487, 491, 492, imo fere aequalis ex qualitate mediatricis inter nos et ipsum 493. A latere Christi formata quoad gratiam 454. Gratia et sanctitate Virgo omnes creaturas excellit 35, 90, 105, 119, 126, 127, 136, 142, 158, 159, 190-192, 205, 227, 228, 252, 350, 354, 417, 418, 435, 491, 519, 548, 549, 572, 578, 580, ideo in Sponsa inter omnes electa eiusque collo, in muliere Apocalypsis, in sole et in lilio figurata ibid. Angelis purior 140, 184, 231, 508, 549, 566. Ea puritate nituit qua maior sub Deo intelligi nequit 231, 441, 442, 566. Sub Deo nihil sanctius 549. Mare virtutis 125. Regina, sanctissima animarum 35, 55, 227, 276, 398, 491, 508, 557. Habuit omnem gratiam et virtutes creaturarum 445, 456, 580. Vicit sanctitatem Ecclesiae, in luna sub eius pedibus figurata 425. Gratia eius si appenderetur cum omni benedictione Electorum Dei et Angelorum gravior esset 228. Coniicienda a magnitudine Dei 410, et Filii 410, et Sponsi 91. Augeri potuit 528, 542, hinc in aurora, luna et sole figurata, et revera per singula momenta in centuplum aucta 229, praesertim in Christi conceptione 202, 528, visitatione 202, purificatione 505-546 et in die Pentecostes 202. Sanctitas eius perfecta, quia in ea perfecta sobrietas, iustitia, pietas 539, 540. Gratia eius per montem designata 42, 43, 202, 203, 291, pene infinita 22, 35, 55, 90, 100, 105, 119, 126, 135, 146, 150, 189, 190, 212-216, 225, latitudine, sublimitate, profunditate 196, 197, 416-418, ob infinitam capacitatem animae eius 90, 197, 441, 549, 577, 586. Gratia eius omni creaturae plane incomprehensibilis et ineffabilis 435, 580. Solus Deus eam comprehendere potest 197, imo et ipse vix potest eam enarrare, utique prae nostrae mentis tenuitate 376, 500. Hac sanctitate B. Virgo effecta est viva, perfecta imago sanctitatis Dei 129, 143, parelium solis iustitiae Christi 460, et quodammodo deificata 213.

Haec gratiae plenitudo eruitur praesertim ex verbis: *Signum magnum* 128, 136, 197, 425, 441-442, 500, 508, 549, 573; ex verbis salutationis angelicae in serm. 4, 6, 10, 11, 13, 15 super *Missus* est, et in serm. 4, 5, 6, 7, 8 super *Salutat. Angelicam;* ex omnibus partibus Sponsae et aliis rebus in Canticis e. g. Libano, ferculo, lectulo, throno Salomonis etc. in serm. 5, 8, super *Salutat. Angelicam*, in serm. 2 in fest. *Immacul. Concept.*, in serm. 1 in fest. *Assumptionis* et aliis locis quos videre potes sub figuris n. 2; ex figuris praesertim arca, Ierusalem, templo et aliis loc. cit., et tandem ex omnibus rationibus allatis pro immaculata conceptione n. 6.

16. *Virtutes.*

In genere. Exemplar perfectissimum omnium virtutum 21, 107, 144, 145, 313, 556. In omnibus virtutibus perfectissima 205, 214, 225, 226, 227, 235, hinc dicta simpliciter perfecta ut Deus ens 429. In ea omnia aromata virtutum quae in apotheca Spiritus Sancti reperiuntur 577, hinc hortus conclusus 578. Ob virtutes laudata 224, 225-228. Virtutes eius non extrinsecae tantum sed et intrinsecae 35, 36. Virtutes theologales, cardinales, morales eius in tribus templi partibus, in triplici mensura arcae, in mille clypeis turris David designatae 199, 441, 459, 468. Supra montes virtutum et donorum Spiritus Sancti fundata et statim ab initio, ideo in Ierusalem et domo sapientiae figurata 341, 436, 437, 443, 450, 462. Spiritu Sancto repleta cum omnibus suis virtutibus essentialibus 135, 136, 188, 191, 195, 215, 261, 269, 297, 419, 451, 540, 555.

In specie.

Fides. Fundata supra fidem 45, 46, 47, 341,

462. Prima omnium in Christum credidit et eum adoravit 174. Una ipsa in fide perseveravit in triduo mortis Domini 64, 457. Fides eius semper viva etiam ad impetranda miracula 46, 246. Fidem integerrimam sub cruce exercet 68. Fide eius salvatus mundus 84, 91. Fide plena 22, 35, 107, 132, 343, 504. Fides basis eius beatitudinis et anima vitae eius 45, 47. Laudata ab Elisabeth et a Spiritu Sancto ob fidem 225, 349. Fides eius altissima et perfectissima in reclinatorio lectuli Salomonis figurata et in scabello aureo throni eius 343, 426, 436, 458, 504, 564.

Spes. Maria perfecta in ea 107, 246. Supra ipsam fundata ut Ierusalem supra montes 341. Figurata in una e triplici mensura arcae 441, et in reclinatorio lectuli Salomonis 427.

Caritas. Plena perfectissima caritate 22, 23, 35, 107, 200, 213, ut maioris amoris vas cordis eius capax non fuerit 585. Amat Christum maximo amore 62, 98, plusquam Paulus 67, plusquam animam suam 524, 540, plusquam Abraham Isaac 62, imo caritas eius initialis excessit caritatem Abrahae offerentis Filium super montem Moria 499, 500. Amor eius super amorem hominum et Angelorum 214, 353, 586. Omnes causas amoris in Christo reperit 62. Sic amat Deum ut Filium suum Unigenitum daret 64, 540, 546. Infinite Deum dilexit quia perfecte eum cognovit 265, 509, 529, 546, et iam a primo instanti 348, 436, 439. Super caritatem fundata ut Ierusalem supra montes 341. Magnus eius amor sicut mare 180. Plenissime observavit praeceptum caritatis 352. Caritas eius figurata in porta decem cubitorum Ezechielis 492, in una e triplici mensura arcae 441, in reclinatorio lectuli Salomonis 429, in auro throni eius 457, 458, in sedili throni eius 454, in collo Sponsae 466, in fascia pectorali, in uberibus Sponsae 202, 433, 585, et in gemellis capreae 202, 226.

Virtutes cardinales. Maria perfecta in omnibus 227, in quatuor anulis arcae figuratis 441, et in columnis lectuli Salomonis 427.

Iustitia. In Maria iustitia summa 107, 117.

Prudentia. Maria prudentissima, ideo Sponsa Dei facta 109, 132, 141, 159, 173. Prudentia eius in naso Sponsae figurata 226, 431, 456, 466.

Fortitudo. Maria a satana tentata sed non victa 25, 164, 215, 353, 354, 581. Mira fortitudo eius in passione praesertim sub cruce Filii 68, 69, 536. Fortitudo eius figurata in lectulo Salomonis 427, 580, 581, in leonibus eius throni 458, in columna Booz 549, in collo Sponsae 226, 432, 549, in naso eius ut turris 466, in femoribus eius 134, in turri David 199, 226, 432.

Temperantia Mariae figurata in ventre Sponsae vallato liliis 226, 433. Eius mortificatio carnis 530, 551, in monte myrrhae figurata 434.

Virtutes morales.

Humilitas 14, 54, 132, 140, 159, 167, 180, 181, 270, 282, 285, 500, 519, 547, 557. Ex perfecta visione Dei ignorat suam magnitudinem 30, 31, 281, 282, 287, 511. Humilitas eius quartum miraculum in mundo 286, 287. Humilitate vas coelo capacius in quo excipere Deum meruit 287. Humilitas eius in rubo figurata et in tabernaculo foris pellibus intus auro vestito 287, 484. Tanta humilitas ut mulier communis et peccatrix appareret 429, 484, 511, 519. Verbum *humilitatem* Cantici eius pro abiectione intelligendum 283, 557. Laudata laudes reflectit ad Deum 557. Humilitas eius simillima Christo 279, mirabilior post Christum 279. Eius humilitas eo profundior quo altior eius dignitas 279, 280. Cum Maria Deus egit ut arithmeticus qui ut numerum multiplicet, nullitates addit 279. Tanta eius humilitas ut Christus debuerit humiliari ut illam superaret 279. Humilis verbis et factis etiam post exaltationem 280, 281, 587. Humilitas pene infinita 529, 530, 545. Ab eius humilitate tria colligenda 281, 282. Nulla in Evangelio de ea laus et quare 495, 496.

Pietas. Maria optima psaltes, musicesque divinae doctissima 273, 274. In ea semper concordia in oratione inter intellectum et affectum 273, 274. Deum laudabat ex toto corde, mente, ore et opere, in Deum exultabat, Deum affectu maiorem reddebat 207, 259, 264, 268, 271, 273, 274, 275, 343. Eius orationes Deo et Angelis gratissimae, in eloquio Sponsae Canticorum figuratae 261, 262, 274, 402, 467. Primum canticum N. T. cecinit 260. Contemplationi et orationi summopere studuit, spiritu semper in coelo 159, 343, 403, 434, 467, 551, 574, ideo mons thuris, mons Sion et templum Domini dicta 402, 467, in Angelis contemplantibus arcam figurata 457 et in Maria Magdalena 434, 551, 579.

Puritas. Maria aemula semper divinae puritatis 26, 141, 403, 428. Figurata in ventre Spon-

sae liliis vallato 433, in ebore throni Salomonis 447, 458. Virgo primiceria, purissima, perpetua 46, 119, 129, 131, 137, 223, 225, 443, 492, 559, 570. Puritatem Maternitati praetulisset 413, 478, 563, 564. Vovit virginitatem 138, 141.

Silentium Maria magnopere coluit 119, 159, 261. Septies tantum locuta in Evangelio, ideo hortus conclusus 249, 261.

Contemptus mundi 25, 43, 44, 47, 119.

Modestia et mansuetudo 141, 167, 246.

Patientia 68, 69, 586. Vide *Fortitudo.*

Gratitudo. Maria Deo gratissima ut terra centuplum reddens 269.

Obedientia. Maria perfectissime legem Dei observat 337, 530, 545, 566, 567. Dei nutibus obedientissima 141, 501, 550.

Beatitudines. In Maria perfectae, in gradibus throni Salomonis figuratae 458.

Circa virtutes vide praesertim Serm. 1, 2, 3, 4, 6, in *Signum magnum;* serm. 6, 7, 8, 9, 11, 13, in *Missus est;* ubique in *Magnificat*, itidem in *Purificationem*, in *Visitationem* et in *Assumptionem;* in *Concept. Immaculatam* serm. 2.

17. *Praerogativae et privilegia.*

Quoad corpus. Maria corpore similis Christo 317, 454. Nobilissima 17-21, 55, 135, 178, 200, 235, 456, 500, 501. Summae venustatis 11, 13, 21, 113, 200, 317, 428, 456. Omni ex parte perfecta 317. Pulcrior Eva, Sara, Rebecca, Rachel, Esther, omnibus mulieribus 126, 131, 135, 192, 193. 200, 224, 434 et saepe. A triplici maledictione Evae exempta 218. Moribus suavissimis 21, 54, 214, 456. Dulcissimo eloquio in vitta et vino in Canticis figurata 431, 456. Cordis generosissimi 456. A profluvio sanguinis praeservata 541. Nunquam libidine et concupiscentia tacta, ideo in luna et aurora figurata 97, 98, 170, 218, 309, 310, 412, 457, 458, 496. Fecunda virginitas et virginalis fecunditas 55. Una ipsa benedictione dilata utriusque Testamenti 219. Sine peccato concipit, sine dolore imo cum gaudio partit 59, 72, 131, 170, 412, 420, 569, 520, 541. Mater simul et Virgo 12, 55, 59, 131, 133, 136, 138, 165, 200. 219. 223, probatur Scripturae figuris, ventre Sponsae vallato liliis, virga Aaron, rubo Moysis, porta clausa Ezechielis, tabulis legis, lapide sine manibus e monte praeciso 11, 309, 310, 311; vaticiniis 11, 89, 119, 123, 131, 152, 214, 311 et saepe; testimonio Patrum 312, et Sibyllarum 312. Non sensit purgatorii poenam 170. Praeservata a corporis corruptione post mortem 14, 215, 216. In coelum anima et corpore assumpta 14, 576.

Quoad animam. Maria anima similis Christo 9, 18, 105, 174, 175, 179, 180, 187, 188, 195, 198, 454. Harmonia passionum et affectionum eius animae in dentibus Sponsae figurata 21, 214, 432. Pulcherrimo et candido animo 21, 431, in genis Sponsae figurato. Firmo et altissimo iudicio in naso Sponsae figurato 226, 431, 456. Animi nobilissimi 17, 21, 200, 456. Habet usum liberi arbitrii in primo instanti 55, 462. Nulla imperfectio in virtutibus exercendis 205, 214. Sapientiae thesaurus et omnium scientiarum Dei 28, 29, 56, 85. Perfectissime Deum cognoscit quia exactissime describit Dilectum 265 et quia ipsa imago Dei simillima 267. Altissimae theologiae magistra 262, 267, 268, 555. Intellectus altissimi 317, 456. Sublimitas eius mentis figurata in capite Sponsae 429, 430. Scientia eius figurata in oculis Sponsae 430. Doctrix et magistra Apostolorum 56. Altissimae contemplationis ideo in Magdalena figurata 31, 343, 430, 434, 437, 457, 462, 467, 551, 579. Habet visionem immediatam Divinae Essentiae saltem aliquoties in vita 31, 55, 437, 462. Prophetis divinissima, princeps Prophetarum 260, 284, 401, 554. Triplici spiritu prophetico plena 554, 555. Prophetat suam exaltationem 165 et Ecclesiam perennem 284. Christus apparet primum Mariae 237. Nullum iudicium passa 574. Vide etiam *Conceptio immaculata* n. 6, *Maternitas* n. 11, *Excellentia* n. 18, et serm. 5 in *Signum magnum.*

18. *Excellentia.* Maria divina excellentia et nobilitate ornata quoad naturam, gratiam et gloriam 276, 456, 482, 483, 548, 549. Mulier ter maxima 131, 179, 180. Magnus mundus 126, 135. Mare magnum in quo flumina sapientiae, potentiae, sanctitatis 292, 293, 295, 296, omnes fontes bonorum Dei influxerunt 380. Compendium et thesaurus bonorum et perfectionum Dei 8, 27, 28, 58, 91, 170, 351, 352, 368. Compendium mirabile categoriarum in visione Apocalypsis comprehensarum 337, 338. Divinum, ingens miraculum 10, 49, 276, 419, 442. Cumulus miraculorum 10-15, 240, 289, 290, 295-297. Deus omnipotentia, non legibus ordinariis cum ea egit 330, 477. Deus

magnus in omnibus, maior in Maria 214, 314, 356, 357, 465. In ea omnimoda perfectio 337, 458, hinc perfecta simpliciter dicta ut Deus ens 429. Magna in omnibus 125, 267, 291, 292. In coelo et in terra nihil ipsa pulcrius, praestantius, etc. 105, 135, 199, 250. Quidquid boni, splendoris, nobilitatis in rerum natura, in Ecclesia, in mundo, in Paradiso Mariae collatum 290, 350, 365, 418, 445, 456, ideo in sole, luna, stellis et muliere Apocalypsis figurata ibid. Coelestis Pandora 143, 455. Excellentissima, suprema 211, 212, 250, 261, 456, 467, ideo lilium et civitas regis magni dicta ibid. Nobilissima creaturarum 17-25, 248, 258, 490. In omni genere entium unum praecipuum, inter homines post Christum Maria 217, 582, 583. Per excellentiam ei competit quidquid dignum laude in Ecclesia reperitur 467. Laudes Dei et Christi in eius honorem redundant 141. Fundata super bases potentiae, sapientiae et bonitatis Dei 36, 385, 457. Omnis sub Deo creatura Mariae pedibus subiecta 42, 56, 97, 178. Per omnia corpore et spiritu, gratia et gloria similis Christo 9, 18, 105, 174, 179, 180, 187, 198, 236, 237, 317, 365-368. Simillima Deo potentia, sapientia etc. 41, 144, 183, 205, 212, 263, 341, 342, 388, 389, 460, 508, 509. Imago Dei 129, 133, 145, 267. Quasi aequalis cum Deo 207, 208. Comparatio inter Deum et Mariam 106. Opus mirabilissimum perfectissimumque inter omnia mirabilia opera Dei 594, 595. Haec magnitudo intellectui creato incomprehensibilis 167, 358, 376, 451, 579, 580, ut sancta sanctorum inaccessibilis sacerdotibus ibid. Hinc benedicta ab omnibus et quoad omnia 132, 163-166, 174, 175, 224-230, 242, 348, 369, 370, 427-429, 561, 577-579; iisdem quibus Christus laudibus laudata 376; hinc a Deo, parco in suis operibus etiam perfectis laudandis, usque ad admirationem laudata 375, 376, 379, 435.

Eius excellentia eruitur etiam ab amore Dei erga eam. Deus captus est amore eius 119, 126, 133, 155, 141, 198. A Deo super omnes creaturas dilecta 346, 349-351, 461, 462, in primo instanti suae conceptionis 472, ab aeterno 480. Plus amoris Dei in unam ipsam quam in omnes creaturas 350. Ipsa suprema sphaera amoris Dei 351, 352. Deus in ea reperit omnes amoris titulos 353, 435, 585, 586. Hic amor figuratur in Canticis 435. Vinculis amoris Virgo Deum de coelo in terram traxit 198, insanire eum quodammodo fecit 198, 199, et de ipso potuit quod ex se facere non poterat 199. Sic eam Deus dilexit ut Filium ei Unigenitum daret 519, 545, 549, 585.

De excellentia, magnitudine, nobilitate agitur praesertim in serm. 1, 2, 3, 4 in *Signum Magnum;* in serm. 9, 10 in *Magnificat;* in serm. 4, 5 in *Beatus Venter;* in serm. 1, 3, 4, in *Ps. 86;* de amore autem Dei erga Virginem agitur praesertim in serm. 2. in *Ps. 86*, et in serm. 8 in *Conceptionem Immaculatam.*

19. *Devotio et beneficia.* Magna erga Mariam populorum devotio ab Isaia praedicta in illo: *Confluent ad eam omnes* etc. 342. Summa religione colenda 250. Colenda qua Mater Dei licet a Scriptura non praecipiatur 308. Devotio eius imperata in figura arcae 41, 101, 334, 325, 326. Devotio in eam summa pietas est 41. Publice colenda 302. Devotione in eam Electi a reprobis et Catholici ab haereticis dignoscuntur 171. Eius honor in Christi honorem redundat 303. Ab Ecclesia toto orbe cultu piissimo venerata 253, 383, iam ab initio et semper 171, 250, 251, praesertim post victas haereses 234. Ioannes Ev. Deiparam summa pietate colit 6. Sancti Patres Deiparae cultum praedicant et ipsi in eius cultu assidui 172, 253. Angeli eam perpetuo coluerunt et nunc etiam perpetuo colunt 100, 101, 177, 327. Venerata ab Angelo priusquam Dei Mater effecta 43, 223. Ecclesia militans et triumphans, Angeli et universa coelestis curia eam venerantur 43, 101. Christus eam honorat et honorandam praedicat 67, 245, 246, 301-304, 561-563. Honoravit semper Deus Mariam plusquam Assuerus sponsam Esther, plusquam Salomon matrem Bethsabee 243, 244.

Colenda reverentia. Rationes. Dei imago praestantissima 144, 145. Proxima Deo 318, 320. Filia, Sponsa et Mater Dei 308, 320, 496. Arca et Sancti adorati, magis Maria adoranda 41, 101, 324, 325, 326, 334. In ea divina praesentia, dignitas, sanctitas et gloria 325, 326. Propter beneficia accepta et promerenda 327.

Colenda fiducia quia summe potens. A Deo prae omnibus dilecta 342, 349, 350-353. Omnia potest apud Deum utpote benedicta inter mulieres 387, 594, 595. Matrimonium eius causa salutis et vitae aeternae mundo 112, 159, 254. Summa eius auctoritas apud Deum et Christum

110, 146, 183, 243, 250, 320, 496. Auctoritas eius incomprehensibilis 293, 386. Arca potentiae Dei in salutem Ecclesiae piorumque Christianorum 147, 186. A Deo opus mirabilissimum et perfectissimum operum suorum et sibi simillima facta ad nostram utilitatem 292, 297, 332, 339, 451, 452, 594, 595. Causa omnis consolationis et salutis sicut Esther Hebraeis 183, 184, 587, 588, 594, 595. Omnia a Christo obtinet ob acceptum ab ea in incarnatione davidicum regnum et novum regnum Ecclesiae 264, 374, 375. Regina potentissima 389, 587. Petra deserti ex qua aquae beneficiorum 389, 587. Plus potest in coelo quam omnes Angeli, Sancti et ceterae creaturae, et plus valeret pro nobis si etiam tota Curia coelestis obsisteret 144, 170, 350, 381. Fons et mare gratiarum 125, 126, 170, 186, 380, 390, 391. Potentissima creaturarum 298. Coelestis thesaurus omnium bonorum et gratiarum, thesauraria omnium bonorum Dei 8, 27, 28. 58, 254, 286, 588. Multo utilior Maria quam sol, luna et stellae omni tempore et omni loco 28, 36, 142, 292, 297, 332, 389, 594, 595. Coelestis columna ignis in deserto mundi 172. Nubes Eliae mundum fecundans 460, 578. Salus et scala iustorum et peccatorum 36, 57, 254. Per eam et ab ea omne salutis nostrae beneficium, 91, 109, 242, 253, 254, 493, 503. Mare incorruptionis pro se et fidelibus 184. Fons gratiae perennis, inexsiccabilis, irrigans Ecclesiam militantem et triumphantem et universam terram. 142, 391, 492, 579. Aquaeductus Christi et gratiarum 155. Patrona Ecclesiae 250. Accepit gratiam miraculorum et protectionis 146. Porta per quam intramus ad Christum 493. Magna arbor gratiarum cuius fructus vita, dulcedo, spes nostra 253, 393, 394, 395. Paradisus Dei pro nobis fructificans 391. Eius orationes Deo gratissimae ideo efficacissimae, in eloquio Sponsae figuratae 261, 262, 402. Collum mysticum corporis Ecclesiae 578. Terribilis ut acies ad nos defendendos 111, 147, 185, 186, 242, 561. Vide praesertim sermones omnes in *Salve Regina*, serm. 10 in *Salut. Angel.* et serm. 5 in *Beatus venter*.

Colenda fiducia quia summe bona. Ei non deest facultas nec voluntas gratias impertiendi 170, 246, 247, 331, 389, 403. Omnia bona nobis vult 250, 320. Advocata nostra sapientissima et omnipotens, mediatrix optima inter Christum et homines 57, 58, 144, 170, 251, 254, 397, 398, 399, 403, 493. Qua advocata praecipuum beneficium Ecclesiae a Deo datum 401, 403. Pietas eius erga nos maior quam Esther erga Iudaeos 247. Pietas eius etiam post sublimationem in terra patet in nuptiis, visitatione et sub cruce 246, 247, 249, 390, 391, 395. Nunc in coelo aucta 248, 250. Semel pro se precata, alias pro nobis 249, 261. In coelo orat pro nobis quia nec pro se, nec pro Filio, nec pro Sanctis ei iam orandum 403. Eius summa erga nos caritas in uberibus Sponsae figurata 226, 433. Nobis bona vult quia humilis et benigna et sub Deo clementissima 282, 297, 298, quia plena gratia, idest, caritate 588, 595, quia causa nostri exaltata 320. 595. Pelagus clementiae 186. Nos infinita caritate diligit, quia infinita caritate Deum dilexit 353, 551. Mater nostra amantissima 14, 15, 57. 246, 247, 249, 253, 254, 353, 391, 396, 588, 594, 595. Mater nostra qua Mater Christi capitis 175, 371. Mater nostra in cruce electa 175, 387, 588. Mater eorum qui ad vitam ordinati sunt, figurata in Eva 391. Mater viventium quia fructus eius vita, spes 394. Pro nobis corpus ieiuniis et vigiliis affligit et contemplationem relinquit 530, 551. Pro nobis spiritualis sacerdos Filium immolat 183.

Non frustra colitur 252. Singularis humani generis adiutrix 251. Primum miraculum Christi obtinet 246, 247, 391. Gratias et Spiritum S. impertit Elisabeth et Ioanni, et domum Zachariae replet bonis ut arca domum Obededom 170, 548. 552, 554, 558. Filium suum Unigenitum dedit, dabit omnia 186. In Patmos Ioannem apparitionibus consolatur 7. Respicit ad corda, vota et laudes fidelium 167. Ipsam salutantes resalutat copiosis muneribus 170, 171. In largiendis beneficiis meritum supplicum excedit et vota ut Rebecca et Bethsabee 332. Suis cultoribus erit ut Rebecca Iacob 403. Suis cultoribus est ut terra bona centuplum reddens 308. Beati qui erga eam sunt devoti 287, 396, 452. Causa mortis impoenitentibus et non devotis, causa vitae ceteris 36, 37, 101, 242, 254. In horrendum Dei iudicium incident quicumque hanc totius Divinitatis imaginem venerari et ut par est adorare contempserint 41. Vide etiam sermones pro potentia allatos.

20. *Imitatio.* In exemplum ut Christus nobis data 47, 281. Virtutum omnium forma 47. Exemplar matrum 64. Exemplum invictae patientiae et fortitudinis sub cruce 68, 69. Exemplum hu-

militatis 281, 282, 344, puritatis animi et bonorum operum fecunditatis 312, fidei 343, caritatis 344, purificationis animi per poenitentiam et cordis totius oblationis 514. Summopere imitanda 250. A prima aetate Ecclesiae ab omnibus Christifidelibus semper mirifice imitata 250, 251. Salvabitur tantum anima eidem similis 269, 281. Vide etiam n. 16 (*Virtutes*).

Marcionitae. Haeretici Virginem veram Christi Matrem negantes 234, 303.

Mare aeneum (in templo Salomonis). Figura Mariae quoad gratiae plenitudinem 549.

Mare Rubrum. Figura peccati originalis 459.

Maria Magdalena. Contemplatrix 551, Christi amans 591, 592, 593, 594, a Christo dilecta 594, optimam partem eligit 571, triplici capite laudata 224, 343 et *Maria*.

Mariomastiges. Mariae calumniatores. Sic vocantur omnes haeretici Mariae detrectantes 172, 234.

Martha. In ea et sorore eius omnis sanctitas ostenditur et quare 592.

— Solicita erga Christum 551, 591, 592, 595, a Christo dilecta 594 et *Maria*.

Materia prima. Prope nihil est 211, 489.

Melchisedech. Sine genealogia introducitur ut quiddam coeleste 8, 9, 497 et *Maria*.

Meritum. A caritate et Dei gratia dependet 276.

Metaphrastes. De Simeonis gladio 63.

Michael. Interpretatur: Quis ut Deus 92. Nomen eius monstrat incarnationem quodammodo impossibilem 92.

Michaeas. De Virginis gratiae plenitudine 451.

Mina. Apud Hebraeos triginta unciarum erat 439.

Miraculum. Miraculorum genera duo 442. Quatuor praecipua miracula in mundo 286.

— Miraculum est opus supernaturale, vires naturae excedens, insolitum 13, 442 et *Maria*.

Mons altus. Dicuntur Angeli, Sancti, fides, spes, caritas, virtutes, Spiritus S. dona 42, 43, 341, 425, 451, 463, 482, mens, intellectus, animus, coelestium contemplatio 343 et *Maria*.

Moria. Unus montium supra quos Ierusalem fundata, et ubi Abraham Isaac sacrificat 127, 344, 472.

Moyses. Princeps synagogae, frater Mariae 177. Populum a servitute liberat 82. Deus Verbum ei apparet 95, 96, 152, 209. Deus ei nomen suum manifestat 177. Deo tabernaculum construit 177. Philosophus, theologus 207. Divino afflatu non humano impulsu scribit 453. Suum spiritum manuum impositione in Iosue transfundit 191. Nihil dicit de dolore Adam et Evae in morte Abelis ob eius ineffabilitatem 61.

— Mariam praedicit satanae capitalem inimicam et victricem 164, virginem 310, Matrem Dei 233, 373, immaculatam 495, a satana persecutionibus lacessitam 60, 519. Deus ei apparet minori gloria quam Maria Ioanni 9, 10. Nihil scribit de creatione Angelorum et paradisi coelestis et quare 8, 453, 454, immediatam Dei visionem habet 31, splendorem vultus sui ignorat 30, matrimonio nobilissimus 118, amicus Dei intimus 54, 143, a Deo plusquam omnis populus dilectus 350, populi advocatus apud Deum potentissimus 400, 401, 403, vir sanctissimus 119, 212, fidelissimus, mitissimus, humillimus etiam in gloria 164, 190, 248, inter Prophetas primus 217, Deus cum eo 208, imago Dei particularis 143, in eo simul iunctae dignitas regia, pontificia, scientia, sanctitas 145, 212, gratiam miraculorum accipit et prodigia operatur 146, 212, deus Pharaonis constitutus 53, 147, 212, in visione rubi quodammodo deificatus 212, magnus auctoritate 291, 292 et *Maria*.

Mulier. A muliere perditio, a muliere salus 120. In V. T. tum sterilis tum fecunda maledicta 132, 521. Tres maledictiones mulierum per Evam 218. Per Mariam benedictae omnes virgines 219. Benedictio mulierum in V. T. in fecunditate potissimum sita, in N. T. in integritate 219. In mulieribus rara avis silentium 261. Virtus in eis divinum plane ornamentum 353, insana vanitas corporalis pulcritudinis studium 224.

— Mulieri dos datur pro sponsi nobilitate 126, 490, triplici gaudio affici potest 227, eius dignitas, fortuna, nobilitas a propria virtute, a parentibus, a sponso, a filio 235, 293, 367, 490, 564, sponsa est sponso hortus deliciarum et generationis adiutorium 122, eius uterus prima domus hominis 438, 491, eius pulcritudo magnam habet in virum potentiam 198, amor in eam oritur a quinque fontibus 353, magnum eius beneficium bonus sponsus et boni filii 221, 222, multae mulieres magnae beneficiisque auctae et laudatae in Scripturis 131, 221, 224, 292 et *Maria*. Mulier in purificatione, vide *Purificatio*.

Mulier evangelica. Spiritu S. afflata Virginem laudat encomio quadruplici ratione insigni 167, 301-304, 450. Contra haereticos, Calvinum praesertim, probatur eam non fuisse a Christo reprehensam, nec eius laudem in Virginem diminutam sed contra auctam 301-304, 561, 562.

Mulier fortis in Proverbiis. Figura Virginis 165, 260, 433, 585.

Mundus. Homo magnus 258. In eo non est vacuum 489. In eo quae non videntur sunt pretiosiora illis quae videntur 341. Meritis Sanctorum, Mariae et Christi servatur 363, 362. In Babylone, Aegypto, Tyro, Philisthaeis figuratus 362. Misericordia aedificatus 120.

— Domus Dei 314, domus hominis 450, regale palatium in quo cuique rei locus conveniens 455, eius partes et substantiae quo altiores eo nobiliores et maiores 96, 258, 341, 583, et per gradus infinita prope distantia dispositae 211, ideo figuratus in statua Nabuchodonosor 341, 583, in scala Iacob 211 omnis eius sphaera superior inferiores continet, sic in homine, Ecclesia etc. 230 et *Maria*.

Munus. Licet exiguum magnum efficitur ratione personae offerentis 514, 515.

Musica. Triplex apud Graecos 274.

Myrrha. Corpora a corruptione praeservat 502. Poenitentiam designat 434. Pars Mariae nominis hebr. 179, 185, 502.

N

Nabuchodonosor. A tribus pueris hebraeis irrisus 25, 41. Statuam erigit adorandam 39 sqq. Ex qua materia formata etc. 40, 258. In ea partes quo superiores eo nobiliores 40, 258. Figura mundi 258, 341, 583 et Mariae 39, 40, 41. Arbor ei visa ante destructionem figura felicitatis et gratiae, post destructionem figura miseriae et peccati 494, radix eius viva relicta figura Christi et Mariae 494.

— Ipse magna arbor 394, 395 et *Maria*.

Naimitis mulier. Christus suscitat filium eius 81.

— Amaritudine repleta 65, resurrectione filii gaudio affecta 73 et *Maria*.

Nathan. Praenunciat Davidi Salomonem 88, 95.

Natura. In natura vacuum non est 489.

Natura humana. Eius felicitas ante peccatum et infelicitas post casum in arbore Nabuchodonosor figurata 494. Vide *Homo*.

Nazaraei seu Nazareni. Christiani sic dicti 115, et mystice sunt 116. Ioseph patriarcha nazaraeus quia figura Christi 115. Eorum religio 115. Non poterant bibere vinum 138. Christus nazaraeus 157.

Nazareth. Interpretatur separatio, sanctitas, consecratio, corona 115. Quare Christus in Nazareth conceptus 116.

Nestoriani. Haeretici Mariam Christi hominis matrem facientes sed non Dei, anthropotocon, Christotocon non autem Theotocon 234, 251.

Nestorius. Negat Mariam Theotocon 306. A concilio Ephesino damnatus 306.

Nix. Designat sanctitatem et puritatem 559, 565, 567, gratiam 567, 560, peccatum et malum 567. Exempla et rationes ex Scriptura 559, 560, 565, 566, 568.

Nobilitas. Idem ac lux 18, 19, 361. Vera nobilitas nunquam servisse peccato 22, 25. Deus nobilitatis cupidus 24. Christus nobilis homo 24, 365, 366. Deus non magni facit mundi nobilitatem 24. Nobilitas servorum Dei in coelo 25. In virtute consistit 483, hac Deus delectatur 483.

— Nobilitas ex praedestinatione, prosapia, gratia, gloria 17-25, ex natura, sanguine, privilegio, virtute, matrimonio 20, 111 et sqq., 367 et *Maria*.

Noe. Vir iustus et perfectus 54, 90, 105, 118, 164, 190, ambulat cum Deo et invenit gratiam 90, 208, ideo a diluvio servatus 459, 483, 499 et *Maria*.

Noemi. Amaritudine repleta 65 et *Maria*.

Novatores. Haeretici gratiam externum Dei favorem erga nos definientes 105 et Virginem blasphemantes 172.

Numerus. Unus ab alio specie differt 584.

Nubes Eliae. Figura Mariae quoad gratiam initialem 460, quoad copiam beneficiorum 578.

O

Obededom. Domus eius ob mansionem arcae benedictionibus repleta 314, 548 et *Maria*.

Obiectum. Intellectile est domus intellectus 464, delectabile est domus voluntatis 464.

Obumbrare. Idem ac protegere 29, idem ac maritum agere 30.

— Maria a Spiritu S. obumbrata 29, 30, 31.

*

Olda. Prophetis a sanctitate et prophetia laudata 131 et *Maria.*

Opus. Opera nostra bona mille imperfectionibus plena, ut ex vite vinum et vinacia 521. De bono opere gratiae agendae, de malo poenitentia facienda 521. Opus bonum augmentum gratiae in hoc mundo et mercedis in alio 528. Opus laudat opificem 303.

Oratio. Intellectu et voluntate facienda 271. Varia orationum genera 275. Deum et animos quodammodo ligat 431.

— Orationes Sanctorum Deo gratae 402 et *Maria.*

Origenes. De gladio Simeonis 63.

Oza. Morte mulctatus quia arcam tetigit 36, 37, 101, 569 et *Maria.*

P

Pandora. Prima mulier mythol. a singulis diis proprio dono donata 143, 145, et *Maria.*

Papa. In eo et ex eo omnis potestas in Ecclesia 230, 359 et *Maria.*

Paradisus coelestis. Locus lucidior sole isto 584. Magnificentiae mirabilis 359, 360. In eo dat Deus Beatis gloriam et sui visionem et fruitionem 210. Eius gloria ex tribus potioribus operibus Dei 236. — Locus ubi videtur Deus 100, 151, 215, domus Dei 314, eius gloriae vix medietas cognosci potest 358, nihil de eo a Moyse dictum et quare 454, domus Angelorum 450, 455, 463 et *Maria.*

Paradisus terrestris. In eo ante peccatum gratiae actae non leguntur 83.

— Prima mulier in paradiso formata 20, multis titulis a Moyse laudatus 370 et *Maria.*

Parelium. Solis imago 460 et *Maria.*

Paraphrastes chaldaeus. De selah 358, 463.

Pastores. Primi Christum adorant 521, 522. Animas incipientes designant 522.

Patientia. Magnitudini eius respondet magnitudo gloriae in coelo 586, 587 et *Maria.*

Patriarchae. Montes dicti ob sanctitatem 425, 451, 463, 482, eorum sanctitas in fine vitae 462 et *Maria.*

Paulus Apost. Ecclesiam Dei persequitur 253. Prostratus et conversus 253. Quid per induere et expoliare intelligat 32, 33. Quid de fide 44, 45, 46. Electus in doctorem gentium 54. Electos etiam Angelos in gloriam Christi docet praedestinatos 79 et Christum causam exemplarem et finalem sanctorum 80. De magnitudine mysterii Incarnationis 123. Insignis praedicator gratiae 193. De mensura gratiae 194. Atheniensibus praedicat immensitatem Dei 207. De perfectione Christi a conceptu 239. Suum dicit commune redemptionis beneficium 263.

— Refert Melchisedech ex insperato introductum 8, 9, visionem immediatam Divinae Essentiae habet 31, amat ardenter Christum 67, gratiam miraculorum habet 146 et *Maria.*

Pax. Ubi iustitia 379.

— Magna pars felicitatis cuiusque civitatis 378 et *Maria.*

Peccatum. Tenebrae 424. Nix 567. Lepra 567. Adulterium cum diabolo 501. Violatio virginitatis spiritus 501, 503. Fornicatio secundum Script. 443. Dictum, factum vel concupitum contra legem Dei 566. Divinae legis transgressio et coelestium mandatorum inobedientia 566. Triplex peccati tenebra: originalis, mortalis, venialis 424. Putentissimum stercus et sentina vitiorum 503.

Peccatum originale. Origo actualium iuxta August. 444. Infinitum quoddam malum 446. Hominem reddit Dei inimicum 443, 472 eique dissimilem 473, mancipium, scortum diaboli 443, 501 et ei similem 473. Virgo maluisset maternitati renuntiare quam eo foedari 478. Odium et ira Dei 464. Ratione voluntarietatis est minus veniali 478. Figuratum in diluvio 459, in Iordane 460, 471, in mari Rubro 450, 471, in tenebris Aegyptiorum 460, in flumine Apocalypsis 461, 462, 488, in fonticulo amaro scythico 495. Causa omnium malorum 471. Habitus dissimilitudinis ad Deum homini inditus 473. Privatio originalis iustitiae debitae 82, 473. Concupiscentia mali 473. Habitualis voluntatis aversio a Deo ibid.

Peccatum veniale. Ratione voluntarietatis maius originali 478.

Pelagiani. Haeretici peccatum originale negantes 443. Contra eos S. Augustinus ibi.

Perfectio. In malo vitando et bono faciendo consistit 536.

Petrus Apost. Electus in caput Ecclesiae 54. A Christo novo nomine vocatus 177. Mariam Matris Dei titulo exornat 233. Gratiam dicit multiformem 194 et participationem divinae naturae 106.

— Gratiam miraculorum habet 146, maiori gloria miraculorum coruscat quam Christus 10, laudatus fide 164, 343, personaliter beatus dictus 329, inter Apostolos primus 217, singularis Dei imago 143 et *Maria*.

Pharao. Omnem terram Aegypti praeter sacerdotalem tributo subiicit 448 et *Maria*.

Philisthaei. Propter timorem arcae ingemunt 111. In eorum regno arca miracula operatur 146, 186. Pulverulenti interpretantur 362. Mundum figurant ibi.

Philosophia. Tria de re quacumque iubet dicere 262.

— Ex uno principio conclusiones omnes elicit 479 et *Maria*.

Pietas. Summa Deum magnum benefactorem agnoscere 264.

Platonici. Quid per lunam et quid per solem intelligant 29, 46.

Plautus. Sponsos coronis decoratos describit 264.

Plinius. Colossum Rhodi describit 40. Supra centenas spicas ex uno grano tritici ortas refert 310.

Poema heroicum. Tria requirit: subiectum, actionem et finem 257.

Pontifex summus Hebraeorum. Sponsam virginem ducere debebat 412, 447, solus in sancta sanctorum ingrediebatur 358, 447, 531 et *Maria*.

Primogenitum. Primogenita offerebantur in templo in memoriam liberationis de Aegypto 519, 527.

Praedestinatio. Gradus in praedestinatione 97. Quo quis altior in praedestinatione gloriae eo locupletior in gratia 98. Effectus amoris Dei 347. Ichnographia, archetypum totius Ecclesiae 347. Est praeparatio gratiae, gloriae 481. Praedestinatio Christi, vide *Christus* (*Incarnatio*). Praedestinatio Mariae vide *Maria* n. 4 (*Praedestinata*).

Procreatio. In ea non est vacuum 489.

Prophetae. Praecipuum munus eorum advocatum agere apud Deum 400, montes dicti 445, 463, 482 et *Maria*.

Prophetia. Triplicis generis iuxta res cognitas praeteritas, praesentes, futuras 553.

Propitiatorium. Figura Christi 416-418.

Providentia. Decem eius rationes in theologia Hebraeorum 337.

Pueri tres hebraei. Ex semine regio 25. Leones contra Nabuchodonosor 25, 41.

— Ab igne fornacis illaesi 496 et *Maria*.

Pulcritudo. Corporalis consistit in optima proportione partium ad invicem 105, spiritualis in caritate et luce 106. Pulcritudo animae puritas conscientiae 106. Pulcritudo vera in oculis Dei virtus et sanctitas 126. Cibus, obiectum amoris 128, 346.

Purificatio. In ea mulier purgabatur 517, 520, 527, primogenita offerebantur ibi, et quinque siclis redimebantur 518.

— Duplex est: a sordibus 508 et per maioris gratiae infusionem 511 et *Maria*.

Puritas. Consistit in gratia et plenitudine Spiritus Sancti 543, et in unione spiritus nostri cum Deo 540 et *Maria*.

Pythagorici. Per quaternarium iurabant 417.

Q

Quadragenarius numerus. Symbolum purificatoriae poenitentiae 513, 514.

Quaternarius numerus. Symbolum Divinitatis 417. Per ipsum Pythagorici iurabant ibid.

Quinarius numerus. Finitam creaturarum perfectionem designat 418.

R

Rachel. Interpretatur ovis 90, pulcherrima 131, 192, 224, 292, 352, laudata 164, divinis beneficiis aucta 221, Iacob eius amore captus 133, 135, a sponso copiose dotata 126, bonum virum a Deo accipit 221 et *Maria*.

Raphael. Interpretatur medicus Deus, et finem incarnationis ostendit 92.

Rebecca. Interpretatur saginata 90, pulcherrima et incognita viro 89, 135, 224, 292, 352, 416, quia futura mater totius Israel 487, omnibus bonis Abrahae dotata 90, 91, 126, 135, 136, 490, ut digna esset Isaac 490, bonum virum habet 221, multis beneficiis cumulata 221, laudata 164, matrimonio nobilissima 117, 235, Iacob benedictionem obtinet 245, Eliezero plus quam petiit impertit 332 et *Maria*.

Redemptio. Nobilis redemptionis modus est per praeservationem seu praeliberationem a peccato 490 et *Maria*.

Regina. Honoris causa iisdem titulis ac rex honoratur 478 et *Maria*.

Reginae in Canticis. Animas perfectas designant 227, 276, 427, 572 et *Maria*.

Respublica veneta. Diligit Venetias super omnes civitates 348 et *Maria*.

Rhodus. Eius colossus mundi miraculum 40.

Rosa. Vide *Lilium*.

Rubus. Ex eo Verbum revelat se Moysi hominem futurum 95, 152, 209.

— Figura Mariae quoad virginitatem et fecunditatem 11, quoad humilitatem 286, quoad immaculatam conceptionem 448, 496.

Rupertus. De apocalypsis visione 7.

Ruth. A Booz benedicta 222, 223, laudata fortitudine et virtute 224, nobilissima matrimonio 21, 118 et *Maria*.

S

Saba regina. Magna Salomoni offert, sed maiora ab eo recipit 532, 543 et *Maria*.

Sacerdotes V. T. Purissimi esse debebant et soli sanctum ingrediebantur 177, 358, 474, 489, 531.

— Sanctum sanctorum ingredi non poterant 358, 489 et *Maria*.

Salomon. Figura Christi 157, 244, 374, 457, 593. A Nathan praenunciatus 88, 119, 157. Natus in bonum Hebraeorum, Christus in nostrum 158. Arcae templum aedificat, Deus mundum Christo 86, Christi simul et Mariae laudes celebrat in Canticis, Mariae in Proverbiis 336.

— Magnus sapientia et gloria 54, 56, 291, 357, 358, sapientia repletur ut dignus rex Israel sit 481, in eo plura dona simul 145, Deus cum eo 209, cor perfectum ei pater precatur 171, nobilissimus matrimonio 118, templum magnificum arcae aedificat 455, 458, 495, sibi, sponsae, Deo dignas domos aedificat 450, 481, 482, sanctum sanctorum splendide exornat 495, matrem Bethsabee impense honorat 243, 244, 570 et *Maria*.

Salutatio. Est bonorum omnium impetratio signumque amoris 171, 557. Apud Hebraeos, Latinos et Graecos 168.

Salutatio angelica. Magnum pelagus laudum Virginis 166. Compendium totius Evangelii, Redemptionis mysterium continens et fidem promissorum Dei 170, 173. Quid significet, fusius vide indicem primum, 603-604.

Samson. Interpretatur sol eorum 95. Ab Angelo praenunciatus populi liberator, ita Christus 12, 88, 95, 119, 157, 158. Nazaraeus vocatus in Christi figuram 115. Fortitudo eius in septem capillis, Christi in septem Sp. S. donis 167.

— Miraculo natus 13, magnus fortitudine 291 et *Maria*.

Samuel. Interpretatur postulatus a Deo 506, 517. Sine peccato 506. Solus legitur in templo praesentatus 506. Duplici causa Bethlehem venit, sic Christus in mundum 81. Parallelismus inter eum et Christum 506.

Sanctitas. Perfecta consistit in perfecta legis Dei observantia 540, in caritate Dei et proximi 582, 592. Duo requirit: copiam virtutum et viliorum absentiam in lectulo Salomonis figuratas 680. Tribus constat: sobrietate, iustitia, pietate 539. Triplex: sufficientiae, perfectionis, singularis excellentiae 539. Item triplex: minima absque mortali, maior absque veniali, maxima vel sanctitas sanctitatis absque originali 451.

Sancti. Equites Christi 589. Eorum imagines fidei mysteria populis praedicant 377. Eorum dignitas media inter divinam et naturalem dignitatem 325. Imagines Christi 592, 593, sanctitatis Dei 145, 325. Eorum preces etiam pro aliis a Deo exaudiuntur 146. Eorum cultus a Calvino proscribitur 322.

— Omnes Sanctae Mariae imagines 592, 593. Omnibus Sanctis Mariae plenitudo gratiae incomprehensibilis 580. Honorandi 321-325, opus Dei 303, lux 423, montes 42, 43, 341, 425, 451, 472, 482, gratia miraculorum etiam post mortem donati 146, eorum orationes Deo gratae 402, nullus, praeter Christum et Mariam, gratia plenus 105, 191, 192, gratia pleni ut rivuli, ut stellae 195, 196, 483, mirabilis eorum humilitas 278, multa Deo praestant praeter iustitiae debitum 510 et *Maria*.

Sanctuarium Moysi. Vide *Tabernaculum*.

Sanir mons. Lucerna interpretatur 582, et cum Amana et Libano Virginis theologales virtutes designat 435, 582.

Sapientia summa Deum magnum agnoscere et toto corde diligere 264, 553.

Saron. Mons feracissimus et miram Mariae bonorum copiam designat 418.

Sara. Interpretatur domina 89, 97, 178, laudata pulcritudine 131, 192, 224, 352, sterilis 89, nobilissima matrimonio 117, divinis beneficiis aucta 221, bonum virum a Deo accipit 221, magna pulcritudine corporis et spiritus 292 et *Maria*.

Satanas. Vide *Diabolus*.

Scala Iacob. Figura mundi 211, Ecclesiae 583, 584, Christi 149.

Scriptura (S.). Virginem Immaculatam ostendit expressis verbis 415. Parca in Virgine laudanda et quare, vide *Maria* n. 1. (*Silentium Scripturarum*). Dum generaliter loquitur non semper omnes et singulos includit 414, res uti apparent solet referre 495 et *Maria*.

Sedulius. De virginitate et maternitate Virginis 219, 307.

Selah. Interpretationes variae 358, 376.

Senarius numerus. Perfectus et perfectorum primus 417, 575.

Sephiroth. Rationes divinae Providentiae apud Hebraeos 337.

Seraphim. Quid significent caput et pedes Dei velantes 591. Eorum duodecim alae Angelos designant 575.

— Summa reverentia Deum adorant 267, 278, montes dicti 451 et *Maria*.

Sibyllae. De Christo et Maria locutae 312.

Signum. Miraculum significat 10, 442. Quid significet signum magnum Apocalypsis, vide indicem primum 597.

Silentium. Plura magis silentio quam verbis honorantur 8, 9, 590. Rara avis in mulieribus 261.

Simeon. Interpretatur obediens 522. In templo Moysis figuratus 639. Legatus Sp. S. Christum accipiens in templo 507, 508, 533, 546. Imago perfectorum multiplici capite 522. Perfectus quoad Deum, proximum et seipsum 522. In ipso principium, medium et finis virtutis 535. Sanctissimus 539. Qua perfectus Christum in ulnas accipit 522. Christum multis nominibus honorat 522, 523, 525. Eius canticum compendium totius theologiae et utriusque Testamenti, et plura mysteria quam verba continet 523. Suae virtutis mercedem Christum accipit omnium bonorum thesaurum 524, 525. Deo gratissimus gratias agit 525. Christo accepto laetus moritur 535. Virginis dolores praedicit 60, 66.

Sion. Arx David munitissima 199, 200, 353, 354, 466, ibi omnis regni israelitici collecta nobilitas 364, 365, 451 et *Maria*. Vide *Ierusalem*.

Sol. Per Briareum centimanum designatus et quare 210. Sponsus naturae 105. Rex coeli 389. Opus Excelsi 15. Siderum omnium maximus mole et virtute 34, 35, 197, 487. Agit circumlationem in coelo, ita Christus in incarnatione 115. Quid apud Platonicos 29 et Aegyptios 44. Figura Dei 33, 42, 210, Christi 33, 42, 105, 151, 383, gloriae et felicitatis 33.

— Luce plenissimus ad nostrum commodum 32, 36, 142, 144, 389, 452, 494, 495, quocumque pergit totum luce replet 129, 223. In eo non minor liberalitas quam illuminandi potestas 144. In eo lux singulariter habitat 149, magnus longitudine, latitudine, profunditate, sublimitate 197, lunam simillimam sibi reddit ad nostram utilitatem 297, 332, lucidissimum astrorum 547, e purissimis coeli partibus formatus 483, coelum eius tabernaculum 483, lunam a principio a tenebris praeservavit 486 et *Maria*.

Quid significet amictus solis in Maria vide indicem primum 598, serm. 3 in *Signum Magnum*.

Spes. Mons altus 341, 462 et *Maria*.

Spiritus. Idem ac animus 257. Anima quatenus substantia incorporea 271. Ipsius nobilitas in virtute 483.

Spiritus S. Consubstantialis, coaequalis Patri et Filio, verus Deus, 158, 196, 507. A Patre et Filio procedit ut calor a luce solari 155. Quare in igne et aqua datus 567. Designatus per ignem 550, per oculos 530, per aquam 189, 431. Inhabitat ubi est gratia, nam gratia ab eo sicut radius a sole 188. Multi eo pleni 105. Christum in templo praesentatum accipit per Simeonem 507, 508. In vase mundo tantum a Deo ponitur 158.

— Sponsus Virginis 29, 64. Quid sit illud: *Superveniet in te* 56, 114, 140. Mariam per Elisabeth laudat 165, 262. Eam aedificat 325, 440, 441. Ad eius animam ante satanam venit 487. Flumine suae gratiae ab initio irrigat 461. Humanis verbis nec ipse potest eius gratiae plenitudinem explicare 579, 580. Vide *Maria* n. 16. (*Virtutes*).

Sponsi. Apud antiquos in die desponsationis coronis redimiebantur 264. Duplici causa Deus homini dat sponsam 122.

Sponsus Canticorum. Figura Dei 198, 199, 201, 202, 265, 436, 437, Christi 241, 244, 374, 375.

— A Sponsa per omnia cognitus et laudatus 241,

265, impense dilectus 198, 199, 201, 202, 436, 437 et *Maria*.

Sponsa Canticorum. In ea specialissime et principaliter figurata Maria 466. Qualitates eius animae et corporis quid significent in Virgine vide serm. 8 in *Ave Maria* et 2 in *Concept. Immac.* Virgo in ea figurata quoad cognitionem 241, 284, et amorem Dei 198, 199, 201, 202, 436, 437, quoad gratiae plenitudinem 195, 225, 227, 435, 566, 572, 577, 578, quoad immaculatam conceptionem 496, 538, 539, quoad patrocinium et copiam gratiarum 391, 393, quoad laudes ei tributas supra omnes creaturas 227, 348, 427, in omnibus partibus 200, 201, 225, 226, 227, 374, 429-434, ab omnibus 282-290, 384, 426, 427 praesertim a Dilecto 225-227, 428-429. Vide etiam *Maria* n. 2 (*Nomina et figurae*) et n. 16 (*Virtutes*).

Stella. Gloriam specialem designat 54. Per stellas Angeli et Sancti designantur 52, 195, 483, 575.

— Singulariter stella est Maria 142, 182-184. Stellae luce repletae ad nostram utilitatem 389, 542, in eis non minor liberalitas quam illuminandi potestas 144, stella soli proxima semper lucida nec eclipsim patitur 212, 483, 491 et *Maria*.

Quid significent stellae in capite Virginis, vide indicem primum 598, serm. 5 in *Signum Magnum*.

Stephanus diaconus (S.). Plenus fide et Sp. S. 105, 191 et *Maria*.

Stoici. De virtutis essentia 64. De fortunae bonis 317.

Substantiae. In quatuor genera dividuntur 52. Vide *Mundus*.

Synagoga. Eius praecipuum a Deo beneficium patronos Moysem, Aaron et Mariam habuisse 400, 401 et *Maria*.

T

Tabernaculum Moysi. Esemplar eius prius Moysi a Deo datum 88. Typus Ecclesiae militantis 571.

— Maiestate Domini repletum 108, 109, 128, 190, quadrangulare 174, mensuratum 196, Deus singulari modo in eo 207, 314, foris pellibus vilibus, intus auro vestitum 496 et *Maria*.

Tabulae legis in arca. Figurae Christi quoad sapientiam 440, 456 et Mariae quoad perfectissimam legis observantiam 570.

Talentum. Apud Hebraeos centum unciarum seu librarum erat 439.

Talmudistae. De selah 358.

Tapinophrosini. Virtutem humilitatis graece generatim significat 283, 557.

Tapinosis. Conditionem vilem graece generatim significat 283, 557.

Templum Salomonis. Simile tabernaculo Moysi 88, 571. Figura Evae 469. Tribus partibus constans: atrio, sanctuario et sancto sanctorum 427, 522, 538, 571 et quomodo hebraice nuncupentur 531. Figurant tres status Ecclesiae sub lege naturae, Moysis, Evangelii 539, tres status animarum in Ecclesia: incipientium, proficientium, perfectorum 28, 276, 427, 522, 571, 572, tres gradus virtutis: magnae, maioris, maximae 531, 539. Typus Ecclesiae triumphantis 571. Sanctuarium tantum sacerdotibus puris accessibile 177, 358, 489, 531.

— Super montem Moria aedificatum in loco sacrificii Abraham 99, 450, 451, 499, 500, ex lapidibus pretiosis, lignis nobilibus et auro undique collectis 25, 365 etiam pro fundamentis 22, singulari modo Deus in eo, singularis eius domus 98, 99, 207, 314, in eo loco gloriae Dei 98, 100, 108, 109, 128, 190, quadrangulare 174, mensuratum 196, in eo offerebantur sacrificia pro peccatis 150, Sanctum sanctorum etiam sacerdotibus inaccessibile 358, accessibile uni summo sacerdoti 358, 489, pro arca et propitiatorio gemmis et auro ornatum 447, 455, 456, 495, 499 et *Maria*.

Tetractin. Vide *Quaternarius*.

Tetragrammaton. Vide *Deus* (*Nomen et essentia*).

Terra. Fons omnium tenebrarum 487. Vide *Anima*.

Tertullianus. De incarnatione ante peccatum revelata 78, et causa occasionali peccati 82.

Thales Milesius. Diis omnia plena dicit 207.

Thecuitis mulier. Auctrix ut ab exilio Absalom revocaretur 131, 216.

— Sapiens 57, 216, prudens 131, 221, eloquens 216 et *Maria*.

Theologia. Eius axioma 479 et *Maria*.

Thomas Aquinas. De eo singulare Auctoris elogium 475, 477. De fide explicita incarnationis in Adam 78. De valore animae Christi 79. De auctoritate Ecclesiae 477. De Angelorum specie 585.

— De excellentia divinae maternitatis 476, 477.

De Virgine et peccatis venialibus 475. Expenditur eius sententia de immaculata conceptione 477.

Thus. Orationem designat 434.

Thronus Salomonis. Figura Mariae quoad copiam omnium virtutum 18, 457, 458.

Timanthes. Pictor excellentissimus 61, 590, 591.

Topus albus. Vide *Arminius*.

Tribulatio. Quid in tribulatione faciendum 5, 69.

Triticum. Fecundissimum est, supra centenas spicas aliquando produxit 310. Panis triticei sapor temperatissimus 433.

Trismegistus Mercurius. Mirabilis Dei definitio ei tributa 115. Mundum dicit vas Deo plenum 207.

Tyrii. Angustiati interpretantur 362. Figura mundi calamitosi ibi.

U

Unio hypostatica. Unio personalis naturae divinae cum humana 115.

V

Valentiniani. Haeretici Virginem veram Christi matrem negantes 234, 303.

Venetiae. Civitas mundi miraculum 342, 348 et *Maria*.

Verbum Dei. Procedit a Patre ut radius a sole 155. In maximo flumine paradisi figuratum 156. Vide *Christus* et *Incarnatio*.

Virgilius. Iovis omnia plena dicit 207. De Hypani flumine 495.

Virginitas. Figurate quid sit 312, 313.

Virtus. Perficit naturam non destruit 64. Ex ea vera animi hilaritas 169. A virtute non a falluci vanitate petenda laus 225. Triplicis generis: purgatoria, animi purgati, heroica 531, 583. In mulieribus divinum ornamentum 353. Cor hominis dignam Dei habitationem facit 526. In utroque sexu perfecta reperiri potest 523. Hominem similem Deo reddit 352.

— Altus mons 341 et *Maria*.

Vitta coccinea. Silentium designat 261.

Vitulus (Ezechielis). Iustitiam designat 523 et Christum in passione 534.

Vocatio. Effectus amoris Dei 347. Tractus cordis humani 348.

Voluntas. Domus eius obiectum delectabile 464. Infinitae capacitatis 549, 577.

Z

Zacharias propheta. De Mariae virginitate loquitur 311.

Zacharias pater Io. Bapt. Divina memoria interpretatur 556. Gabriel Ang. ei apparet 112, 118, 165. Ab Angelo coargutus et punitus 139.

— Spiritu S. plenus 105, 548, Spiritu S. afflatus canit 261 et *Maria*.

Zorobabel. Eius templum figura Mariae 468 sqq.